DORMI SECVRE:
Vel
CYNOSVRA PROFESSORVM
AC STVDIOSORVM ELOQVENTIÆ,



in qua

CENTVM ET VIGINTI
Themata Oratoria,

NON SOLVM STVDIOSIS, SED & Professoribus eloquentiæ, ac pietatis veræ amantibus utilissima & pernecessaria explicantur.



Studio & industria,


D. MATTHÆI TIMPII SS. THEOL. LIcent. Rectoris Collegij Dett. apud Monast.

Cum INDICE *rerum atq; verborum locupleti.*

PARS PRIMA.

De novo emendata & Thematis aliquot aucta.





COLONIÆ AGRIPPINÆ.
APUD JODOCUM KALCOVIUM.

ANNO M. DC. L.

Cum speciali Privilegio S. Cæs. Majest.

*C*Autum est Privilegio S. Cæsareæ Majestatis ne quis librum hunc Matthæi Tympij cui titulus: Dormi securè, *seu* Cynosura Professorum, *&c. à Petro Brachel excusum inuito ipso recudat: aut in S. Imperij finibus distrahat: sub pæna sex auri puri Marcarum & confiscationis librorum ut latiùs in originali.*

Mein habendes Privilegium Cæsareum, vbergebe Jodoco Kalckoven Buchhandlern in Cöllen / den 7. Decembris 1647.

Peter von Brachel.



ADMODVM.

REVERENDIS,

NOBILITATE EQVESTRI,
DOCTRINA, AC PIETATE
ILLUSTRIBUS VIRIS
ac Dominis,

D. IOANNI

à BEFERVORDE,



Ac

D. SIXTO

á LIAVKEMA,



CATHEDRALIVM ECCLESIARVM OSNABVRGENSIS & PADERBORNENS. S. CANONICIS
optimè meritis,

Dominis suis ac Patronis perpetuâ observantiâ colendis, sempiternam felicitatem.



DMODVM Reverendi, Nobilitatis, eruditionis, ac virtutum splendore ornatissimi Domini, patroni mihi summa semper religione colendi: Anni nec dum effluxerunt septendecim: cum

in antiquiſſimæ atque adeo primæ in Weſtphalia Chriſtianorum Reip. litterariæ,ſcholæ, inquam, veſtræ Carolinæ, Sciagraphia, non diſciplinam ſolùm ſeu leges, quibus univerſum illud veſtrum Gymnaſium (cujus habenæ mihi ex alma Vniverſitate Colonienſi ad vos traducto erant cornmmiſſæ) aſtrictum & circumcluſum eſſe volebam, ſed ipſam etiã doctrinam, artes, claſſicos auctores Græcos, Latinos, Sacros, Profanos in eo perſonantes, & Exercitationes, quibus in omnes partes uſum præceptorum & authorum ducebã eſſe confirmandum, adumbravi.

Atque in hac poſtrema Claſſica Scholæ commendatione quam à quatuor potiſſimum generibus exercitationum proficiſci docebam, cùm de prima forma exercitationis pertractarem, inter cætera hiſce utebar verbis:

Quod ad compoſitionem attinet, ſingulis hebdomadis ſupremis Scholis paucis quidem verbis proponemus Locos Inuentionis omnis

omnis generis Orationum & Epistolarum, sed compositionem, dilatationem, exornationem eorum aridam, sterilem, jeiunam, fame ac macie senectam, & quam pro materia astrictiorem non feremus. Interdum ex græco scriptore aliquid Latinè conversum ex Latino sermone clauso libro quasi postliminio patriæ & civitati suæ restituent, nonnunquam & Authores Latinos Græcis verbis tractare incipient. Quin etiam in opportunitate illustrem historiam, his semel atq; iterum commemorabimus, quam ipsi auditam statim historicè conscribent, vel numeris illigando in certum genus carminis coniicient. Singulis item septimanis ex his oratorum quasi gladiatorum patria orationes à se compositas vel Græcè, vel Latinè, interdum carmine, nonnunquam libera & diffluente oratione ex memoria in acroasi nostri Gymnasii magna recitabunt. Hìc etiam Demosthenes aliquando Latinè dicet, à mutato Græco & Attico pallio, togam in forum ac populum adfert Latii. Nonnunquam tres, quinque, aut plures, quæstionem aliquam in contrarias partes nervosis orationibus tractatam, de victoriæ laude & primi loci

gloria concertantes, ventilabunt, &c. *Ante omnia verò in eo nostræ evigilabunt curæ, ut talia omnibus proponantur argumẽta quibus in pulcherrimarum rerum cognitionem quasi manu deducantur & omnis generis virtutes pectoribus eorum altissimè imprimantur, &c.*

Inter alias vero, quas cardines istius vestri Gymnasii integros ferme quatuordecim annos ferens, fidei meæ commissæ, ac concreditæ juventuti proposui, Exercitationes, non postremum sibi vendicant locum, Themata Oratoria non pauca, ex quibus viginti duntaxat & unum, Anno millesimo sexcentesimo decimo è latebris in lucem ac conspectũ hominum produxi, & quoniam illa magno & studiosorum & doctorum virorum applausu sunt excepta, precibus Typographi mei permotus, istis pauculis jam 79. alia adjunxi.

Quemadmodum autem superiora illa non RR.DD. VV. solùm, sed omnibus etiam, sine ulla exceptione, Ecclesiæ vestræ Osnaburg. admo-

modum Reverendis ac nobilibus Dominis Canonicis nuncupavi, ita hæc RR. DD. VV. duntaxat tanquam firmissimis duarum Cathedralium Ecclesiarum columnis dedicare, & sub vestro amplissimo, gravissimo, atque adeo illustri nomine hanc lucem aspicere volui.

Eis enim, qui de me benè mereri non cessant, ego vicissim, ut mea cõditio patitur gratificari totis viribus meritò contendo, ponderans meeum illud Plauti:

Si bonis quid sit boni, idem & gratum & grave esse consuevit, eò quòd animum illi gratum habent semperq; servos sese esse arbitrantur, donec gratias aut egerint aut retulerint.

Per æterna autem & innumerabilia in cælo Patronis doctorum virorum reposita præmia etiam atq; etiam peto, ut hunc in gratiam eorum, qui in castris Musarum merent, susceptum laborem grato animo suscipere non dedignemini, maximè cùm & Professoribus, & studiosis Elo-

quentiæ admodum futurus sit fructuosus & pernecessarius.

Si enim Professores Eloquentiæ suis demandaverint auditoribus, ut hæc sibi comparent Themata, non viva duntaxat voce (quæ, ut sanctus inquit Hieronymus, nescio quid latentis habet energiæ) exercitatione, disquisitione, ac disputationibus eos rectius poterunt excolere, verum etiam plura eorum animis instillare, neque magnoperè necessarium erit, eorum ingenia hujusmodi Themata dictando, cum maximo ipsorum incommodo, premere & onerare. Quod enim discipuli nimiâ scriptione se conficiant, pulchrè R.P. Antonius Possevinus Soc. JESU Theologus expressit his verbis *Valetudinis ac vitæ non mediocre per nimiam scriptionem periculum incurritur, atramentumq; plerumq; mutatur in sanguinem, cum è pectore vomitur, ubi verò capitis ac ventriculi vires sunt fractæ, quod debuerat esse studiorum curriculum id vitæ claudicatio fit temporisq; jactura,*

aliorum

aliorum etiam molestia pecuniaq́; amißio, ac damnum proximi cui opera præstari nequit. Vnde ducentis quinquaginta propemodum ab hinc annis in Academia Parisiensi lex de ratione, forma, ac modo explicandæ Philosophiæ lata est, qua præcisè cavebatur, ne Doctores, quos vocabat Nominatores, ad pennam, subducendis singulis propositorum librorum verbis, nominando & dictando auditorum manum potius exercerent, quàm continenti explicatione mentem erudirent. Nostri certè, addit P. Possevinus, *quorum magna pars hoc in negotio maximè versatur, usu ac damno edocti, quod è nimia illa descriptione prodiit, diu est, cum tanti incommodi & laboris tollendi (ne dicam moderandi) necessitatem intellexerunt, ac propterea quos in Lusitaniæ Academiis habemus Patres, hi jam Naturalis Philosophiæ partem è prelis emisere, quo tum scriptio illa subtrahatur, tum relinquatur occasio, unde acuantur tamen ingenia, ac multa in arenam disputationum conferri queant.*
Hæc ille.)

Agite igitur admodum Reveren-

di Nobiles, ac mihi summa semper religione Venerandi Domini, Themata hæc, tanquam exiguum gratitudinis & observantiæ meæ erga vos argumentum fovete & contra malevolorum insultum defendite ac propugnate. DEVS Opt. Max RR. DD. VV. excolendæ virtuti natas quam diutissimè sospites ac florentes conservet. Dat. Monast. ex Collegio Detteniano, Anno M. DC. XII. mense Aprili.

RR. DD. VV.

Observantissimus semper Cliens,

Matthæus Tympius SS. Theol. Licent.

CICE-

CICERO *In Proleg. Rhetoric.*

ME quidem diù cogitantem ratio ipſa in hanc potiſſimum ſententiam ducit, ut exiſtimem ſapientiam ſine eloquentia parum prodeſſe civitatibus: eloquentiam verò ſine ſapientia nimium obeſſe plerumque, prodeſſe nunquam.

PLINIUS *Iunior epiſt. lib. 3.*

Malè eloquentia ſine moribus diſcitur.

S. AUGUSTIN. *lib. 4. de Doctrin. Chriſtian. Cap. 5.*

SI ergo hæc illi, qui præcepta eloquentiæ tradiderunt, in iiſdem libris, in quibus id egerunt, veritate inſtigante coacti ſunt confiteri, veram, hoc eſt, ſupernam, *quæ à Patre luminum deſcendit*, ſapientiam neſcientes: quantò magis nos non aliter ſentire debemus, qui huius ſapientiæ filii & miniſtri ſumus? Sapienter autem dicit homo tanto magis vel minus, quanto in Scripturis ſanctis magis minusvè profecit, &c.

Ibid.

QVi eloquenter dicunt, ſuaviter: qui ſapienter, ſalubriter audiuntur. Propter quod non ait Scriptura: *Multitudo* eloquentium, ſed multitudo *ſapientium ſanitas eſt orbis terrarum.* Sicut autem ſæpè ſumenda ſunt

amara,

amara, salubria, ita semper vitanda est perniciosa dulcedo. Sed salubri suavitate, vel suavi salubritate, quid melius? Quantò enim magis illic appetitur suavitas, tantò facilius salubritas prodest.

Ibid. Cap. I.

CVm ergò sit in medio posita facultas eloquii, quæ ad persuadenda seu prava, seu recta valeat plurimum, cur non bonorum studio comparatur, ut militet veritati, si eam mali ad obtinendas perversas vanasque causas in usus iniquitatis & erroris usurpant.

AUCTOR *ex Martial. lib. 9.*

Majores majora sonent, mihi, parva locuto.
Sufficit, in laudem cedere cuncta DEI.

OMNIBUS in omnibus nemo unus adhuc placuit.

DEMETRIUS PHALEREUS.

QVANTUM in bello ferrum, tantum in Republica valet eloquentia.

THEMA-



THEMATVM
ſive
ORATIONVM
HVIVS PARTIS PRIMÆ
INDEX.

XVIII.



I. PA-

I. PARÆNESIS AD PATIENTIAM IN REBUS ADVERSIS.



N EXORDIO *dices:* Neminem in hoc mundo immunem esse ab afflictionibus, nec infantes quidem, imò neq; Reges, & Principes. *A communi sorte. Syr. 40. v. 1. Vide Thema 12.*

In PROPOSITIONE: Cum igitur omnes homines ea lege sint nati, ut omnibus fortunæ telis vita nostra exposita sit; neq; ullus ferè reperiatur, qui non adversitates & ærumnæ quam plurimæ in vita contingant; & nobis magno nostro damno hoc tempore, promulgatis tympani strepitu præliis, de manibus excutiantur studia litterarum, decretum tibi esse studiosis adversa hæc patienter ferenda esse; demonstrare. *Inter arma silent leges: in militia regno disciplina artium consistere non potest.*

CONFIRMATIONIS I. LOCUS, *à dignitate Patientiæ*, quam S. Paulus inter fructus Spiritus sancti numerat, & notam ac characterem servorum, imò & filiorum Dei facit; denique eam tanquam donum Dei commendat. *Gal. 5. v 22. 2. Tim. 2. v 24. 2. Cor. 6. v. 4. Heb 12. v. 7.*

II. *A multiplici fructu afflictionum.* Vult enim Deus nos exerceri. *Phil. 3. v. 29. 1. Pet. 2. 19.*

Primò, ut animus noster ab amore temporalium bonorum avocetur ad amanda æterna: ut etiam, teste S. Chrysostomo, permisit Judæos lateritio opere & luto in Ægypto gravari, ut ærumnarum magnitudine cruciati, ad Deum clamarent, & ad terram promissam aspirarent. *Amarus est mundus,* clamat Augustinus & *diligitur, putas si dulcis esset,*

qualiter amaretur? turbatur mundus, & amatur mundus, quid si tranquillus esset mundus? Flores ejus quomodo colligeres, qui à spinis non revocas manum?

Prov.17.v.3. *Secundò*, ut sic probetur virtus justorum. *Sicut*
c.27.v.6. *igne*, inquit Salomon, *probatur argentum, & aurum*
c.23.v.10. *camino, ita corda probat Dominus.* & Syracides: *Vasa*
c.12.v.13. *figuli probat fornax, & homines justos tentatio tribula-*
Ærumnæ multa nos docent. *tionis.* Hinc Job se à Deo probatum dixit *quasi aurum quod per ignem transit.* Et Tobiæ cæcitate per-
c.28.v.15. cusso Angelus dixit: *quia acceptus eras Deo, necesse*
Prov.29.16. *erat, ut probatio tentaret te.*

c.34.v.9. *Tertiò*, ut intellectus noster, maximè dum ad-
Gen.42.v.21 huc in peccatis hæremus, illuminetur. *Vexatio*, in-
Hesi. παθὼν δέ τε νήπιος ἔγνω: accepto damno stultus sapit. quit Esaias, *dabit intellectum.* Salomon: *Virga atque correptio tribuit sapientiam*, & Syrac. *Qui non est tentatus, quid scit?* Fratres Joseph non ante cognoverunt sceleris sui in ipsum patrari atrocitatem, quàm cum in afflictione dicerent: *Meritò hæc pa-*
Dan.4.v.34 *timur, quia peccavimus in fratrem nostrum.* Et rex
Luc.15.v.18. Nabuchodonosor beneficio tribulationum obti-
Syr.2.v.13. nuit, ut verum Deum & Regem in cœlis agno-
c.3.v.17. sceret. Filius prodigus quoque cauterio eorundem inustus agnovit miseriam suam, & ad domum paternam revertit.

Quartò, ut purgemur à peccatis, & eorum pœnis: beneficio enim afflictionum etiam pœnæ peccatis debitæ tolluntur, si patienter tolerentur. Nam S. Paulus ait: *A Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.*

Quintò, per multarum ærumnarum toleran-
1.Cor.11. tiam reddimur in hac vita beati, *Beati*, inquit, Ma-
Matt.5.v.10 gister veritatis, *qui persecutionem patiuntur pro-*
v.11. Gaudete, &c. *pter justitiam. Si quid patimini*, ait B. Petrus, *pro-*
pter justitiam, beati, &c. B. Jacobus: *Beatus vir, qui*
1.Pet.3.v.14 *suffert tentationem.* Et Job: *Beatus homo qui corripi-*
c.1.v.2. *tur à Deo.* In ærumnis certè pro Christo perpessis
c.5.v.17. sunt gaudium solatium, & gloria: ergo & bea-

titu-

titudo. Hinc Apostoli *ibant gaudentes*, &c. Et Paulus ait: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. Secundum*, &c. *Sicut abundant*, &c. B. Petrus rationem reddens, cur opprobria passi sint Beati, ait: *Quoniam quod est honoris gloria, & virtutis Dei, & qui est ejus spiritus super vos requiescet*. B. Job in tantam gloriam cessit invicta illa patientia in doloribus, ut non dubitet scribere B. Chrysostomus: *etiam fimum in quo sedebat Iob omni tribunali regio esse venerabiliorem, & multi nunc*, inquit, *longam transmarinam peregrinationem, à terra finibus suscipientes in Arabiam abeunt, ut fimum illum cernant, & conspicati terram deosculenter, quæ illius victoris certamina & cruorem omni auro pretiosiorem excepit*.

Act. 5. v. 41. 2. Cor. 7. v. 4. Ps. 93. v. 19. 1. Pet. 4. v. 14. Hom. 5. ad pop.

Sextò, in altera quoque vita nulli majora sunt parata præmia, quàm multa pro nomine Christi passis. Matth. 5. v. 3. *Beati pauperes* &c. *Beati estis cum maledixerint*, &c. *merces vestra copiosa est in cœlis*. 2. Cor. 4. v. 17. *Quod in præsenti*, &c. Heb. 12. v. 11. *Omnis disciplina* &c. Hac consolatione in calamitatibus suis erectus Beatus Job dicebat: *Scio quod Redemptor* &c. Idem spectabat Sanctus Tobias, cum in exilio his verbis filium solaretur: *Noli timere, pauperem quidem vitam*, &c. & S. Paulus *cum Romanis promitteret eos fore filios Dei* &c.

c. 19. v. 25. c. 4. v. 23. c. 8. & 25.

III. à NECESSITATE, quam exprimit S. Scriptura Actor. 14. v. 11. *Per multas tribulationes*, &c. 2. Tim. 3. v. 12. *Omnes qui pie volunt*, &c. Hinc infert S. August. in Psalm. 5. v. 5. *Si ergo non pateris pro Christo ullam tribulationem, vide ne nondum cœperis in Christo pie vivere*. Cui consentiunt hæc verba Christi Luc. 14. v. 27. *Qui non bajulat crucem suam, & venit post me, non potest esse meus discipulus*, hoc est, expers tribulationum non potest esse Christianus. Hebr. 12. v. 6. *Quem diligit Dominus castigat*, &c. Adhæc, lugendo adversa

mitigari non possunt, sed sæpè augentur, & geminantur, plerumque enim videmus impatientes & nimium dolori indulgentes, dolorem & luctum duplicare.

IV. *ab* EXEMPLO *ærumnosæ vitæ, & mortis Christi*, quod omnes Sancti, non solùm quotquot post Christum fuerunt, sed etiam quotquot ab orbe condito floruerunt, in primis sunt imitati. *Christus*, ait B. Petrus, *passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus*. & B. Paulus: *Recogitate*, &c.

1. Pet. 2. v. 21 Heb. 11. v. 3.

In PERORATIONE *monebis Auditores*, ut, quò facilius adversa ferant, exemplis Sanctorum insistentes, ad orationem confugiant, quam B. Augustinus (Serm. 22. de Temp.) *Clavem cœli vocat*: & B. Paulinus (epist. 31.) *naufragorum tabulam*, quæ inter fluctus tribulationum nos ad portum deducat, &, quia jacula prævisa minus feriunt, futuras afflictiones præmeditentur. Hoc enim præsidio munitus Anaxagoras, nuntiata filiorum morte, nihil turbatus respondit: *Sciebam me genuisse mortales*.

II. CONSOLATIO IN REBUS adversis.

Laert. lib. 4.

EXORDIUM: *à necessitate consolationis*: quòd sicut stultum esset, si quis accepto vulnere medelam omnem renueret; ita peccamus si in rebus adversis constituti, consolatione neglecta, hastam abjiciamus, & de salute desperemus.

PROPOSITIO: Te igitur; etsi ipse cum dolore lucteris, nec satis ad consolandum alios idoneus sis, tamen ea, quæ tuum in hac calamitate dolorem non mediocriter imminuerunt, & animum recreaverunt, Auditoribus adversæ fortunæ telis sauciis, propositurum.

Magnanimi militis nullo

CONFIRMATIONIS I. LOCUS *ab honesto*, quod

quod nihil tam deceat bonum virum, maximè Christianum quàm in rebus prosperis simul & adversis eundem semper vultum, eandemq; mentem retinere; omnia humana, quantumvis tristia & terribilia, contemnere, & infra se ponere, & propter ducem suum seu antesignanum Christum omnia adversa patienter ferre, nec committere, ut propter aliqua incommoda deserta nostra militia, ad inconcessa præsidia fugiamus.

periculo adversitatum à statione sua dimoveantur. Nihil indignius, quam in iisdem frangi & animum despondere.

II. *ab Honesto*, Cùm sciamus Deum nostrum amicum, imò patrem benevolentissimum, (cui salus nostra tantæ curæ est, ut etiam Unigeniti sui Filii sanguine & morte eam redemerit) nobis imponere crucem propter nostram salutem placidè illius voluntati nos subjicere debemus, sicut filios convenit parentibus suis obedire. *Amplificabis hoc à comparatis:* In hominis quem nobis favere putamus, gratiam sæpè aliquid adversi patienter toleramus, ut hoc nostro obsequio illius favorem & benevolentiam retineamus: multò magis idem faciendum nobis est in gratiam Patris nostri cœlestis.

Author calamitatum Deus. *Cic. lib. 5. epi. 16.*

III. *ab exemplo Christi*, qui cùm esset expers omnis peccati, & Deus æternus, unà cum Patre suo coæterno, pari potentia, majestate regnaret, adeò se subjecit cruci, tamq; ingentia mala passus est pro nobis, ut nihil ad illorum magnitudinem accedere possit. Cur ergo nos propter nostram salutem non perferremus levia & exigua mala, quæ à Deo nobis imponuntur.

Cic. l. 4. ep. 3. l. 3. ep. 16. 17. 19. l. 6. ep. 1. 2. 5. 4. 6. 21.

IV. *ab Exemplo omnium piorum*, qui multas ærumnas sustinuerunt.

V. *ab ingenti nostra miseria:* sumus enim natura obnoxii infinitis malis, & nullum malum est tantum, quod nobis propter peccatum non possit accidere; ajunt plus quam trecenta esse morborum genera, quibus infestemur, & quàm horrendis mo-

modis sæpissimè multi interierunt? quanta multitudo dæmonum, tyrannorum, detractorum, invidorum, & aliorum hostium nobis insidiatur, & omnia acerbissima mala machinatur? & tamen in tanto sævissimorum malorum agmine quod undique nos circumvallat; Deus clementer nos conservat, & quasi per mare rubrum ducit.

VI. *à fructibus calamitatum:* Nam *primo* efficiunt, ut nosmet ipsos cognoscamus: cùm enim res ad animi voluntatem fluunt, sortis nostræ obliviscimur: verùm cùm ærumnis premimur tum demum in nos descendimus, & quam misera massa simus intelligimus. *Secundo*, cum in iis intelligimus, nihil præsidii, opis, vel salutis ex nobis esse, incipimus ad Deum confugere, & ardentius ab illo auxilium petere, & denique totos nos illi tradere. Sicut ægrotus, cùm nullam spem recuperandæ sanitatis in sese reliquam videt, ad medicum sese penitus convertit, & totum sese illi commendat. *Tertiò*, hinc nascuntur humilitas (quæ nos Deo acceptos reddit.) timor Dei, & dilectio. *Quartò*, majore studio adversus lapsus futuros nos munimus, dum Deum oràmus, ut nos ex ærumnis liberet, & vitæ emendationem pollicemur. *Quintò*, sunt frænum cupiditatum animi effervescentium. Ut enim equus indomitus & ferox, nisi frænetur, nimia lascivia exultans, sibi ipsi exitio est: ita homo sine calamitate, nimium contumax fit, & subinde altius sese efferendo, tandem fœdissimè corruit. Quare ut luxuriantes pampinos succidi oportet, ne nimis latè sese diffundentes, vitis vires corrumpant: sic immoderati, & nimis ferventes motus cordis restringendi sunt, & retundendi ærumnis, ut humilius sese gerant, ne præcipitantia largius justè provecti, judicium & rationem præcurrant, seque indigna faciant. Hinc sapienter ab Epaminonda factum est:

Omnia παθήματα sunt μαθήματα cùm res prospera sunt, aliena, cum adversa proprio oculo utimur Crux autem spem nostram è terra ereptam in cælum transfert. Gignit in nobis præcipuas virtutes: & virtus in ærumnis (si luctetur cum adversitatibus) fit lucidior. Conducit ad cavenda futura mala. Domat, sedat, & ad modestiam flectit nimium animi ardorem. Carnes sale condiuntur, ne vermiment: caro

est: is enim cùm insignem victoriam adeptus esset, omnem magnificentiam & splendorem exuit, & postridie in concionem prodiens, nulla veste indutus fuit, interrogatusq; cur id faceret? respondit: *Vt frenum injiciam superbiæ quæ plerumq; felicitatis comes est.* *nostra cruce domanda est, ne efferuescat, effusè gestiat, & spiritum gubernatorem excutiat.*

Sextò sunt non solum symbolum, & nota filiorum & amicorum Dei: sed etiam signum post hanc calamitosam vitam testare vitam æternam, in qua pii, qui hoc miserrimi sunt omnium hominum, augustissima præmia, & post hanc fugacem calamitatem æternum gaudium recipient, ut è contrario impii pro momentanea voluptate, quia hic fruuntur æternum cruciatum. *Apoc. 3. Prov. 3. Heb. 12.*

Septimò, reddunt nos conformes imagini Filii Dei. Sicut igitur is non solùm graviter, afflictus est in hac vita, sed etiam ex afflictione emersit, & nunc ad dextram sui Patris sedet; ita nos, cum similiter affligamur, evehimur cum fratre nostro conformi Jesu Christi ad regnum cœlorum.

Octavò faciunt nos rectius intelligere bona, quæ habuimus. Hinc Cicero. *Tanquam bona valetudo jucundior est iis, qui è gravi morbo recreati sunt, quàm qui nunquam agro corpore fuerunt: sic cætera bona desiderata magis, quàm assidue percepta delectant.* *Ad Quirit. post reditũ.*

VII. *à Facili Primò* quia scimus quò durius affligimur eò propius Deum nobis adesse, ardentiusque nos complecti. Zach. 2. Deus pupillam suam tangi affirmat, cum nos incommodo aliquo afficiamur: apud Esaiam ait se gestare nos in alvo sua. Psalmus 91. affirmat Deum esse nobiscum in tribulatione. Christus ait ne capillum quidem cadere posse de capite nostro, nisi sciente & permittente Deo. *Secundò*, quia scimus calamitatem non fore perpetuam, sed citò desituram, & citò secuturam esse lætitiam ineffabilem. *Matth. 10. 1. Cor. 4. 17. Petrus vocat nos peregrinos seu hospites, subinde exspectantes & desiderantes patriam.*

 Ideo

Ideo ſacra Scriptura vocat afflictiones momentaneas & leves, polliceturque pro iis *æternum gloriæ pondus*. Ut enim in diverſorio malo morantes modeſtius quidquid adverſitatis objicitur toleramus, propterea quòd citò deſcedere cogitemus, & meliora ſperemus: ita cùm in hac vita affligimur, animus hac ſpe obfirmandus eſt, brevi ſecuturam tranquillitatem. *Tertiò*, quia facilius eſt ferre res adverſas, quàm ſecundas: cùm rarum ſit in proſpero rerum ſucceſſu non efferri. Hinc verſiculi iſti:

οὐχ ἧττον χαλεπὸν κρατερῶς καλὰ ἢ κακὰ πάσχειν.

Aut

πολλάκι καλὰ κακῶν ἀνέχειν χαλεπώτερον ἐστί.

Non minor eſt virtus bona, quam mala ferre modeſtè,

In EPILOGO *monebis Auditores*, ut hanc conſolationem altiſſimè animis infigant, & non ſolùm vera pœnitentia omnes calamitates avertant; ſed & SS. Euchariſtia, ſeu communione, ipſum gratiæ auctorem continente, ad eas ſuſtinendas ſe roborent, muniant, & confirment.

III. CONSOLATIO ÆGRI amici.

Cic. li. 1. ep. 5. lib. 3. ep. 20. lib. 4. ep. 1. 3. 5. 13. lib. 5. ep. 16. 18. lib. 6. ep. 1. 4. 22. lib. 4. ep. 5. lib. 5. ep. 18 li. 6. ep. 2. 17. lib. 7. ep. 16. Ier. 48. v. 16.

EXORDIUM *conſtabit* ἐνδείξει τῆς συμπαθείας, ſeu ſignificatione doloris, mœroris, & luctus ex amici morbo percepti, & modeſta virium, atq; ingenii tui in conſolando extenuatione.

PROPOSITIO habebit προτροπὴν ſeu adhortationem, ne ægrè nimis moleſteque morbum ferat.

In CONFIRMATIONE adhibebis argumenta, quibus æger adduci poſſe ut videtur, ſeſe colligat, atque erecto infractoque animo morbum ferat.

Primum ſumes à cauſa efficienti, & auctore morborum Deo, qui eos bono fine immittit, ut vitam noſtram

ſtram corrigamus. Atque hinc fieri dices, ut morborum aliarumque afflictionum expertes, in ſuis peccatis obdurati maneant, quòd exprobrat B. Jeremias Moabitis, docens ideò illos in ſceleribus perſtitiſſe, quod nunquam, ut filii Iſrael, captivi abducti ſint, aut cum adverſa fortuna conflictari.

Secundo ab effectis ſeu fructibus morborum: Nam *Primò* deducunt hominem in notitiam ſui & Dei. *Secundò* præſervant à peccatis. *Tertiò* augent ſi patienter tolerentur, gratiam & meritum: *Quartò* ſimilem Chriſto & Sanctis efficiunt. Chriſtus enim apud Eſaiam *Vir dolorum* dicitur, quia noſtros languores & infirmitates tulit. *Cap. 53. v. 3.* *Quinto*, ſupplent voluntariam ſatisfactionem pro peccatis. Hos fructus ſpectans *S. Petrus* Apoſtolus, noluit propriam filiam *S. Petronillam* cum febri conflictantem ſanitati reſtituere, ſciens illi id prodeſſe ad ſervandam virginitatem. Cùm enim quidam valdè mirarentur, cur cùm alios etiam ſola umbra curaret, non idem beneficium præſtaret filiæ, curavit quidem illam ad tempus, juſſitque diſcumbentibus miniſtrare, ſed miniſterio peracto, voluit eandem ad lectulum redire. Eadem de cauſa *Benjamin Eremita*, cùm ſola oratione alios infirmos curaret, noluit tamen ſeipſum intercutis morbo laborantem curare, *Trip. lib. 2. cap. 2.* rogabatque eos, qui ſui miſerebantur, ut non tam corporis, quàm animæ curam gererent, veniamque à Domino exorarent peccatorum, quæ ſanus commiſiſſet; itaque quòd peccator foret angebatur, quòd æger nihil. Eodem pertinet, quod in *S. Thomæ, Cantuarienſis* Archiep. vita proditum eſt, quendam valetudinis recuperandæ cauſa ſepulchrum eius adiiſſe, votique compotem factum. Deinde dubitare ſecum cœpiſſe, num ſanitas æquè ac prior morbus ad animæ ſalutem profutura eſſet, itaque ad ſepulchrum Martyris rediiſſe, petiiſſeque ſi ſanitas non pro-

desset, in morbum pristinum recideret, atque recidisse. De *S. Romito* Eremita legimus, cum quotannis gravi morbo tentaretur à Deo, doluisse, quòd uno anno liber esset, atq; si à Deo, tunc desertus fuisse. *Vit. Patr.*

Tertium ab exemplis Sanctorum, qui morbos etiam gravissimos patienter sustinuerunt. *S. Iob* toto prorsus corpore tabidus & putridus, & à planta pedis usque ad verticem capitis fœdo ulcere
1. confectus, & super hæc testa saniem radens, & sedens in sterquilinio, licet amicorum uxorisque conviciis valde exasperatus esset, nullum impatientiæ signum dedit, sed dixit: *Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non sustineamus? Affligens me dolore non parca, &c.* *Paula Romana*, teste Hieronymo ad Eustochium, cùm febri laboraret, & stomachi cruditate cibum non digereret, ut modico vino uteretur, nec medicorum placitis, nec Religiosorum suasibus, imò nec S. Epiphanii (quem Hieronymus submiserat) impelli potuit, nolens ab vitæ monasticæ instituto ne in ægritudine quidem declinare: multo enim tempore aquam bibens, magis expavit vini gustum, quàm infirmitatis periculum *S. Ægidius Atheniensis*, è stirpe Regia ad Rhodani ostia solitarius, cùm à venatoribus Regis Francorum sagitta incertum missa sauciatus esset, non modò medicinam corpori admittere noluit, sed etiam Deum oravit, ne læsa caro sanitatem reciperet, ut corporis dolor longius ab animo arceret cogitationes voluptatum. *Servulus* mendicus toto vitæ tempore paralysi laborans, authore B. Gregorio, ita ut in lectica jacens omnino se commovere non posset, semper in doloris accessionibus Deo gratias agebat, & hymnos decantabat; quare & moriens Angelorum recreatus concentu, & mortuus odore suavissimo domicilii locum complevit.

[Margin notes: *cap.* 1. — *cap.* 2. *v.* 19. — 2. *Hier.* 2. *ep.* 27 — 3. *Surius.* — 4. *l.* 4. *Dial. cap.* 14. & *Hom* 15. *in Evang.*]

Galla

Galla Romana, Symmachi consularis viri filia, teste eodem Gregorio, cum intra annos puellares, marito viduata, ægrotaret, corpore toto in tabificam scabredinem verso, medicis ajentibus morituram, nisi conjugium iteraret, vel mentum pilosum viri instar habituram, neglexit medicorum consilium, potius quidvis pati parata, quàm nubere. Mamillam deinde ulceribus plenam ita toleravit, ut morti proxima, apparente sibi B. Petro Apostolo, non ut curaretur rogaret, sed an sibi dimissa essent peccata. Quæ dimissa audiens, plus ex hoc consolationis cœpit, quàm ex morbo doloris. *Hildegardis* virgo nobilissima Bingensis, licet morbis continenter vexata in lecto decumberet, ipsius mortis imago, tamen mirandis claruit visionibus futurorumque prædictionibus, omnesque ægrotos tum ad se venientes, tum etiam absentes (in somnis eis apparens) sanitati restituit.

5. 4. *Dial c.13. Vide Ducem peccatorum P. Lud. Granatens. l.1. part.2. c.24.*

6. *Sur.17.Sept. Cic.l.1.ep.6. lib 4.ep.5. l.6.ep.2.4.5. 10.13.14.*

Epilogus *constabit adhortatione ad animi magnitudinem, & fugam peccatorum*, cùm Scriptura sacra doceat, peccata nostra plerumque morborum causam esse, seu morbos non omnes à natura, vel à vitiosa victus ratione ortum ducere, sed sæpè esse peccatorum nostrorum flagella (*Hebr.12. v.6. 1.Cor.11. v.30.*)

Hic in c.9. Matt. Paralytico; Remittuntur tibi peccata. *Ioan.5 v 14.* Noli amplius peccare.

IV. CONSOLATIO IN DAMNO rerum temporalium.

IN Exordio *referes ex Herodoto:* Cùm Rex Xerxes spectaret è lapide suas copias terrestres & classes, & tandem ob nimiam fortunæ instabilitatem & rerum humanarum fragilitatem lacrymans diceret, reputanti sibi, quàm brevis esset omnis vita humana, ex gravi commiseratione à se effusas esse lachrymas, quod nemo ex tot fortissimis viris post centesimum annum superfutu-

rus

rus esset. Artabanum, quia omnes fortunæ status erat expertus, respondisse: *At qui ô Xerxes, sunt alia adhuc in vita nostra multo miserabiliora, quam hoc est, non solum non vivet ullus nostrum post tot annos, verùm etiam in tam brevi vitæ curriculo, quod nobis conceditur, nullus hominum neque horum, neque aliorum adeò felix erit, cui non crebro subeat animo moriendi voluntas, quàm vivendi. Nam multæ magnæ calamitates irruentes, morbique varii adeò vitam perturbant, ut etiamsi brevis revera sit, longissima tamen videatur.*

Propositio. Te in hac communi necessitate ferendi calamitates eos, qui hoc Belgico funestissimo bello jacturam bonorum suorum temporalium fecerunt, ad patientiam incitaturum.

Confirmationis I. Locus *ab effectis seu gravibus curis*, quibus multæ opes mentem pungunt & discruciant, ut meritò Dominus eas appellet Spinas: Spina enim *primò*, & dolorem creat, cùm infigitur; & cum infixa manet, & cum extrahitur: sic divitiæ magno labore acquiruntur, majore timore conservantur, & maximo dolore amittuntur.

Matt.3.v.12.

Secundò, Spinæ suffocant semen; quia 1. humorem terræ exhauriunt, ut nihil suppetat semininis. 2. solem & imbrem excludunt. 3. crescentes è terra aristas impediunt. Sic amor divitiarum 1. omnem divini amoris pinguedinem exhaurit *Si quis diligit mundum, Patris charitas non est in eo.* 2. solem divinæ gratiæ non magis admittit, quàm clausa spelunca solis radios, imò & imbrem divini eloquii impedit, quò minus in cor defluat. 3. conantem se ad cœlestia cogitanda erigere, & de animæ salute seria tractare, ita amor ille opum deprimit, ut quod sanctè proposuit, fortiter exequi non valeat, totus ei rei deditus, cuius amore tenetur: *Vbi enim thesaurus tuus*, ait Christus, *ibi & cor tuum.*

1.Ioan.2.
Ioan.15.19. Mundus quod suum est diligit.

Unde

Unde S. Antonius de Padua, vir prophetico spiritu plenus, in concione funebri pro usurario habita, ait: *Mortuus est hic dives: & sepultus est in inferno, ite ad thesaurum ejus, & in illius medio invenietur cor ejus.* Corpore jam humato, abierunt parentes & amici, & cor adhuc calidum inter nummos invenerunt.

Tertiò, uti spineta sunt latibula venenatorum animalium: sic & divitiæ vitiorum. Ubi enim magnæ opes, ibi fastus, ambitio, luxus, gula, comessationes, ebrietates, & ipse diabolus. Hinc Diogenes divitias vocavit velamentum malitiæ. Certè causam præbere divitias multis tentationibus docet Syracides c.31.v.6. & c.11.v.10. & S. Paulus 1. ad Tim.6.v.9. cum ait: *Qui volunt divites* &c. *Laert. l. 6.*

II. Locus *à præcepto Christi* (ne de victu, & amictu, seu rebus temporalibus, soliciti simus more gentilium) quod extat Matth. 6. v. 25. ubi etiam promittit necessaria non defutura, sicut nec (v.33.) volatilibus cœli, si primum quæramus regnum Dei: *Et Apostoli Pauli*, ut contenti simus victu & amictu. 1. ad Tim. 6. v. 8. *Habentes alimenta, & quibus tegamur his contenti simus.* *Prov 30.8. Tribue tantum victui necessaria, &c.*

III. *ab Exemplo Christi*, nostri ducis, & antesignani, pastoris & magistri, imò creatoris & Redemptoris, *qui propter vos*, inquit Apostolus, *egenus factus est, cùm esset dives, ut ejus inopia vos divites essetis*, &c. Hic paupertatem, statim cum infans in stabulo nasceretur, & pannis involveretur, est professus, atque huic pauperi initio respondit reliquus eius vitæ progressus, (quia dixit: *Vulpes foveas habent*, &c.) & exitus, cùm nudus in cruce exspiravit. *2. Cor. 8. v. 9* *Matt. 8. 20.*

IV. *Ab exemplis innumerabilium Sanctorum*, qui Christi de paupertate consilium & exemplum sponte sunt secuti. & *Primò* quidem secuti sunt *Apostoli*, quorum nomine exclamavit B. Petrus: *Matt. 16. 21. adolescenti diviti consulit perfectam paupertatem, qua omnia deseruntur.*

Matt. 16 27. *Ecce nos reliquimus omnia. Secundò primi Christiani,* Act. 4. v 35. qui pecuniam ex agris divenditis confectam ad Heb. 10. 24. pedes Apostolorum deposuerunt, nec ampliùs Matth. 5. quicquam suum esse dixerunt. *Tertiò. Martyres* & & 11. alii, qui, *rapinam bonorum suorum,* ut loquitur Paulus, *cum gaudio susceperunt,* ne Christum desererent, *cognoscentes se habere meliorem & manentem substantiam. Quartò, Eremitæ:* Paulus, Antonius, Hilarion, Arsenius, Macarii, & alii eorum sectatores innumeri, qui omnibus opibus desertis, arctissimam in victu & amictu paupertatem professi sunt, ad exemplum Joannis Baptistæ. *Quintò, Ordinum Religiosorum fundatores,* Basilius, Augustinus, Benedictus, Bruno, Franciscus, Ignatius, & quotquot eorum leges vel Regulas susceperunt. *Sextò,* qui deserto regno, principatu, vel magnis opibus extremam paupertatem, vel mendicitatem elegerunt, ut S. Alexius, S. Rochus, S. Joannes Calybita, S. Judocus &c.

V. *Ab exemplis multorum gentilium Philosophorum,* qui sola natura rationeque naturali duce non solùm sermone & scriptis, sed etiam vitæ exemplo divitias paupertati posthabuerunt. Sanctus Epist 13. Hieronymus: *Crates ille Thebanus*, inquit, *homo quondam ditissimus, cum ad Philosophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abjecit, nec putavit se simul posse virtutes & divitias possidere.* Et lib. 2. contra Jovin. *Crates*, ait, *ille Thebanus, projecto in mari magno auri pondere: Abite, inquit, pessum mala cupiditates, ego vos mergam, ne ipse mergar à vobis.*

VI. *Ab exemplis eorum*, qui patienter omnium vel quarundam facultatum suarum jacturam tulerunt, ut patientissimi *Iob, qui ad omnem acerbum* Vide in speculo meo bonorum Eccle- siast. exempla *nuntium nihil ex ore,* ut loquitur. Tertull. de Pat. *prompsit, nisi Deo gratias, & Ezechia* Regis qui (4. Reg. 20. v. 19.) cum audiisset omnes opes suas in

Baby-

Babylonem transferendas, eò quòd illas Babylonii Regis legatis nimis jactanter ostendisset; animo turbatus non est, sed respondit: *Bonus sermo Domini, quem locutus es. Si tantum pax in diebus meis*, qua patientiæ humilitate meruit, ut regiæ gazæ direptio ad successores eius Joachim & Sedechiam differretur, quando & populus ob scelera sua tractus est in captivitatem. Inde ab exordio Christianismi innumerabiles Christiani per annos 300. in variis persecutionibus rapinam omnium facultatũ suarum libenter sustinuere. *S. Elisabeth* Hungarorum Regina, Ludovici Landgravii conjux, mortuo marito ab Hassiæ magnatibus arce pulsa cum liberis, omnibusq; facultatibus spoliata est. *Magnates*, inquit Philippus Montanus Spirensis historiæ scriptor, *qui Henrico, defuncti principis fratri, per ætatem ad regni gubernacula nondum idoneo, adhærebant, posthabito Dei timore ac publica honestate Christi famulam fortunis omnibus exutam ceu ignobilem aliquam arce coëgerunt excedere, idq; eo modo, ut vix quisquam hospitio ejectam excipere auderet propter sævitiam, qua crudeles illi in eam bacchabantur. Quo tempore ipsa humano solatio planè destituta, ad cœnobium Fratrum Minorum veniens, Hymnum, quem* Te Deum laudamus, *vocant, decantari obnixè rogavit, præclarè secum statuens, Christi nomen multò magis in adversis, quàm prosperis rebus hymnis & laudibus prosequendum esse.*

Spiridionis, Stephani Libertini, S. Medardi, &c. De his ad Heb. 10. v. 34 Sur. 19. Nov.

Syr. 5. v. 14. sicut egressus, &c.

In EPILOGO *monebis Auditores*, ut non dicta solùm diligenter ponderent, sed etiam cogitent omnia bona fortunæ à Deo nobis esse data commodatò, atque aliena potius esse, quàm propria, quod indicavit B. Job, cum iis ereptis dixit: *Dominus dedit, Dominus abstulit. Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc.* Unde sancti patres ex parabola de villico iniquitatis collegerunt, divites non esse opum suarum dominos,

1. Tim. 6. v. Nihil intulimus, &c. Sunt propria Dei. *Psal. 49. v. 1.* Domini est terra, &c. *Agg. 2. v. 9.* Meum est argentum, &c.

sed

Luc 16. v.1. sed dispensatores. Ad hæc hortaberis ipsos, ut mo-
Psal. 6. deratius ament bona fortunæ; quò enim impen-
Divitiæ si affluant, &c. sius ea amabunt, hoc eorum amissione vehemen-
tius contristabuntur, unde B. Job mentem suam
c.31.v.24. contra omnia adversa impendentia roborans: *Si putavi aurum, &c.*

V. CONSOLATIO, VEL PARÆNESIS ad patientiam in morte cognatorum, parentum, liberorum, fratrum, sororum, mariti, uxoris, &c.

IN EXORDIO *docebis ex S. litteris*, non esse illicitum luctum pro mortuis, eò quòd sanctissimi quique exitum suorum deplorârunt: ut Abraham mortem Saræ uxoris: & Joseph cum fratribus suis mortem patris sui Jacob: Hebræi mortem Moysis: David mortem Saulis, Jonathæ, & filii Absolonis: ipse Christus Lazari, & Act. 8. v. 2. *viri timorati* dicuntur planxisse *planctu magno* ob mortem B. Stephani.

Modus in luctu, ut & in aliis rebus adhibendus. Omne nimium est inimicum naturæ.

In PROPOSITIONE: Te ut dolorem Auditorum, si non sanare, utcunq; tamen levare queas, mortuos nequaquam immoderatè esse lugendos probaturum.

1.Thess.4.12. Lachrymis nihil proficimus.

CONFIRMATIONIS I. LOCUS *Ab in commodis immodici luctus.* Nam *Primò*, qui plus æquo indulget luctui in charorum obitu, is & jacturam quodammodo facit fidei in Christum & spei, ut indicat Apostolus, cùm ait: *Non contristandum de dormientibus*, instat gentilium, *qui spem non habent* alterius vitæ. *Secundò*, quia immoderatio luctus multòs conjecit in graves morbos, vel etiam è medio sustulit, licet conarentur illum supprimere. *Tertiò*, quia ea immoderatione ostendimus nos non solùm divinæ, sed etiam propriæ, quod ridiculum est, repugnare voluntati, cùm tamen sapien-

pientissimi & optimi ac justissimi Dei voluntate & providentia id fiat, quòd non solùm est justissimum, sed etiam consultissimum & optimum, & quotidie in Oratione Dominica dicamus: *fiat voluntas tua, &, adveniat regnum tuum* S. Hieronymus ad Paulam: *Bonus*, inquit, *est Deus & omnia quæ bonus facit bona sint necesse est.* Et: *Vnicus filius raptus est; durum quidem, sed tolerabile quia sustulit ille, qui dederat.* Et S. Cyprianus de mortal. *Quàm præposterum est, quamque perversum, ut cum Dei voluntatem fieri postulemus, quando evocat nos & accersit de hoc mundo Deus, non statim voluntatis ejus imperio pareamus.* Et: *Quid ergo rogamus & petimus, ut adveniat regnum cœlorum si captivitas terrena delectat?*

II. *Ab utili seu commodis maturæ mortis:* quia enim evocari à Deo ex hac vita, non est aliud, quam animam nostram, quæ corpori tanquam carceri inclusa est, liberari è carcere, & ex misertima carnis, mundi, & diaboli servitute in perfectam libertatem vindicari: certè non est plorandum, sed gaudendum in obitu piorum; sanguine vel amicitia conjunctorum; imò magis gaudendum est de iis, qui in puerili; vel alia florenti ætate moriuntur, quàm qui senectute; quia citius è carcere vel captivitate liberantur. Hinc Cyprianus de mortal. *Per Salomonem*, ait, *Spiritus S. docet, qui Deo placeant, maturius hinc eximi, & citius liberari, ne dum in isto mundo diutius immorantur, mundi contagibus polluantur.* S. Basilius Hom. 5. in Martyrem Julittam: *Non audis*, ait, *dicentem David:* Educ de carcere animam meam? *multifariam angorem molestiamque indicantem*, &c. Et: *Simeon Dominum nostrum suo ulnarum astringens complexu, ejusmodi vocem emisit:* Nunc dimittis servum tuum Domine. *Ei enim, qui ad cœleste domicilium festinus contendit, omni carcere gravior est hac in habitatio corporis.*

Multis malis beneficio mortis liberamur. Syr. 40. v. 1. Psal. 141. v. 8 Luc. 2. v. 26.

A moriendi necessitate nullus, quantumvis sanctus, potens; aliisque donis praeditus, est exceptus.

III. *Ab invitabili necessitate moriendi omnibus hominibus communi:* Quis enim perpetuo vixit, & mortis inexorabilis vincula effugit? mortales sumus sicut lilia & flores omnes: ut ergo gramina corrumpi, & solem occidere non ægrè patimur; sic hominem mori æquo animo ferendum est.

Hom. 4. de grat actione. Iob 1. v. 22. Deum liberis praefert. In 2. Thess. 4. v. 12. 2. Reg. 12. 20 & 13. v. 31.

VI. *Ab exemplis fidelium*, qui siccis oculis liberorum aliorumque funera pertulerunt. Job cùm universa liberorum turba periisset, *Non ejulavit*, ait S. Basilius, *non sibi evulsit comam, vocem ingenerosam nullam emisit; magis verò celebrem illam, & omnium ore decantatam gratiarum actionem deprompsit:* Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum. Cum Patriarcha Abraham *unicum suum filium sua manu interficere mandaretur, non restitit*, ait S. Chrysost. *imperanti, non rationem facti poposcit; sed tanta cum alacritate paruit, ut & plura quoque si imperata essent, facturus fuisset.* S. Ambros. oratione de obitu Valentiniani: *David*, ait, *moriturum filium flebat: mortuum non dolebat*, &c. Mater Machabæorum ob mortem septem filiorum lachrymis & luctui sese non tradidit, sed Deo egit gratias, quòd illos igne, ferro, aliisque suppliciis ab hac carne dissolvisset. Idem dici potest de S. Felicitate spectatrice Martyrii 7. filiorum, & de S. Symphorosa item 7. filiorum Martyrum matre. S. Hieronymus de S. Melania: *Calente*, ait, *adhuc mariti corpusculo, & necdum humato, duos simul perdidit filios*, &c. *Quis illam tunc non putaret more lymphatico, sparsis crinibus, veste conscissa, lacerum pectus invadere? lachrymæ gutta non fluxit, stetit immobilis, & ad pedes advoluta Christi, quasi ipsum teneret, arrisit, expeditius, inquit, tibi servitura sum Domine, quia tanto me onere liberasti.*

Epist. 15. Plura exempla vide in epist S. Hier. ad Heliodor. & in consolat. Seneca ad Mariam c. 24.

V. *Ab exemplis gentilium*, qui ab immoderata illa suorum deploratione abstinuerunt. Anaxagoras,

ras, & Telamon nunciata morte filii, responderunt, *sciebam me genuisse mortalem.* a hæ-ris

In EPILOGO, monebitis Auditores, ut cogitent etiam sibi paulò post esse moriendum, & amorem liberorum, uxoris aliarumque rerum charissimarum amori Dei postponant; tum quia primum & maximum mandatum est, de Deo ex toto corde, anima visceribus, diligendo; tum quia Christus disertè contestatus est: *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus.* Et: *Qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus.* Matth. 10. v.37.

VI. VITVPERATIO HYDROPIS divitiarum seu Avaritiæ.

EXORDIUM *ducetur à dignitate nostræ conditionis*, qui ad hoc solum creati sumus, & in hoc redempti, ut summo illo bono semper fruamur; totam verò hanc mundi machinam fabricatus est Deus, ut omnia nostris servirent usibus.

PROPOSITIO: Cùm igitur admodum sordidum sit, & angusti animi, pauperes Christi discipulos, & ad longè meliorem possessionem vocatos, res mortuas & vilissimas, quas etiam gentiles magno animo contempserunt, ut magnum quiddam admirari, decretum tibi esse dices, Auditores ab ardente cumulandi divitias siti dehortari.

CONFIRMATIONIS I. LOCUS, *ab effectis hujus morbi.* PRIMÒ, Quòd regno cœlorum nos excludat, & æternis inferni pœnis addicat. Sic enim loquitur Propheta Baruch: *Vbi sunt qui argentum thesaurizant, & aurum in quo confidunt homines? exterminati sunt, & ad inferos descenderunt.* Et Christus: *Væ vobis divitibus, qui habetis hic consolationem vestram.* Et: *Facilius est camelum,* &c. Tum S. Jacobus: *Agite nunc divites,* &c. Bar. 3. v. 14. Greg. 4. mor. c. 3. *Qui hic multiplicandis divitiis inhiant, qui alterius vitæ gaudia sperent?*

SECUNDÒ, Quòd insana hæc divitiarum appetitio semper cum proximi injuria sit conjuncta. Cap. 5. v. 1. Col. 3. ava-

A moriendi necessitate nullus, quantumvis ſanctus, potens; aliisque donis præditus, eſt exceptus.

III. *Ab invitabili neceſſitate moriendi omnibus hominibus communi:* Quis enim perpetuo vixit, & mortis inexorabilis vincula effugit? mortales ſumus ſicut lilia & flores omnes: ut ergo gramina corrumpi, & ſolem occidere non ægrè patimur; ſic hominem mori æquo animo ferendum eſt.

Hom. 4. de grat actione. Iob 1.v.22. Deum liberis præfert.

In 2.Theſſ.4. v.12.

2.Reg.12.20 & 13.v.31.

VI. *Ab exemplis fidelium*, qui ſiccis oculis liberorum aliorumque funera pertulerunt, Job cùm univerſa liberorum turba periiſſet, *Non ejulavit*, ait S. Baſilius, *non ſibi evulſit comam, vocem ingeneroſam nullam emiſit; magis verò celebrem illam, & omnium ore decantatam gratiarum actionem deprompſit:* Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt. Sit nomen Domini benedictum. Cum Patriarcha Abraham *unicum ſuum filium ſua manu interficere mandaretur, non reſtitit,* ait S. Chryſoſt. *imperanti, non rationem facti popoſcit; ſed tanta cum alacritate paruit, ut & plura quoq; ſi imperata eſſent, facturus fuiſſet.* S. Ambroſ. oratione de obitu Valentiniani: *David*, ait, *moriturum filium flebat: mortuum non dolebat*, &c. Mater Machabæorum ob mortem ſeptem filiorum lachrymis & luctui ſeſe non tradidit, ſed Deo egit gratias, quòd illos igne, ferro, aliisque ſuppliciis ab hac carne diſſolviſſet. Idem dici poteſt de S. Felicitate ſpectatrice Martyrii 7. filiorum, & de S. Symphoroſa item 7. filiorum Martyrum matre. S. Hieronymus de S. Melania: *Calente*, ait, *adhuc mariti corpuſculo, & necdum humato, duos ſimul perdidit filios*, &c. *Quis illam tunc non putaret more lymphatico, ſparſis crinibus, veſte conſciſſa, lacerum pectus invadere? lachrymæ gutta non fluxit, ſtetit immobilis, & ad pedes advoluta Chriſti, quaſi ipſum teneret, arriſit, expeditius, inquit, tibi ſervitura ſum Domine, quia tanto me onere liberaſti.*

Epiſt.15. Plura exempla vide in epiſt S.Hier. ad Heliodor. & in conſolat. Seneca ad Mariam c.24.

V. *Ab exemplis gentilium*, qui ab immoderata illa ſuorum deploratione abſtinuerunt. Anaxagoras,

ras, & Telamon nuntiata morte filii, responderunt, *sciebam me genuisse mortalem.* *a ha-is*

In EPILOGO, monebitis Auditores, ut cogitent etiam sibi paulò post esse moriendum, & amorem liberorum, uxoris aliarumque rerum charissimarum amori Dei postponant; tum quia primum & maximum mandatum est, de Deo ex toto corde, anima visceribus, diligendo; tum quia Christus disertè contestatus est: *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus.* Et: *Qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus.* *Matth. 10. v. 37.*

VI. VITUPERATIO HYDROPIS divitiarum seu Avaritiæ.

EXORDIUM *ducetur à dignitate nostræ conditionis,* qui ad hoc solum creati sumus, & in hoc redempti, ut summo illo bono semper fruamur; totam verò hanc mundi machinam fabricatus est Deus, ut omnia nostris servirent usibus.

PROPOSITIO: Cùm igitur admodum sordidum sit, & angusti animi, pauperes Christi discipulos, & ad longè meliorem possessionem vocatos, res mortuas & vilissimas, quas etiam gentiles magno animo contempserunt, ut magnum quiddam admirari, decretum tibi esse dices, Auditores ab ardente cumulandi divitias siti dehortari.

CONFIRMATIONIS I. LOCUS, *ab effectis hujus morbi.* PRIMÒ, Quòd regno cœlorum nos excludat, & æternis inferni pœnis addicat. Sic enim loquitur Propheta Baruch: *Ubi sunt qui argentum thesaurizant, & aurum in quo confidunt homines? exterminati sunt, & ad inferos descenderunt.* Et Christus: *Væ vobis divitibus, qui habetis hic consolationem vestram.* Et: *Facilius est camelum,* &c. Tum S. Jacobus: *Agite nunc divites,* &c. *Bar. 3. v. 14. Greg. 4. mor. c. 3. Qui hic multiplicandis divitiis inhiant, qui alterius vitæ gaudia sperent?*

SECUNDÒ, Quòd insana hæc divitiarum appetitio semper cum proximi injuria sit conjuncta. *Cap. 5. v. 1. Col. 3. ava-*

 Hinc

A moriendi necessitate nullus, quantumvis sanctus, potens, aliisque donis praeditus, est exceptus.

III. *Ab invitabili necessitate moriendi omnibus hominibus communi:* Quis enim perpetuo vixit, & mortis inexorabilis vincula effugit? mortales sumus sicut lilia & flores omnes: ut ergo gramina corrumpi, & solem occidere non ægrè patimur; sic hominem mori æquo animo ferendum est.

Hom. 4. de grat. actione. *Iob 1. v. 22.* *Deum liberis praefert.*

VI. *Ab exemplis fidelium*, qui siccis oculis liberorum aliorumque funera pertulerunt. Job cùm universa liberorum turba periisset, *Non ejulavit*, ait S. Basilius, *non sibi evulsit comam, vocem ingenerosam nullam emisit; magis verò celebrem illam, & omnium ore decantatam gratiarum actionem deprompsit:* Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum. Cum Patriarcha Abraham *unicum suum filium sua manu interficere mandaretur, non restitit*, ait S. Chrysost. *imperanti, non rationem facti poposcit; sed tanta cum alacritate paruit, ut & plura quoq; si imperata essent, facturus fuisset.* S. Ambros. oratione de obitu Valentiniani: *David*, ait, *moriturum filium flebat: mortuum non dolebat*, &c. Mater Machabæorum ob mortem septem filiorum lachrymis & luctui sese non tradidit, sed Deo egit gratias, quòd illos igne, ferro, aliisque suppliciis ab hac carne dissolvisset. Idem dici potest de S. Felicitate spectatrice Martyrii 7. filiorum, & de S. Symphorosa item 7. filiorum Martyrum matre. S. Hieronymus de S. Melania: *Calente*, ait, *adhuc mariti corpusculo, & necdum humato, duos simul perdidit filios*, &c. *Quis illam tunc non putaret more lymphatico, sparsis crinibus, veste conscissa, lacerum pectus invadere? lachrymæ gutta non fluxit, stetit immobilis, & ad pedes advoluta Christi, quasi ipsum teneret, arrisit, expeditius, inquit, tibi servitura sum Domine, quia tanto me onere liberasti.*

In 2. Thess. 4. v. 12. *2. Reg. 12. 20 & 13. v. 31.* *Epist. 15.* *Plura exempla vide in epist. S. Hier. ad Heliodor. & in consolat. Seneca ad Mariam c. 24.*

V. *Ab exemplis gentilium*, qui ab immoderata illa suorum deploratione abstinuerunt. Anaxagoras,

tas, & Telamon nunciata morte filii, responderunt, *a ha-*
sciebam me genuisse mortalem. *tis*

In EPILOGO, monebitis Auditores, ut cogitent etiam sibi paulò post esse moriendum, & amorem liberorum, uxoris aliarumque rerum charissimarum amori Dei postponant; tum quia primum & maximum mandatum est, de Deo ex toto corde, anima visceribus, diligendo; tum quia Christus disertè contestatus est: *Qui amat patrem aut ma-* *Matth. 10.*
trem plus quàm me, non est me dignus. Et: *Qui amat* *v.37.*
filium aut filiam super me, non est me dignus.

VI. VITVPERATIO HYDROPIS divitiarum seu Avaritiæ.

EXORDIUM *ducetur à dignitate nostræ conditionis,* qui ad hoc solum creati sumus, & in hoc redempti, ut summo illo bono semper fruamur; totam verò hanc mundi machinam fabricatus est Deus, ut omnia nostris servirent usibus.

PROPOSITIO: Cùm igitur admodum sordidum sit, & angusti animi, pauperes Christi discipulos, & ad longè meliorem possessionem vocatos, res mortuas & vilissimas, quas etiam gentiles magno animo contempserunt, ut magnum quiddam admirari, decretum tibi esse dices, Auditores ab ardente cumulandi divitias siti dehortari.

CONFIRMATIONIS I. LOCUS, *ab effectis* *Bar.3.v.14.*
hujus morbi. PRIMÒ, Quòd regno cœlorum nos *Greg.4.mor.*
excludat, & æternis inferni pœnis addicat. Sic e- *c.3. Qui hic*
nim loquitur Propheta Baruch: *Ubi sunt qui argen-* *multiplican-*
tum thesaurizant, & aurum in quo confidunt homines? *dis divitiis* *inhiant, quid*
exterminati sunt, & ad inferos descenderunt. Et Chri- *alterius vitæ*
stus: *Væ vobis divitibus, qui habetis hic consolationem* *gaudia spe-*
vestram. Et: *Facilius est camelum,* &c. Tum S. Jaco- *rent?*
bus: *Agite nunc divites,* &c.

SECUNDÒ, Quòd insana hæc divitiarum ap- *Cap. 5. v. 1.*
petitio semper cum proximi injuria sit conjuncta. *Col.3. ava-*

A moriendi necessitate nullus, quantumvis sanctus, potens; aliisque donis praeditus, est exceptus.

III. *Ab invitabili necessitate moriendi omnibus hominibus communi:* Quis enim perpetuo vixit, & mortis inexorabilis vincula effugit? mortales sumus sicut lilia & flores omnes: ut ergo gramina corrumpi, & solem occidere non ægrè patimur; sic hominem mori æquo animo ferendum est.

Hom. 4. de grat actione. Iob 1. v. 22. Deum liberis prafert. In 2. Thess. 4. v. 12. 2. Reg. 12. 20 & 13. v. 31.

VI. *Ab exemplis fidelium*, qui siccis oculis liberorum aliorumque funera pertulerunt. Iob cùm universa liberorum turba periisset, *Non ejulavit*, ait S. Basilius, *non sibi evulsit comam, vocem ingenerosam nullam emisit; magis verò celebrem illam, & omnium ore decantatam gratiarum actionem deprompsit:* Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum. Cum Patriarcha Abraham *unicum suum filium sua manu interficere mandaretur, non restitit,* ait S. Chrysost. *imperanti, non rationem facti poposcit; sed tanta cum alacritate paruit, ut & plura quoq; si imperata essent, facturus fuisset.* S. Ambros. oratione de obitu Valentiniani: *David*, ait, *moriturum filium flebat: mortuum non dolebat,* &c. Mater Machabæorum ob mortem septem filiorum lachrymis & luctui sese non tradidit, sed Deo egit gratias, quòd illos igne, ferro, aliisque suppliciis ab hac carne dissolvisset. Idem dici potest de S. Felicitate spectatrice Martyrii 7. filiorum, & de S. Symphorosa item 7. filiorum Martyrum matre. S. Hieronymus de S. Melania: *Calente*, ait, *adhuc mariti corpusculo, & necdum humato, duos simul perdidit filios,* &c. *Quis illam tunc non putaret more lymphatico, sparsis crinibus, veste conscissa, lacerum pectus invadere? lachryma gutta non fluxit, stetit immobilis, & ad pedes advoluta Christi, quasi ipsum teneret, arrisit, expeditius, inquit, tibi servitura sum Domine, quia tanto me onere liberasti.*

Epist. 15. Plura exempla vide in epist S. Hier. ad Heliodor. & in consolat. Seneca ad Mariam c. 24.

V. *Ab exemplis gentilium*, qui ab immoderata illa suorum deploratione abstinuerunt. Anaxago-

ras,

tas, & Telamon nunciata morte filii, responderunt, *sciebam me genuisse mortalem.* ᵃ *ha- ris*

In EPILOGO, monebitis Auditores, ut cogitent etiam sibi paulò post esse moriendum, & amorem liberorum, uxoris aliarumque rerum charissimarum amori Dei postponant; tum quia primum & maximum mandatum est, de Deo ex toto corde, anima visceribus, diligendo; tum quia Christus disertè contestatus est: *Qui amat patrem aut ma-* *Matth.* 10. *trem plus quàm me, non est me dignus.* Et: *Qui amat* *v.* 37. *filium aut filiam super me, non est me dignus.*

VI. VITUPERATIO HYDROPIS divitiarum seu Avaritiæ.

EXORDIUM *ducetur à dignitate nostræ conditionis,* qui ad hoc solum creati sumus, & in hoc redempti, ut summo illo bono semper fruamur; totam verò hanc mundi machinam fabricatus est Deus, ut omnia nostris servirent usibus.

PROPOSITIO: Cùm igitur admodum sordidum sit, & angusti animi, pauperes Christi discipulos, & ad longè meliorem possessionem vocatos, res mortuas & vilissimas, quas etiam gentiles magno animo contempserunt, ut magnum quiddam admirari, decretum tibi esse dices, Auditores ab ardente cumulandi divitias siti dehortari.

CONFIRMATIONIS I. LOCUS, *ab effectis* *Bar.* 3. *v.* 14. *hujus morbi.* PRIMÒ, Quòd regno cœlorum nos *Greg.* 4. *mor.* excludat, & æternis inferni pœnis addicat. Sic e- *c.* 3. *Qui hic* nim loquitur Propheta Baruch: *Ubi sunt qui argen-* *multiplicandis divitiis* *tum thesaurizant, & aurum in quo confidunt homines?* *inhiant, qui* *exterminati sunt, & ad inferos descenderunt.* Et Chri- *alterius vitæ* stus: *Væ vobis divitibus, qui habetis hic consolationem* *gaudia sperent?* *vestram.* Et: *Facilius est camelum,* &c. Tum S. Jacobus: *Agite nunc divites,* &c.

SECUNDÒ, Quòd insana hæc divitiarum ap- *Cap.* 5. *v.* 1. petitio semper cum proximi injuria sit conjuncta. *Col.* 3. *ava-*

Luc 16. v. 1. sed dispensatores. Ad hæc hortaberis ipsos, ut mo-
Psal. 6. deratius ament bona fortunæ; quò enim impen-
Divitiæ si fius ea amabunt, hoc eorum amissione vehemen-
affluant, &c. tius contristabuntur, unde B. Job mentem suam
c. 31. v. 24. contra omnia adversa impendentia roborans: *Si putavi aurum, &c.*

V. CONSOLATIO, VEL PARÆNESIS ad patientiam in morte cognatorum, parentum, liberorum, fratrum, sororum, mariti, uxoris, &c.

IN EXORDIO *docebis ex S. litteris*, non esse illicitum luctum pro mortuis, eò quòd sanctissimi quique exitum suorum deplorârunt: ut Abraham mortem Saræ uxoris: & Joseph cum fratribus suis mortem patris sui Jacob: Hebræi mortem Moysis: David mortem Saulis, Jonathæ, & filii Absolonis: ipse Christus Lazari, & Act. 8. v. 2. *viri timorati* dicuntur planxisse *planctu magno* ob mortem B. Stephani.

Modus in luctu, ut & in aliis rebus adhibendus. Omne nimium est inimicum naturæ. 1. Thess. 4. 12. Lachrymis nihil proficimus.

In PROPOSITIONE: Te ut dolorem Auditorum, si non sanare, utcunq; tamen levare queas, mortuos nequaquam immoderatè esse lugendos probaturum.

CONFIRMATIONIS I. LOCUS *Ab incommodis immodici luctus.* Nam *Primò*, qui plus æquo indulget luctui in charorum obitu, is & jacturam quodammodo facit fidei in Christum & spei, ut indicat Apostolus, cùm ait: *Non contristandum de dormientibus*, instar gentilium, *qui spem non habent* alterius vitæ. *Secundò*, quia immoderatio luctus multòs conjecit in graves morbos, vel etiam è medio sustulit, licet conarentur illum supprimere. *Tertiò*, quia ea immoderatione ostendimus nos non solùm divinæ, sed etiam propriæ, quod ridiculum est, repugnare voluntati, cùm tamen sapien-

pientissimi & optimi ac justissimi Dei voluntate & providentia id fiat, quòd non solùm est justissimum, sed etiam consultissimum & optimum, & quotidie in Oratione Dominica dicamus: *fiat voluntas tua, &c. adveniat regnum tuum* S. Hieronymus ad Paulam: *Bonus*, inquit, *est Deus & omnia quæ bonus facit bona sint necesse est.* Et: *Vnicus filius raptus est; durum quidem, sed tolerabile quia sustulit ille, qui dederat.* Et S. Cyprianus de mortal. *Quàm præposterum est, quamque perversum, ut cum Dei voluntatem fieri postulemus, quando evocat nos & accersit de hoc mundo Deus, non statim voluntatis ejus imperio pareamus.* Et: *Quid ergo rogamus & petimus, ut adveniat regnum cœlorum si captivitas terrena delectat?*

II. *Ab utili seu commodis maturæ mortis:* quia enim evocari à Deo ex hac vita, non est aliud, quam animam nostram, quæ corpori tanquam carceri inclusa est, liberari è carcere, & ex miserrima carnis, mundi, & diaboli servitute in perfectam libertatem vindicari: certè non est plorandum, sed gaudendum in obitu piorum; sanguine vel amicitia conjunctorum; imò magis gaudendum est de iis, qui in puerili; vel alia florenti ætate moriuntur, quàm qui senectute; quia citius è carcere vel captivitate liberantur. Hinc Cyprianus de mortal. *Per Salomonem*, ait, *Spiritus S. docet, qui Deo placeant, maturius hinc eximi, & citius liberari, ne dum in isto mundo diutius immorantur, mundi contactibus polluantur.* S. Basilius Hom. 5. in Martyrem Julittam: *Non audis*, ait, *dicentem David:* Educ de carcere animam meam? *multifarium angorem molestiamque indicantem.* &c. Et: *Simeon Dominum nostrum suo ulnarum astringens complexu, ejusmodi vocem emisit:* Nunc dimittis servum tuum Domine. *Ei enim, qui ad cœleste domicilium festinus contendit, omni carcere gravior est hæc inhabitatio corporis.*

Multis malis beneficio mortis liberamur. Syr. 40. v. 1.

Psal. 141. v. 8

Luc. 2. v. 26.

A moriendi necessitate nullus, quantumvis sanctus, potens; aliisque donis praeditus, est exceptus.

III. *Ab invitabili necessitate moriendi omnibus hominibus communi:* Quis enim perpetuo vixit, & mortis inexorabilis vincula effugit? mortales sumus sicut lilia & flores omnes: ut ergo gramina corrumpi, & solem occidere non aegrè patimur; sic hominem mori aequo animo ferendum est.

VI. *Ab exemplis fidelium*, qui siccis oculis liberorum aliorumque funera pertulerunt. Job cùm universa liberorum turba periisset, *Non ejulavit*, ait S. Basilius, *non sibi evulsit comam, vocem ingenerosam nullam emisit; magis verò celebrem illam, & omnium ore decantatam gratiarum actionem deprompsit:* Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum. Cum Patriarcha Abraham *unicum suum filium sua manu interficere mandaretur, non restitit*, ait S. Chrysost. *imperanti, non rationem facti poposcit; sed tanta cum alacritate paruit, ut & plura quoque si imperata essent, facturus fuisset.* S. Ambros. oratione de obitu Valentiniani: *David*, ait, *moriturum filium flebat: mortuum non dolebat*, &c. Mater Machabaeorum ob mortem septem filiorum lachrymis & luctui sese non tradidit, sed Deo egit gratias, quòd illos igne, ferro, aliisque suppliciis ab hac carne dissolvisset. Idem dici potest de S. Felicitate spectatrice Martyrii 7. filiorum, & de S. Symphorosa item 7. filiorum Martyrum matre. S. Hieronymus de S. Melania: *Calente*, ait, *adhuc mariti corpusculo, & necdum humato, duos simul perdidit filios*, &c. *Quis illam tunc non putaret more lymphatico, sparsis crinibus, veste conscissa, lacerum pectus invadere? lachryma gutta non fluxit, stetit immobilis, & ad pedes advoluta Christi, quasi ipsum teneret, arrisit, expeditius, inquit, tibi servitura sum Domine, quia tanto me onere liberasti.*

Hom. 4. de grat actione. Iob 1. v. 22. Deum liberis praefert.

In 2. Thess. 4. v. 12.

2. Reg. 12. 20 & 13. v. 31.

Epist. 15. Plura exempla vide in epist. S. Hier. ad Heliodor. & in consolat. Seneca ad Mariam c. 24.

V. *Ab exemplis gentilium*, qui ab immoderata illa suorum deploratione abstinuerunt. Anaxago-

ras, & Telamon nuntiata morte filii, responderunt, *sciebam me genuisse mortalem.*

In EPILOGO, monebitis Auditores, ut cogitent etiam sibi paulò post esse moriendum, & amorem liberorum, uxoris aliarumque rerum charissimarum amori Dei postponant; tum quia primum & maximum mandatum est, de Deo ex toto corde, anima visceribus, diligendo; tum quia Christus disertè contestatus est: *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus.* Et: *Qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus.* Matth. 10. v. 37.

VI. VITUPERATIO HYDROPIS divitiarum seu Avaritiæ.

EXORDIUM *ducetur à dignitate nostræ conditionis,* qui ad hoc solum creati sumus, & in hoc redempti, ut summo illo bono semper fruamur; totam verò hanc mundi machinam fabricatus est Deus, ut omnia nostris servirent usibus.

PROPOSITIO: Cùm igitur admodum sordidum sit, & angusti animi, pauperes Christi discipulos, & ad longè meliorem possessionem vocatos, res mortuas & vilissimas, quas etiam gentiles magno animo contempserunt, ut magnum quiddam admirari, decretum tibi esse dices, Auditores ab ardente cumulandi divitias siti dehortari.

CONFIRMATIONIS I. LOCUS, *ab effectis hujus morbi.* PRIMÒ, Quòd regno cœlorum nos excludat, & æternis inferni pœnis addicat. Sic enim loquitur Propheta Baruch: *Vbi sunt qui argentum thesaurizant, & aurum in quo confidunt homines? exterminati sunt, & ad inferos descenderunt.* Et Christus: *Væ vobis divitibus, qui habetis hic consolationem vestram.* Et: *Facilius est camelum, &c.* Tum S. Jacobus: *Agite nunc divites, &c.* Bar. 3. v. 14. Greg. 4. mor. c. 3. *Qui hic multiplicandis divitiis inhiant, qui alterius vitæ gaudia sperent?*

SECUNDÒ, Quòd insana hæc divitiarum appetitio semper cum proximi injuria sit conjuncta. Cap. 5. v. 1. Col. 3. ava-

rus dicitur filius incredulitatis. *Esa.5.* *Hom.6.*

Hinc enim Propheta ait. *Væ qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis, nunquid vos soli habitabitis in terra* & S. Basilius: *Perinde facit avarus, sua cupide servans, ac si quis in theatro locum spectandi aliis eripiat suo unius usui adjudicans, quod ad omnium communem usum proponitur.*

Matth.6. **Vbi thesaurus, ibi cor.** *Et Luc.14.* **Emi juga,** *&c.* *Periculosa sarcina opulentia.* *Basil. Hom. 21.*

TERTIÒ, Quòd res externæ hominem facilè inebrient, ut paulatim deponat amorem & timorem Dei, minus curet exercitia pietatis, sensim induat admirationem sui, frænos laxet affectibus, & vivere incipiat liberius. Ut enim hyberno tempore aër tepidior in conclavi, aut in æstate auræ frigidioris umbra, & fonticulus susurrans corpus cibo refectum ad somnum invitat; ita res splendidæ somnum animi, hoc est, Pietatis provocant neglectionem. Et ut equites cataphracti, propter πανοπλίας onus citius ab hoste fatigantur, quàm pedites; ita splendore potentiæ, opum, honorum, animus, tanquam gravibus impedimentis, deprimitur, ut facilius de bono proposito remittat, atque adeò etiam circa fidem naufragium faciat. 1.Tim. 6. *Quidam avaritiam appetentes erraverunt à fide,* &c.

Syr.5.v.5. **Avarus nõ implebitur pecunia.** *Prov.27.25.*

II. *Locus, ab adjuncta molestia & amaritudine,* quà suffusa est ista insatiabilitas, quæ in animo accenditur avari. Nisi enim animus ad vera bona conversus, nôrit cupiditatibus modum statuere, & sibi temperare, nunquam tantum voluptatis capere potest, ex eo quod habet, quantum molestiæ sentit ex non quod non habet, & tamen habere desiderat. Dies igitur noctesque vexatur, qui hac sive βολιμία sive hydrope animi laborat, nec unquam quieto & tranquillo animo esse potest, semper aviditate plurium maceratur: non aliter,

Oculi hominum insatiabiles. *Quò plus opes crescunt,*

quam canis missa à domino frustra panis aut carnis aperto rictu captans, quidquid excepit, protinus integrum vorat, & nihilominus ad spem futuri

vuri hiat. Et ſicut rivi, antequam per aquarum plurium collectionem, in magnitudinem fluminum accreverunt, facilius ſe intra metas continent, ubi autem facti ſunt fluvii, majore impetu feruntur, & vagantes liberius, agunt in campos immitius: ita niſi fruens magna potentia, ampla dignitate, & ſplendida fortuna cupiditates nôrit aureo fræno palladis (vera ſapientia) moderari, ſæpe eò rapitur, ut non ante finem faciat concupiſcendi, quam ſibi exitium accerſiverit.

hoc ſitim habendi magis accendunt: ut hydropicus, quo plus bibit, hoc inflatur amplius. Iuven. Sat 14. Creſcit amor nummi quantum ipſa pecunia creſcit. Divitia multum incommodorum ſecum trahũt.

III. *A periculis animi & corporis, in qua avari ſe conjiciunt.* S. Paulus ait: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt hominem in interitum & perditionem.* Vere & *multos*, & *occultos*, & *arctos* laqueos diabolo ſuppeditat avaritia. *Multos*: quia, ut ait Sapiens, *Creatura Dei facta ſunt in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium*, *occultos*: quia velati ſunt vel neceſſitate *naturali*, ne aliquando deſint ad vitam neceſſaria, vel ipſis avaris, vel ipſorum liberis; vel *ſpirituali*, ut ſuppetant, quæ erogentur in pauperes. *Arctos* verò: quia avarus tot vinculis conſtringitur, quot habet poſſeſſiones; & quidem duplici amore conſtringitur, ſui, & filiorum; quia in morte, cum deſinit eas amare ſibi, adhuc amat eas filiis, iisque hæredibus. Addit Paulus avaros incidere *in deſideria inutilia*: quia ipſis perinde eſt opibus abundare & nihil poſſidere. *Antiquum enim dictum eſt*, inquit S. Hieron, *avaro tam deeſt quod habet quàm quod non habet*. Denique incidunt avari, *in deſideria nociva*: quia divitiæ, ut bene quidam dixit, & magno labore acquiruntur, (*parantur*) & multo timore poſſidentur, (magnis periculis magnaq; ſolicitudine ſervantur) & ſummo dolore amittuntur. Hinc Chriſtus eas ſpinas appellat: quia omnem animi tranquillitatem mille

1.Tim.6.9. Sap.14.v.11. Hi laquei admodum ſubtiles ſunt in commerciis, maximè in uſura & ſimonia. Prov.13.v.7. Et quaſi, &c. Epiſt.103. Eccl.5.v.12. Eſt & alia, &c. Syr.41.v.1. O mors, &c. ὀλιγωχεόνιος eſt uſura opum.

1.Tim.6.17. cutis dilaniant, neq; unquam sitim sui sedant, verùm magis ac magis irritant.

Prov.28.11. Sapiens sibi videtur, &c.

IV. *Ab adjuncta stultitia*, quæ in accumulandis opibus committitur: quia Avaro thesaurizanti dictum est Luc.12. v.20. *Stulte hac nocte*, &c. PRIMA ergo stultitia avari est, quòd improbo labore congerit, & corradit ea, quibus fortè nunquam est fruiturus. Unde B.Paul. voluit Timotheum divitibus præcipere, *ne sperarent in incerto divitiarum.* SECUNDA est, quòd thesauros congerit in mundo, ubi omnes eius antecessores illos amiserunt. TERTIA, quòd usurpat sibi quæ sua non sunt. *Domini est terra*, ait Psaltes Regius, *& plenitudo ejus.* Quando canis duos homines sequitur, uter eius dominus sit apparet, quando alter ab altero discedit: sic post mortem patefit opum collectarum dominum non esse avarum, sed mundum: quia soli mundo relinquuntur. Et quemadmodum si quis ad convivium prælautum invitatus, stultè existimaret omnia sua esse, quæ apponuntur, & ideò si mensis remotis pateras lancesq; argenteas domo efferre vellet, meritò ei à janitore diceretur, illa eius non fuisse, nisi quo ad usum: sic avari stultè omnia credunt esse sua, ideoq; dum hac vita excedunt, optimo jure eius janitor, mors, dicit illud Pauli: *Nihil intulistis in hunc mundum*, &c. QVARTA, quòd ex domino facit se servum, quia possidetur à divitiis suis, non eas possidet, (nec enim aliter eas haber, quàm compedes habere dicitur, qui est compeditus,) & in omnibus eis obsecundat, imò facit se mancipium earum vilissimum: si enim in morbum incidat, non audet medicum advocare, ne jacturam faciat pecuniæ, &c. Licet autem tota vita sedulò eis cumulandis servierit, tandem tamen eum sine ulla mercede omnibus spoliatum dimittunt. QVINTO, quia laqueos quærit, quibus se suosque strangulet, & in æternum perdat. *Cor iniqui*, ait Sapiens,

Psal.23.v.1. *Non domini, sed œconomi divitiarum sumus.*

Morte deserenda sunt omnia ad aliumq; devolventur, fortè ingratum & destructorem.

1.Tim.6.v.7. Syr.10.v.19. *Pecuniæ obediunt omnia.*

Iob 27.v.19. Dives cum dormierit, nihil secū auferet.

Prov.27.21.

piens, *inquirit mala*, id est, laqueos occultos usuræ, simoniæ aliorumq; iniquorum contractuum. Post mortem enim reddenda ratio de quolibet quadrante, quomodo cum ad Dei voluntatem expenderit. Stultè ergo tantas opes quærit, quibus se obligat ad tantas rationes.

V. *A testimoniis sacrarum Litterarum:* Sic enim loquitur Syracides: *Avaro nihil est scelestius.* Et: *Nihil est iniquius quàm amare pecuniam: hic enim & animam suam venalem habet.* Et: *Qui aurum diligit, non justificabitur.* Paulus quoq; Apostolus avaritiam appellat, *idolorum, vel simulachrorum servitutem*, cuius causam reddens S. Aug. *Perversi*, inquit, *& avari frui volunt nummo, uti autem Deo: quoniam non nummum propter Deum impendunt, sed Deum propter nummum colunt. Quia nimirum, licet Deum cognoscant & revereantur, tanquam rerum omnium parentem, immoderato tamen affectu, quo in sordibus pecuniæ inhærescunt, cum ultimum sui finem summum bonum esse re & facto negari videntur.*

Eccl.10 v.9. *Ibid. v.10.* *Eccl.31.* *Ephes.5. v.5.* *Lib.11. de Civit. Dei cap 25.*

VI. Et à præcepto Spiritu Sancti. 1. Tim. 6. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* Psal. 61. *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Luc. 12. *Cavete ab omni avaritia.* Prov. 23. *Noli laborare ut diteris.* Matth. 6. *Ne sitis soliciti*, &c.

Quàm gravibus pœnis multorum avaritia divinitus castigata sit docet Theatrum nostrum. Vindictæ divinæ.

VII. *Ab exemplo Christi, & Sanctorum*, qui avaritiæ hostes infestissimi verbis & factis fuerunt, Christus enim cum filius Dei esset, vel, ut loquitur Apostolus, *in forma Dei*, Deo æqualis, Rex regum, & Dominus dominantium, exinanivit se, & formam servi pauperis accepit in stabulo ut pauper natus, pannis involutus, & in præsepio depositus, in sinu parentum pauperum suo labore & alienis opibus sustentatus, ita ut de se dixerit: *Vulpes foveas*, &c. pauper denique & nudus in lecto crucis mortuus, & in alieno sepulchro humatus. Deinde pauperes elegit discipulos, eisq; auctor fuit, ut

Luc. 9. v. 8. *Reflecte mentem ad Deiparæ Virginis, Apostolorũ, Martyrum, atque adeò Christi capitis nostri paupertatẽ.* *Matt. 19. 21.*

ut arctissimam totius vitæ paupertatem, relictis omnibus, quæ in mundo haberent, vel habere potuissent, religione voti se obstringerent. Imò omnibus Christianis consulit eandem paupertatis perfectionem, dicens diviti adolescenti: *Si vis perfectus*, &c. Quod consilium & primi Christiani, ut est in Actorum Apostolicorum historia, (quorum nullus *quicquam suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia*) sequuti sunt, ac postea quàm plurimi religiosi Clerici, omnesque monachi, eorumque fundatores Antonius, Basilius, Benedictus, Bruno, Dominicus, Franciscus, &c. idque non alia de caussa fecerunt, quàm ut ab avaritia, vel cupiditate, omnium malorum radice, quàm longissimè abessent. Tum ut eò capaciores essent opum cœlestium paupertatis professoribus promissarum; dixerat enim Christus: *Beati pauperes spiritu*, &c. dixerat diviti adolescenti: *Et habebis thesaurum in cœlo:* dixerat Apostolis: *Omnis qui reliquerit domum, &c. centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.*

Cap. 4. Hieron. Heliod. Filius hominis non habet ubi caput reclinet.

Matt. 5. v. 5. c. 19. v. 2.

August. Ideo dantur malis ne putentur magna bona.

VIII. *A testimonio etiam gentilium Philosophorum*; qui conflato quasi consensu docuerunt, inter utilia bona divitias postremum locum obtinere. Si enim quidquid usquam est auri & argenti; seu terræ rubræ & albæ, id omne tu solus possideas, num ideò tua mens erit vel pilo melior, prudentior, aut doctior? num corporis valetudo prosperior?

Displicuisse viris pravis, non infima laus est. Principibus placuisse viris, hæc maxima laus est.

CONFUTATIO *franget duas Objectiones. 1. hanc: At divitiæ conciliant honorem.* Non enim conciliant honorem, nisi quem falsum tribuunt ii, qui non nisi stulta mirantur, & quibus placuisse benè vituperari est. Verus honos est laudari à laudatis; estq; non opum, sed virtutis præmium. Si tibi cedit, & te suspicit plebecula, cogita vestes illam tuas mirari, non te; imò in te ipsum descende, & animæ mise-

miseram pauperiem considera, quam vulgus sit videret, tam miserandum te judicaret, quàm nunc prædicat beatum.

2. *Res comparat amicos.* Sed falsos: alius enim divitem in sinu odit, ut tenacem; alius invidet, ut opulentiori; alius ad se spectans, assentatur & arridet, ut arrodat. Nihil molestius fert multitudo, quàm aureos Nilos divitum, nihil magis optat, quàm ut illorum turres gloriæque pyramides fulmine devastentur. Sunt divitiæ cadavera, quibus inhiant sexcenti vultures, ut qui opes conquirit, proprium hostem conducat. Hinc Diogenes interrogatus, cur aurum palleret, respondit, quia metueret multorum insidias: & Dion refert in motu Syllano neminem fuisse interfectum nisi jussu Syllæ, solis illis exceptis, qui maximas divitias possidebant: ab iis enim cupidi milites, cùm aliter desideria explere non possent, etiam si nihil in mandatis haberent, tamen non abstinebant. Hinc ille, qui haberet splendidam villam, cum interficeretur exclamavit: *O villa cur occidis tuum dominum?* Et quamvis sit qui divitem syncerè diligat, ipse tamen dives non potest non omnes habere suspectos, omnes vultures judicat cadaveri inhiantes, omnes muscas ad suum compendium advolantes.

Horat. lib. 1. epist. 7. Senec. epist. 14. 106.

Lib. 47.

Plut. in Sylla.

In EPILOGO *post repetitionem præcipuorum argumentorum hortaberis Auditores*, ut, quò securiores, tranquilliores, & ad virtutes comparandas aptiores existant, aurum admirari desinant, nullumque studium in coacervandis opibus ponant, nec sperent in incerto divitiarum; sed in Deo vivo, & divites fiant in operibus bonis, &c. 1. Tim. 6. v. 18. addesque hanc aut similem Apostrophen ad avarum: Heus admirator auri, desine mirari stercora Pluti, & aureos divitiarum imbres, quibus sitim ac famem tuam nunquam explebis: summum

Crates Thebanus opes abjecit, ut aptior esset ad capessendam sapientiam.

Dum aureũ Nilum, aureos montes, ac mundum

mum illud bonum contemplare, quod unum cum adest, etiamsi reliqua omnia defuerint, animum tuum (licet capacior sit, quam ut vel universis huius mundi bonis queat satiari) abundè explebit: revoca tibi in mentem, qualem te primum terra nascentem exceperit, qualem item receptura sit morientem: semper cogitationi tuæ obversetur stultus ille (*Luc.*12.) Evangelicus, cui dictum est, *hac nocte*, &c. metue semper illud *Væ*, quod divitibus huius seculi minatus est Christus (*Luc.*6.) recole parabolam, ejusdem de liliis & avibus in diem viventibus, ad quorum imitationem nos exhortatur: recole quòd idem (*Matt.*6.) ne peram quidem aut sacculum suis gestandum permiserit, & quòd nos ante omnia jusserit quærere regnum Dei, & hæc omnia nobis adjicienda promittat. Cogita bona illa externa apud nos, non nostra esse, & neminem quicquam horum secum adferre cum nascitur, aut secum ad alterius vitæ possessionem hinc transportare: imò nemini exploratum esse, se vel ad vesperam, quæ possidet retenturum: item quomodo mortuorum bona in alienas manus perveniant: quàm multi Principes, cùm nihil minus cogitarent, de fastigio regii throni, in imas miserias sint deturbati: quàm multos subitum momentum in profundam invidiæ, contemptus, & contumeliæ, si non supplicii, dejecerit sentinam: quàm frequentes sint amplissimarum opum cum mendicitate aut tenuissima fortuna commutationes. Expende, tecum quàm paucis natura sit contenta. *Quisquis*, inquit Seneca, *exit in lucem, jussus est lacte & panno esse contentus* &c. Nec mihi dicas, liberorum causa aliquid tibi esse reponẽdum, cùm incertum sit, an ii parta bona sint accepturi: quia vel tibi vivo possunt eripi, vel post mortem subjecto testamento, aut aliis malis artibus auferri, vel saltem plurimum imminui, vel ipsi liberi possunt

mori

somnias, mortis à tergo hærentis spiculis confossus, relinques omnia. Hieron. ad Paul. Facile contemnit omnia, qui se semper cogitat esse moriturum. Cic. 1 de fin.
*Iob.*1. *Eccl.*5.
Qui amat, &c.
Sap. 7.
1. *Tim.*6.
Divitiæ variis fortunæ fulminibus & ictibus concutiuntur.
Epist. 20. 21. 61. 4. 17. 91. 25. 116. 120.
Luc. 12.
Quæ parasti cuius erunt?
Psal. 48.
Relinquet alienis.
Psal. 38.
Thesaurizat & ignorat cui.
Iob 20 *v.* 20.
Cum habuerit quæ concupierat possidere non

mori antequam quæ ipsis conquiruntur, accepe-runt. Nullum verò certius aut lætius patrimonium relinquitur liberis, quàm si piè educatos pater piè decedens Dei tutelæ commendet. Talibus enim, quibus pietas est cordi, nunquam deerit victus, nunquam eos rerum ad sustentationem copia destituet: semper enim Deum secum habebunt, qui antequam nascerentur ipsis prospexit. At liberis malè educatis per ipsas opes subministratur pernicies: & quò plus pecuniæ relinquitur, eò major præbetur ad expetendam parentum mortem, aut molestius ferendam ipsorum longævitatem, & ad mala culpæ & pœnæ occasio. Quid enim ipsis opes sunt aliud, quam quod sternax equus est homini equitandi imperito, aut quod cultellus est in manu infantis, aut furiosi? hinc inflatur animus, hinc luxus irritatur, & hinc opera assentatorum & similium pestium, eò decurrũt, ut si ipsa salus opem illis ferre cuperet, nõ possit. Taceo quod licet omnes opes sint fluxæ, & momẽtaneæ, injustarum tamẽ multo pronior sit dissipatio. Sicut cũ glacies urgere calore solis colliquescit, ita ipsæ afflatu divinæ maledictionis dilabũtur facillimè imò etiamsi omni industria rationes ad præcavendã dissipationẽ sint initæ, tamẽ nihil proficitur. Quæ enim prudentia divinæ maledictionis vim prohibeat? aut Deo punituro manus constringat? Quod si res familiaris manet integra, tamen hæredes in impietatem & æternæ salutis discrimẽ (quod omni jactura fortunarum miserius est) præcipitantur. Tam præclarè ipsis acervandis pecuniis consulitur. Quare vide, ne infinito labore pecuniam cumulans materiam peccatorum liberis præpares, & sic dupliciter fias reus, daturus pœnam cum propter eos, quos defraudasti, tum propter eos, quos ad peccata instruxisti, seu armasti. An non quovis filio tibi proprior est tua anima? ei ante omnia lega partem præcipuam, ei præbe di-

poterit.

Cui cultus divinus est cordi ei reliquas facilè famulantur.

Cum DEI Bonitas passerculos benigne & pascat, & vestiat, hominem pium destituet scilic.

Psal. 4. Vt quid diligitis vanitatem, &c.

Malè acquisita DEI maledictionem secum vehunt.

August. lib. Serm Serm. 48. Quam curam geris filiorum, ut eos obruas lachrymis.

vites vitæ æternæ occasiones, & tunc demum ad bona filiis distribuenda accede. Liberi sibi ædes & alia comparare possunt etiamsi nihil tale à te acceperint, animæ verò tuæ, ubi à te deserta fuerit, quis succurret? quis eius miserebitur? Adhæc, ne quæso dicas, ad rem sum attentior, ut in vestitu, in ædificiis, & apparatu conviviorum nonnihil possim ostentare splendoris; sed ea potius tibi compara, quæ non stolidis, sed rectè judicantibus te commendent; pietatem dico, sapientiam, & virtutem. Fulget enim magnorum virorum virtus suis radiis, & animos ferit, etiam ubi vili veste induti sunt, aut tenuiter vivunt, vel habitant. Extruatur domus sumptuosissimè, exornentur parietes auro, pavimenta insternantur marmore, sculptilibus tabulata picturis superbiant, omnia colluceant & resplendeant quam magnificentissimo ornatu, quanto plus inde commodi habebit possessor, quam aliquis mediocriter habitans? Ad unum convivium instruendum conquiratur quidquid in multis longo intervallo dissitis locis haberi potest, edatur immanis strages innumerabilium animalium, quantum inde ventres assidentium decerpent? Nec commoda altius, quàm ad corpus pertingent, cui tamen non semper erunt commoda, sed ut plurimum detrimenta: quid enim anima inde habebit, nisi impedimenta? Idem de vestitu dici potest, & vel maximus splendor auro, argento, & gemmis rigens, ipsius Christi testimonio uti flosculo cedit. Taceo quod pleriq; dum hoc modo applausum captant, in maximam invidiam & asperrimas reprehensiones & derisiones incurrunt, maximè si quid supra vires aut supra suam conditionem suscipiunt. Est enim natura ita comparatum, ut homines plus faveant humilibus, licet ad fastuosa initio attoniti ora obvertant, paulatim tamen offensionem animo concipiunt, dum

Miserorum non est hoc filios amare, sed necare. Talia sæpè injuria & lachrymis multorum constant. Quid sunt sumptuosissima ædificia, & corporum ornamenta ad speciem unius vernantis horti, nedum ad ampliss. totius mundi theatrum.

dum vel se hoc modo contemni, & alium evolare supra omnes velle suspicantur, vel ranam Æsopicam sese inflantem, ad bovis magnitudinem aspirare vident. Heraclitus à suis civibus rogatus, ut salutarem aliquam admonitionem publicè proponeret, quæ prodesse posset ad concordiam, accepto poculo aqua repleto, & massa farinæ, atque manipulo pulegii, suggestum conscendit, & istis ostensis, atq; aqua epota, farina autem & pulegio mixtis descendit rursus, ne verbum quidem dicens, sed hoc signo ostendens, quòd non requirere sumptuosa, Remp. contineat in concordia. Plutarch.

Non legimus quenquam Patriarcharum (etsi in illa paucitate hominum, & tanto vitæ spacio, quo fruebantur, amplissimas in terra sedes, & divitias regias sibi parare potuissent) occupatum fuisse magnificentiæ studio; sed ut in ipsis longè major fuit sapientia, quam in Cainitis, magnificentiæ studiosis, ita cultus vitæ planè in iis simplex: toto enim animo ad vera bona & pietatem erant conversi, dum ille degener Cain cœlum in luto, atque fimo terreno quæritans, animam totam in terram abjiceret. *Quid & cœli, & terræ Creator, ac sustentator, Deus & homo Christus* JESUS præ se tulit, cùm in terris obambularet, an cultum corporis magnificum?

Nihil hîc addo de malis artibus, ad quas plerumque illa ostentatio sui cultores tandem ablegat: nihil de superbia, quæ studio talium rerum captos miserè dementat, ut obliviscantur suæ ingentis infirmitatis, nec recordentur vitam hominis esse scenæ persimilem, in qua aliis aliam personam imponit Deus, & sæpè in media fabula easdem mutans, non sinit aliquem eum ornatum, quo prodierat, retinere, & ut maximè retinere, donec omnia peragantur, concedat, peracto tamen dramate, ornatum omnem quisque restituere *Aug. Vermis divitiarum superbia. Chryso. Hom. 2. ad pop. Ant. Fugitivus est, & ingratus servus divitiarum possessio, &c.*

tuere & cum corpore simul omnem amictum deponere cogitur.

VII. DE EXTREMO judicio.

EXORDIUM *duces ab impiorum infelicitate*, quorum tanta est cæcitas, ut periculosum vitæ suæ statum non videant, & enumerabis studia, quibus præpediti, quæ ad æternam pertinent salutem minimè curant: *vel ab utilitate*, quæ ex meditatione rerum futurarum fluit, quòd à vanis cogitationibus animum abstrahat, à peccandi licentia deterreat, & à studio pecuniarum, rerumque similium avocet.

In PROPOSITIONE *dices*, te facere non posse, quin pauca de futuro duntaxat extremi Judicii die Auditoribus in memoriam revoces.

In CONFIRMATIONE PRIMÒ *propones illius diei atrocitatem*, idque per quandam hypotyposin, Judicii formam modumque exprimentem, quòd Christus venturus sit Angelorum stipatus legionibus, ac infinita aliorum cœli civium multitudine circundatus; ad buccinæ signum omnes à mortuis excitabuntur, clausæ inferorum januæ subitò se aperient, fremitus, fulgura, tonitrua per cœlum discurrent; vultus Dei tam horribilis erit, quàm decet judicem indignis modis ad summam iracundiam ab reis provocatum.

SECUNDÒ *Formidabilem asseres judicii rigorem*, quod ibidem nihil, ne verbum quidem, relinquetur indiscussum: non modò factorum, sed cogitationum etiam accuratissima ratio instituetur, quidquid clam, omnibusque remotis arbitris paratum est, in clarissimam lucem, omniumque aspectum proferetur. Quid, quòd per Regium Prophetam justitias sese etiam nostras judicaturum Dominus affirmat? Non igitur injuria D.Hie-

D. Hieronymus dicebat: *sive manduco, sive bibo, semper resonat in auribus meis: Surgite mortui, venite ad judicium.*

Tertiò, *expones rei in judicium venientis magnitudinem.* Non enim hîc de ingenti pecuniarum thesauro, non de gravissimo perpetuoque à Patria exilio, non de existimatione, capiteque sententia proferetur: sed utrum in omnem æternitatem in gravissimis inferni ardoribus, an verò summis Beatorum gaudiis versandum sit. Hîc ostendes istius damnationis sententiam, nullo huius seculi, quantumvis magno detrimento posse comparari; sicut & felicitatis, cum nulla huius vitæ prosperitate.

Qvartò, Ad hæc omnia *docebis* accedere, quòd hunc judicem nemo possit effugere, cùm sit potentissimus; nemo rem etiam minimam celare, cùm sit scientissimus.

Concl. *Auditores omnes commonefaciet propriæ salutis, eosque hortabitur,* ut ad animum hasce res frequenter referant, ut Spiritui Sancto per S. litteras hac de re nos momenti morem gerant, reliquo tempore ab improba peccandi consuetudine se abstineant, commissa delicta dignis pœnitentiæ operibus expient, seq; ex consilio Doctoris gentium judicent, ne à Domino quandoque judicentur, contra quàm optarent. *1. Cor. 11.*

VIII. LOQVACITATEM NImiam adolescentibus esse declinandam.

Exordium *duces* à commendatione præcepti Syracidis: *Adolescens, loquere in tua caussa vix, si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum: in multis esto quasi inscius, & audi tacens simul & quærens.* *Cap. 32. v. 10.*

Propositio: Te igitur quàm magnam labem adolescentiæ aspergat garrulitas ostensurum.

Con-

CONFIRMATIO I. Locus *ab inhonesto*, quòd turpe sit sapientissimam naturæ dispositionem pervertere: hæc autem suadet; atque adeò præcipit, nimium devitare sermonem: dedit siquidem duas aures, & unam linguam, ut multa audiamus, pauca loquamur; & hanc linguam dentibus, (ut muro;) labiis, (ut vallo,) munivit, ut vel hoc modo loquendi licentia retardaretur. *Hic ostende*, quam ineptum fœdumque sit præsentibus gravibus doctisque viris, adolescentem suas ineptias nugasque venditare, adeò ut ipsis de rebus utilissimis dicendi præripiatur locus. *Et per hypotyposin auditorum oculis loquacem subjicias adolescentem licet.*

II. *Ab inutili*. Perniciosa res ea est, quæ diversis peccatis materiam præbet, quæque honestissimis artium studiis plurimum officit. Plenissimum namque gravissimorum periculorum est, præpotentis Dei offensam diversis delictis incurrere, & haud vulgaris detrimenti, ex liberalibus disciplinis eam non reportare utilitatem quæ meritò à nobis requiritur. Verum loquacitas res est huius-
Ep. Iac. v. 5. modi. Docet namque S. Script. in multiloquio
Prov. 10. nō deesse peccatum. Docet quotidianus usus, ver-
Vide cap. 28. bosos istos juvenes sępius in detractiones, in men-
Syr. & c. 5. dacia, in contentiones sua loquacitate prolabi. In litteris verò, quem facietis progressum, qui, docente præceptore, quantus quantus est, fabulis sese consecrat, quique pertusi dolii instar subitò per loquacitatem rursum id emittit, quod ex præceptoris ore exceperat. Hinc sapientissimus Philosophus Pythagoras, explorata suorum discipulorum indole, quibusdam biennii, aliis longioris temporis, ad quinquennium usque silentium indicebat. Hinc D. Thomas Aquinas, præclarum Philosophorum & Theologorum decus adeò taciturnitatem colebat, ut à condiscipulis, sui dissimili-

milibus, *bos mutus* nuncuparetur, qui postea tamen sui præceptoris Alberti Magni vaticinium confirmavit, tales edens mugitus, quos universus exaudivit mundus.

In REFUTATIONE *præoccupabis difficultatem coercendæ linguæ, dicens,* eò diligentiùs idonea conquirenda esse remedia, ac PRIMÒ, implorandum esse cum Davide auxilium divinum pro cohibenda lingua: quia hæc linguæ frænatio primùm quidem *ductu auspicioq; divino*, ut loquitur Nazian. *deinde verò etiam mentis nostræ clavo indiget.* SECUNDÒ, antequam ad loquendum prosilimus, habenda est ratio circumstantiarum temporis, loci, personarum, modi, & similium: seu expendendum & præmeditandum est, quid sit loquendum, cui, quomodo, quo loco, & tempore. Loquendum enim de rebus utilibus, ex quibus vel nos, vel is, cum quo sermonem miscemus, fructum aliquem decerpat. Et recte ait Salomon: *Qui inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.* Et Syracides: *Lingua imprudentis subversio est ipsius.* Et Apostolus: *Sermo vester in gratia sit sale conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuiq; respondere.*

Psal. 14. v. 3. *De silentio 4 dierum.* *Prov. 13. v. 3.* *cap. 5. v. 15.* Vide in parte 2. orat. de Silentio.

In CONCLUSIONE *dehortaberis omnes à loquacitate,* & sæpius mente cogitandum esse suadebis illam Christi vocem: *De omni verbo otioso, quod loquuti fuerint homines, rationem reddent in die judicii.*

IX. LAVDES ACTIONVM THEatralium, Comœdiarum, Tragœdiarum, &c.

EXORDIUM *à sententia Socratis*, quem dicere solitum memoriæ proditum est: *Vt vappa vinumq; pendens & austerum, gustatui, ita mores insulsos & rusticos hominum societati graves & odiosos esse.* Quam, comprobabis PRIMÒ *ab effectis*, quòd nemo ferat eum, qui agrestibus moribus præditus est.

est. SECUNDÒ, à contrariis: quod ut elegans in dictis factisque urbanitas ad demerendos mortalium animos; ita ad societatem vitæ disturbandam, inurbana rusticitas, vim habeat maximam. Quamobrem moderatores Academiarum & Gymnasiorum nihil pręclarius instituisse dices, quàm quòd exercitationes invenerint, quarum usurpatione, & subrusticos adolescentum mores exterminarent, & expolitos elegantesq; insererent: inter omnes porrò exercitationes familiam ducere actionem Scenicam. Laudabis autem Auditores tuæ Scholæ. PRIMÒ, *ab animi excelsitate:* quòd multarum hebdomadum, vel commoditatibus, vel jucunditatibus honestatem & laborem anteposuerint. SECUNDÒ, *ab animi constantia:* quòd neq; rei eos difficultates à suscepto munere deterruerint, neq; otii lususq; desiderium ab instituto cursu avocârit, neq; comicarum exercitationum crebritas, flagrantem cõcertationum scholasticarum ardorem restrinxerit. TERTIÒ, *ab industria*, quæ ita in theatro spectata est ut vix quicquam à summa laude abesse videatur.

PROPOSITIO: Te eosdem, ut in hanc exercitationis palæstram diligenter, ubi res feret, incumbant, adhortaturum, propter rei *dignitatem, utilitatem, & jucunditatem.*

CONFIRMATIONIS DIGNITAS *ostendetur* ex gloria, quæ actores, parentes, gymnasium sequitur. Nihil enim gloriosius generosis mentibus accidere potest, quam latentes ingenii dotes in lucem proferre, quàm actionis lepore, omnium in se ora, oculosque convertere, & defixos tenere. Spectatores enim in suo genere optimum quemq; obstupescunt, & de eius nomine, parentibus, amicis, conditione percunctantur; spectaculo dato, personisq; positis cõmendare solent, ac digitis demonstrare. Quæ gloria quantam vim cum ad animos

mos recreandos, tum ad omnem doctrinam, & virtutes excitandas habeat, PRIMÒ *ab exemplo Demosthen. demonstrabis*, qui se voce mulierculæ aquam ferentis, & alii insusurrantis: *Hic est ille Demosthenes*, delectari dicebat. DEINDE, *ab exemplo Ciceronis*, qui quod puer à gravissimis viris in scholis audiretur, & è scholis domum, magna puerorum caterva, florida corona ornatus, deduceretur, ita fuit excitatus, ut postea summus Orator, & prudentissimus Senator evaserit. *Ad* PARENTUM *quoq; gloriam pertinet laus filiorum.* Rectè enim Salomon: *Filius sapiens lætificat patrem.* Prov.15. 20. Hoc *illustra exemplo Cornelia matris Gracchorum*, quæ filios suos ornamenta pulcherrima nominavit. VVlp.l.4.c.4. Vehementem in liberos affectum Deus dedit hominibus; hinc fit, ut omnis filiorum laus in parentes quoq; redundet. *Hic digredere nonnihil in parentum curam & diligentiam in ornandis filiis &c. Ad gymnasii quoq; decus atq; gloriam vehementer interest.* Laudatur enim locus, ubi tam præclara indole, tam apti ad res pulcherrimas adolescentes instituuntur.

UTILITAS *ex eo* PRIMÒ *ostenditur*, quòd subrusticam verecundiam propulset, quæ, Seneca teste, ingenia vel maximè debilitat. Sic Herodes Atticus Orator, cū coram M. Antonio peroraret, metu præpeditus obmutuit, & ignominiæ tædio affectus ad Istrum veluti moriturus decessit. Demostheni ad Philippum oranti, propter formidinem, verba ingeniumq; defuerunt, &c.

SECUNDÒ, Major comparatur doctrina, tam multis egregiis sapienterq; scriptis, & versibus, & sententiis ediscendis. Necesse enim est cum drama ediscunt, omnes omnium personas propemodum memoria tenere (quippe quas sæpe numero cùm exercentur audiunt;) in Latinitate, & orationis virtutibus, nonnihil etiam proficere, atq; ad scribendum loquēdumq; aliquam sibi supellectilem comparare.

TERTIÒ, Augetur prudentia cognitione decori, cum animadvertimus in œconomia adhibitum esse judicium, cum personæ cuiusque sermonem audimus, qui ad naturam, ingenium, mores illius omninò est adpositus.

QVARTÒ, Morum elegantia acquiritur, accuratè gestum agere, moderari manus, vultum, corpus totum ac vocem inflectere & variare condocemur.

JUCUNDITATEM *inde probabis*, quòd ludos scenicos voluptatis ergò, & ad erigendam naturam strictamq; frontem repertos esse scribant plerique. Polybius auctor est, Arcades, quòd erant adeò austeri & duri, quò civium animos mitigarent, ludos excitasse.

In REFUTATIONE *dilues hanc objectionem:* Apud veteres probro datum est histrionicam facere. Dices enim id non fuisse mirum, cùm quòd argumenta priscarum Comœdiarum fuerint levia, litigiosa, nugatoria, impura, tùm quòd istæ actiones lenonum, meretricum, parasitorum, servorum callidorum, adolescentum asotorum personis fuerint infectæ: Dramata verò nostra illustres, graves, notas historias, & frequenter è S. litteris petitas continent, ac personæ sunt honestæ, sacræ, aut certè non spurcæ, ut nunc laudi sit omnibus agere.

PERORATIO *gravem habebit adhortationem ad adolescentes*, ut quando res feret, diligentem Actioni Scenicæ dent operam.

X. VIRTVTIS STVDIVM CVM literis conjungendum esse.

Middendorpius lib. 1. de officiis scholast. c. 3.

EXORDIUM *à nostrorum temporum deploratione ducetur*, quod cum plurimi sint literarum cognitione imbuti, miserrimas tamen Reip. calamitates ab iisdem inferri videamus: cuius causam eam

eam potissimum esse affirmabis, quod nullam habeant virtutis & pietatis rationem.

PROPOSITIO: Te igitur probaturum, virtutis studium necessariò cum litteris esse jungendum.

CONFIRMATIONIS I. Locus *ab utili:* nam de Zenone Stoicorum principe narrat Laertius *(lib. 7.)* quòd cum vitam verbis & doctrinæ consentaneam, velut exemplum, discipulis suis proponeret, clarissimos viros effecerit. Et Quintilianus lib. 12. ait; *Longè facilius virum bonum persuadere Auditoribus rem quamlibet, quam malum; quod ille, etsi falsa & inhonesta fortè proponat, majore cum fide audiatur: hic verò sicut in vita, sic in causa etiam spes improbas habeat, verumq; dicens, frequenter fide careat.* &c. Et Lacedæmonii rem bonam, utilemq; sententiam per viros indoctos quidem, sed probos, ferre malebant, quam per doctos & improbos, quod dehonestari eam turpis authoris contagione putarent. Mera veritas M. Catonis, egere se multis rebus, nihil tamen cupere dicentis, plus *(teste Gellio lib. 13. cap. 12.)* ponderis habebat ad persuadendam parsimoniam, & sustinendam inopiam, quàm Græcorum præstigiæ philosophari se dicentium, umbrasque verborum inanes fingentium, qui se nihil cupere dicebant, cum & habendo, & egendo, & cupiendo arderent.

II. *Ab inutili contrarii,* si quis litteris tinctus negligat virtutem. Homines enim indocti, & virtutis expertes, omnes tempestates & procellas hactenus in Rep. Christiana excitatas concitârunt. *Id probabis variis* EXEMPLIS. *Simon Magus*, cùm nonnullam haberet litterarum cognitionem, usq; eò se extulit, ut contra Christianæ religionis duces Apostolos, & homini liberam voluntatem eriperet, & solam fidem percreparet. *Paulus Samosatenus, & Apollinaris* doctrinæ spiritu inflati, solam

Christi divinam naturam prædicabant, & insanissimis motibus Orientem perturbabant. *Novatus* ob doctrinæ existimationem superbus, Cornelio Pontifici sese opposuit, divinæ potentiæ & Chrismatis Sacramenta convulsit, & Orbem Christianum in diversas factiones distraxit. *Porphyrius* Philosophus arrogans, cùm rerum cognitione se omnibus mortalibus præstare arbitraretur, risit nefariè Apostolos, Christianæ religionis antesignanos & principes, illusit Evangelistarum monumentis, in ipsum deniq; Christum, plenus septicipiti bestia, impuro ore vehebatur, atque eas suis ineptiis atque nugis turbas dedit, quas longa vix omninò sæcula compresserunt. *Arrius*, gloriæ cupiditate inflammatus, & Dialecticæ loquacitatis non expers, tantum ubique terrarum tumultum excitavit, ut nec Constantini diligentia & cura, nec sacri Concilii Nicæni divina authoritate, nec ducentorum aut trecentorum annorum spatio componi facilè potuerit, *Hic per præteritionem* Aerii, Macedonii, Pelagii, Berengarii, *& aliorum hæreticorum, transibis ad nostri temporis hæreticos*, qui quantum incendium, cùm in Germania, tum in Gallia, Britannia, Scotia, Livonia, aliisq; Europæ ditionibus excitaverint, in confesso est.

III. *A necessario:* quia ab omni vitio, & turpitudine abstinere debet is, qui studet alios meliores reddere, & virtutes cum doctrina in animos aliorum cum fructu aliquo, & gloria transfundere. Rectè enim S. Chrysostomus: *Optimam*, ait, *doctrinam esse, vita docere.* (Hom. 3. in Act. Apost.) *Qui autem docent tantum*, ait Lactantius, *& non faciunt, ipsi præceptis suis pondus detrahunt: quis enim obtemperaret, quando ipsi præceptores docent non obtemperare?* (Lib. 3. c. 10.) S. Ambrosius hanc necessitatem docet his verbis: (2. de off. c.) *Quis è turbida aqua potum petat? quis utilem causæ alienæ judicet, qui videt inutilem vitæ suæ. An idoneum eum putabo qui mihi det consilium*

filium, quod non dat sibi? mihi eum vacare credam, qui sibi non vacat? &c.

PROPOSITIO *continebit adhortationem ad studiosos*, ut virtutis studio diligenter incumbant.

XI. LINGVÆ GRÆCÆ commendatio.

PRINCIPIUM *sumes à quorundam hujus temporis incredibili cæcitate*, quorum ratio tam cæcis ignorantiæ tenebris involuta jacet, ut, etsi minimè illi mali sint, magnoq; alioquin ad politioris litteraturæ studia promovenda amore rapi videantur, tamen nescio quo opinionis errore ducti, ad solidam & perfectam rerum pulcherrimarum cognitionem, sine Græcarum litterarum usu & peritia perveniri posse arbitrantur.

PROPOSITIO: Hanc igitur omnibus mansuetiorum Musarum studiosis perniciosam opinionē tua qualicunq; oratione convellendam esse *dices*.

CONFIRMATIONIS I. LOCUS *à necessitate*. Usque eò necessaria est huius linguæ peritia, ut sine ea frustra quodammodò omnes laborum vigilias in doctissimorum virorum monumētis evolvendis consumseris. Etenim cum omnium artium parens Græcia semper extiterit, Latinumque sermonem non disciplinis modò, sed verbis etiam locupletârit, quidquid fere eximium in latinorum scriptis inveniri potest, id solum Græcis acceptum ferri debet, quod & ipse Romanæ eloquentiæ parens Cicero dissimulare nequit, qui nisi se totum ad Græcorum imitationem contulisset, nunquam ad tantam rerum cognitionem, dicendique facultatem pervenisset. Philosophia & artes liberales cum Græca habeant nomina, à Græcis esse profectas, quis ignorat? Sed & ipsa sacrarum litterarum arcana litteris Græcis continentur, earumque interpretes, vel Græci fuerunt, vel litteras

Græcas quam optime calluerunt. Quare quicunque perfectam rerum cognitionem desiderat, eam non ex rivulis quibusdam, sed ex fontibus ipsis hauriat oportet.

II. *Ab honesto.* Quòd honestum sit Græcæ linguæ studium, ex summo illo dedecore, quod hujus ignaris inuritur, colligi potest. Nam & Episcopo, Canonico, Diacono, Presbytero, Monacho, summa ignominia conciliabitur, si nominis sui etymologiam reddere nequiverit.

III. *A jucundo.* Adeò jucunda & suavis hæc lingua est, ut Poëtæ, teste Fabio, quoties suave carmen aliquod esse voluerunt: id quibusdam Græcis nominibus exornare consueverint.

In REFUTATIONE *franges hanc* OBIECTIONEM: Pleraq; in linguam Latinam conversa sunt. Non enim suavitas illa sermonis, aut proprietas in aliam linguam transferri potest, quin & ornatus illius omnis & decor orationis intereat. *Adde,* quòd non omnia in linguam Latinam conversa sint, quod vel mediocriter erudito manifestum est. *Adde,* quòd & lapidibus, & gemmis, & herbis plerumq; sunt indita Græca nomina, & Medicina tota Græcis vocabulis utitur. Quàm verò lingua Latina inops, sterilis, & jejuna sit, indicant rerum descriptiones propè innumeræ, quæ propriis nominibus destitutæ sunt.

CONCLUSIO *conficietur* adhortatione ad linguæ Græcæ studium.

XII. FORTVNÆ INCOMMODA fortiter esse ferenda.

Vide Thema I.

INITIUM *sumetur à nonnullorum nimia animi dejectione,* qui quovis fortunæ incommodo usq; eò plerumq; percelluntur, ut omni spe abjecta de sua quodammodò salute actum putent.

PROPOSITIO. Ideò hac oratione fortunæ incom-

commoda nō tam deploranda, si adveniant, quam forti animo perferenda esse demonstrabo.

CONFIRMATIONIS I. LOCUS, *Ab honesto.* Honestum enim est, & decens quàm maximè ista moderatè ferre, quibus quis nequit obsistere, cùm nemo adeo potens sit, qui fortunæ temeritati & arbitrio non subjaceat, ut qui modò dives sit, pauper posteà non possit effici. Fortiter itaque ferendum, quod mutari non potest, præsertim cùm non turpe sit cruciari, aut variis premi angoribus, sed cruciatu dignum quippiam admittere in malis habendum videatur: quod *Socratis* testimonio licebit confirmare, qui venenum bibiturus, cùm uxorem ejulantem, ac mortem illius innocentissimam deplorantem vidisset: *Quin conticescis,* inquit, *stulta, nocentemne mori malles? Amplificabis à simili.* Ut enim Naucleri in gubernanda navi peritia non nisi oborta tempestate cognosci potest; ita quoque hominis virtus, & animi magnitudo rebus duntaxat adversis cernitur. Difficile siquidem esse non videtur animum excelsum rebus secundis præ se ferre; at adversante fortuna eundum animum vultumque retinere, solus virtute præditus potest.

II. LOCUS *ab utili.* Nam plurimorum virtus prospero rerum successu consopita, variis tandem incommodis excitata, summam sui peperit admirationem. Hinc Darius dicere solitus perhibetur: *Rebus se adversis prudentiorem fieri. Et Herculis* gloria nunquam ita totum orbem pervagata fuisset, nisi, ut à viris sapientissimis prudenter fictum est, ipsi tot monstra, tantique labores, tanquam virtutis materia, objecti fuissent. Nec aliud *Vlyssi* nomen immortale comparavit, quàm tot malorum, quibus decennio fuit affectus, tolerantia. Atque, ne in Ethnicis solùm fabulosisque Exemplis consistat oratio, licebit & *D. Laurentium, Catharinam,*

Barbaram, aliosque ejusmodi Christi Martyres in medium proferre, quos summis affecerunt laudibus dira illa, & ab immanissimis tortoribus excogitata supplicia.

PERORATIO *constabit adhortatione* ad fortunæ incommoda excelso animo toleranda.

XIII. CHRISTIANUM ADOLESCENTEM à mendacio sibi temperare debere.

EXORDIUM *à genere*, operæ pretium est vitia turpia reprehendere, propositisq; eorum pœnis, omnes ab iis detorrere.

Mendacium proprie diabolicum vitium, ideo maximè cavendum. PROPOSITIO: Cùm igitur mentiendi libidinem experiamur in multis, nec ullum sit vitium, in quod juventus hoc tempore ita propendeat, atq; in mendacium: præterire te minimè posse, quin impiam illam mentiendi libertatem nervosis aliquot rationibus retundas.

CONFIRM. I. LOCUS *à Turpitudine*. Quemadmodum enim veraces filii sunt Dei, qui est ipsa veritas, & odit mendacium; ita mendaces filii sunt Diaboli, qui pater est mendacii, seu auctor primus & inventor, qui quodammodo illud peperit, cum enim Evæ in Paradiso dixit: *Eritis sicut Dii*, mentitus est, hinc cum Christus ait: *cùm Diabolus loquitur mendacium, ex propriis loquitur*, asserit Diabolum, cùm mentitur, propria uti inventione, eò quòd nemo ipsum mentiri docuit; ipse verò primus docuit alios quicunq; mentiuntur. Sunt autem mendaces filii diaboli, *non natura*, ut loquitur Epiph. *sed imitatione*: vel, ut Ambros. *non carnis successione, sed criminis*. B. Cæsarius (*Hom. 16.*) vult mendacem à Diabolo possideri. *Quod omnis mendax*, inquit, *sine maligno Spiritu esse non possit, scriptura testis est: Perdes, inquit, omnes qui loquuntur mendacium.* Et: *Os quod mentitur, occidit animam. Et in libro Re-*

Ioan. 8. v. 44
Gen. 3 v. 5.
Ioan. 8.
Vide octavam meam strenam spiritualem. ler. 38. & 40.
In Luc. c. 4.
Psal. 5 v. 7.
Sap. 1 v 11.
3. *Reg. 22. 24*

gum

gum legimus, spiritum malignum dixisse Domino: Ego decipiam Achab. Cui dixit Dominus: In quo decipies? Et ille respondit: Egrediar, & ero spiritus mendax in ore prophetarum ejus.

II. *Ab incommodo*, quod consequi solet mentientes: redduntur enim non modò apud Deum sed etiam apud homines contemptibiles, & fide omni, etiam cum vera dixerint, indigni. Aristoteles interrogatus quid mentientes lucrarentur? dixit, ut *ne vera quidem dicentibus, deinceps fides habeatur*. Senserunt hoc Græci, homines leves & inconstantes, quibus nemo propter verborum inconstantiam fidem tribuebat, ac proinde omnia pręsenti pecunia obtinebāt. Unde proverbium: Græca fide mercari. *Laert. 4.* Ecclesiasticus noster cum ait: *Opprobrium nequam in homine mendacium, & in ore indisciplinatorum assiduè erit*, indicat cōsuetudinem mentiendi esse hominum improborum, & infamium, qui malè ab ineunte ætate sunt instituti: ut autem astrahat eos ab illa mendaciorum assiduitate, mox subjicit: *potior fur quam assiduitas viri mendacis, perditionem autem ambo hereditabunt. Mores hominum mendacium sine honore, & confusio illorum cum ipsis sine intermissione.* *Eccl. 20. 26.* Rectè mendacium confert cum furto, tum quod utrumq; vitium ferè conjunctum sit, juxta adagiū: *Ostende mihi mendacem, ostendam tibi furem*, tum quod mendacium sit quoddam furtum, hominibꝰ subripiens, & veritatem, & bonam famam. Furtum, verò idcirco dicit ab assiduitate mentiendi superari, vel quòd sæpę plus homini noceat quàm furtū, cum illa bonum spirituale famæ, hoc temporalia duntaxat auferat: vel quod fur ferè peccet ex inopia, *ut esurientem impleat animam*, ut loquitur Salomon mendax verò ex petulantia linguæ. Demum mendacium hominum hanc pœnam esse denotat, ut indelebilis sit eorum ignominia, ac mores etiam boni, piæq; actiones omni honore careant.

Pandito mendacem potero tibi pandere furem.

Prov. 6. v. 30

III. *A ne-*

Prov.13.v.5. Verbum mẽdax justus detestabitur c.29.v.12.

III. *à necessitate.* Quia Spirit. S. in Sacris litteris non solùm declarat, mentiri esse improborum, imò ipsius dæmonis, sed etiam prohibet omne mendacium. Exod.13. v.7. Lev.19. v.11. Syr. 7. & 14. c. 37. v.30. Zach. 8. v. & apud S. Paulum (Eph. 4. v. 25.) *Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo: quoniam sumus invicem membra.* Adhæc, quia gravissima in S. litteris mendacio decreta sunt supplicia: Prov.19. v.5. *Qui mendacia loquitur, non effugiet. Et, qui loquitur mendacia peribit.* Syr. 2. v.14. *Væ duplici cordi, & labiis scelestis.*

Malus obedit linguæ iniquæ, fallax obtemperat labiis mendacibus.

IV. *Ab* EXEMPLIS *eorum*, qui acerbissimos cruciatus subire maluerunt, quam unicum proferre mendacium. Illustre huius rei exstat exemplum apud B. Hieron. de muliere septies icta, quæ falsò accusata de adulterio, *sexu fortior suo, cùm eculeus corpus extenderet, & sordidas fœtore carceris manus post tergum vincula cohiberent, oculis, quos tantum tortor alligare non poterat, suspexit ad cœlum, & volutis per ora lachrymis: Tu, inquit, testis es Domine Iesu, cui occultum nihil est, qui es scrutator renis & cordis, non ideò me negare velle, ne peream, sed ideò mentiri nolle, ne peccem. At tu miser homo* (alloquitur adolescentem, de eodem scelere falsò accusatum, qui mentitus erat se reum & illam, ut tormenta effugeret) *si interire festinas, cur duos interimus innocentes? equidem & ipsa cupio mori, sed non quasi adultera, præsto jugulum, micantem intrepida excipio mucronem, innocentiam tamen mecum feram.* Cùm autem consularis duplicari tormenta juberet, *una interim ejus vox erat, cæde, ure, lacera; non feci. Si dictis tollitur fides, veniet dies, quæ hoc crimen diligenter discutiet.* Postea miserrimi juvenis caput uno ictu amputatum est: mulieris verò tangi quidem; sed truncari non potuit, ne septies quidem repetito à diversis carnificibus ictu, ita etiam erepta manibus

Tom.1 ep.45 ad Innocentiam. Sancti quidvis potius rerum temporalium amisissent, quemvis cruciatum subivissent, quàm vel officiosum unum mendacium protulissent.

nibus carnificum, sanitati restituta est, & libertate à Cæsare tandem donata. Apud Simeonem Metaphrastem, *Anthimus* Nicomediensis Episcopus, cùm, sæviente Maximiani Cæsaris persecutione, à viginti satellitibus ad cædem quæreretur, ipsos satellites hospicio excepit, mensamq; prælautam eis apposuit, ac simul addixit, se brevi Anthimum in eorum conspectum adducturum: in medio verò ciborum apparatu exurgens, palam prodidit se esse, quem tam studiosè quærerent; hic illi stupore attoniti, & venerandos illius canos reveriti, ob benevolentiam & charitatem, qua illos exceperat, unà spoponderunt, se Imperatori renuntiaturos, Anthimum diu quæsitum, non esse inventum; ille verò contra obtendit, se id non permissurum. Fas non esse Christiano pro vita cujusquam mentiri, itaque ultrò se captivum illis adjunxit, & post diuturnos acerbosque cruciatus, Martyrii corona potitus est. M. Attilii Reguli nunquam peribit memoria; qui ad supplicia crudelissima redire Carthaginem maluit, quàm Carthaginenses, post datam fidem, mendacio fallere ac decipere.

Sur. 27. Aprilis.

Vide Cic. de offic.

In EPILOGO *hortaberis Auditores*, ut quo longius absint à consuetudine mentiendi, dent operam, ut etiam à jocosis & officiosis mendaciis abstineant, imò ab omni fictione, simulatione, & dolo, ac omnibus, quæ speciem mendacii obtinent. Nam vir secundùm cor Dei Rex David, cùm orasset: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* respondit: *Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua*, &c. Et SS. patres convenienter verbo Dei docent, non solùm omnia mendacia officiosa esse peccata, sed ne quidem pro salute corporali vel spirituali unius hominis, civitatis, provinciæ, imò totius orbis esse mentiendum, quia

Psalm. 14.

August. de mendacio c. 6.

Rom.3.v.8. quia *non sunt facienda mala*, teste Apostolo, *ut eveniant bona.*

XIV. DE LIBRIS HÆRETICOrum non legendis.

EXORDIUM *à laude artis typographicæ*, quam prolixa Dei immortalis liberalitate, & concessu perbenefico hominum generi donatam esse dices, cùm ut operosi transcribendorum Codicum labores moderatius temperarentur, tum ut gravissima eruditissimorum hominum monumenta pauculis boum in tergoribus ante descripta, & propter vetustatem penè emortua, in communem Reipub. Christianæ utilitatem æternitati immortalitatiq; consecrarentur. Hæc *ubi per partium enumerationem amplificaveris, descende* ad quorundam sycophantarum scelus, qui ita gloriam artis huius deformarunt, ægrè ut dijudices majoresne ex ea hauserit calamitates Resp. Christiana, an verò uberiores ex ea demessuerit, perceperitq; utilitatum fructus. Ostendes enim quantopere nostri ævi terræ filii, hæretica scabie squamosi, ad paradoxa sua propaganda, nobilissimo hoc munere per summum scelus abutantur.

Vide librum meum Germanicum, qui inscribitur, Renovatus mundus, &c. c. 5. & Iac. Gretserum de more ac jure prohibendi & comburendi libros hæreticos.

PROPOSITIO: Dicendum igitur tibi esse de hæreticorum libris non modò non legendis, sed purgatricibus etiam flammis abolendis.

CONFIRM. I. LOCUS *ab honesto.* Indignum namque est eum, qui se Christi Religionem tueri profitetur, res probare ejusmodi, quæ perniciem semper fidei Christianæ maximam intulerunt. At hoc fecerunt libri pravis dogmatibus infecti. Quare si omnis oratio, quæ literis mandatur, elaboratior esse solet, quàm ea, quæ temerè profunditur; & si hæretici, propter noxia verba fugiendi sunt, certè multò magis eorum libri fugiendi sunt, qui instructiores sunt ad perniciem. *D. Ioannes*

Matt.7. Attendite. Cap.2.v.3. Rom.16. v.4.

nus Evangelista non modò familiari negat late suscipiendos esse hæreticos, sed nec salutatoria dignandos benevolentia ducit, imò teipsa & exemplo suo quantopere eos aversari cōveniat, ad sempiternam memoriam propagavit: cùm Cerinthum hæreticum non secus atque viridem lacertam vitavit. Cùm enim in balneis eum reperisset, mox exiliit ad discipulos, dicens: *Fugiamus hinc, ne & balnea ipsa nos corrumpant, in quibus lavatur Cerinthus inimicus veritatis.* Sic *Polycarpus*, Ecclesiæ Smyrnensis Episcopus, Marcionem, tanquam Satanæ fugit primogenitum. Sic *Paula*, nobilissima matrona Romana, hæreticos, instar Ethnicorum habuit; & inimicitias hominum subire perpetuas, quàm Dei offensam amicitiis noxiis provocare maluit. Sic cum Constantinus Liberium Pontificem relegasset in exilium, & subrogasset in eius locum Felicem, Catholicum quidem, & incorruptæ fidei virum, ignavum tamen, ut qui familiariter cum hæreticis versaretur, nec vitaret quos oppugnare debuerat, cives *Romani* Ecclesiam, in qua Felix erat, ingredi nolebant. Quod cùm Imperatori nunciatum fuisset, restitutus tandem est Liberius; Felix verò nulla hæresi, sed conversatione sola pollutus, cedere aliò cogebatur. Sic *Samosatenorum*, & *Edessenorum* cives, præfectis sibi Arianis Episcopis, se ab eorum omnibus commerciis haud secus atq; à lupis ad unum omnes subtraxerunt. *Samosateni* idem balneum, in quo Eunomius Episcopus lavabat, ingressi erant: Episcopus eos, ut secum lavarent, comiter invitabat; ac nemo unquam, ipso præsente, nemo etiam postea, nisi prius aqua omni ejecta, vel per cuniculos emissa, & nova rursus adducta, lavit, quæ res tam malè habuit Eunomium, ut Episcopatu se exuerit. Ludebant aliquando pueri (filii ipsorum) in foro, contigit verò ut lusoria pila pedem, contingeret

Hier. lib. 3. contra Valentinum c. 5 Heresis morbus est contagiosus, totis viribus, & summa animi provisione cavendus.

Theod. lib. 4. c. 14.

Lib. 1. epist. 3. l. Praef. To. 1. Controver. P. Bellarmini. Libri haereticorum maximo verborum delectu conscribuntur, ob id homines facillimè in errorem induuunt.

geret jumenti, quo Episcopus Lucius, Eunomii successor, vehebatur, continuò exclamant omnes, & magno in ipso foro accenso igne, in eum pilam conjiciunt. *Nulla*, inquit S. Cyprianus, *cum talibus commercia copulantur, nulla convivia vel colloquia misceantur, simusque ab eis tam separati, quam sunt illi de Ecclesia profugi.* Plus autem ad perniciem valere haereticorum libros, quàm eorundem viperea colloquia, probabis exemplo *Ioannis VVicleff*, qui licet in Anglia turbulentas pestiferasque habuerit conciones, pauculis tamen infamen haereseos labeculam aspersit, quae tamen sine magno negotio eluta est. Libri verò totam Bohemiam pervaserunt, & regnum nobilissimum veneno pestifero polluerunt. Et nostri temporis haeretici multò plura libris, quàm concionibus effecerunt. Ut non sit mirum, quod Concilia olim Excommunicationis fulmine percellendos censuerint eos, qui librorum haereticorum lectioni se darent.

II. *A comparatis: Si Alexander* Severum familiarem suum fumo perire voluit, propterea quod fumum vendidisset, quantò magis haereticorum libri ignibus consecrandi sunt, propterea quòd mortales salvifica fide privatos, aeternis infernalium flammarum destinant tormentis. *Aliter à comparatis:* Si venenum fugimus, multò magis hi libri fugiendi sunt: quia id haustum corpus solùm enecat, hi verò animam.

III. *Ab Ethnicorum* EXEMPLO. *Athenienses* flammis libros Diagorae, Protagoraeque aboleverunt, quòd hic Deos, teste Lactantio, in dubium vocasset: alter penitus negasset: Nero Fabricii Vientonis libros exuri jussit, quòd multa & probrosa in patres ac sacerdotes composuisset. Nostrorum verò haereticorum libri, & Deum negant, cùm eum Sacramento Eucharistiae excludunt, & ad libertatem, ac omnium flagitiorum licen-

Cic. de Nat. Deorum: Diagoram pepulerunt, ait. Valer. Max. lib. 1. c. 1. Libros

cen-

centiam nos vocant, & multa in Magistratus cum Civiles, tum Ecclesiasticos, in Pontifices, in Sanctos, in Deum blasphemi ejectant convitia; ergo multo magis ii comburendi sunt.

Diagora in concione exsufferunt, auctoremque, velut impium, ex urbe agroque exterminaverunt.

IV. *A perpetua Ecclesia consuetudine.* Act.19. *Ephesii* qui fuerant curiosa sectati, libros suos combusserunt. *Concilium Nicanum* libros Arii adjudicavit igni. *Constantinus Magnus Imp.* id fieri jussit proposita pœna capitis, si quis occultâsset. *Theodosius* Imperator Nestorii libros in Concilio Ephesino exuri jussit. *Honorius*, & *Theodosius* omnes libros Eutychet. diligentissimè quæsitos, jusserunt cremari. *Honorius*, & *Arcadius Imp.* Eunomianorum & Montanistarum, *Marcianus* Apollinaris scripta ex hominum manibus rejici voluerunt. *Ornabis hac per comparationem.* Refert Val. Max. libro 1. de Petilio Urbano Prætore, quòd septem libros Græcè conscriptos de disciplina sapientiæ, quia aliqua ex parte ad solvendam Religionem pertinere videbantur, ex auctoritate Senatus, per victimarios, seu ministros sacrificiorum, igne facto, in conspectu populi cremaverit. *Concludes hunc locum per Prosopopæjam*, accersendo D. Paulum Apostolum, qui defleat hominum nostræ ætatis improbitatem, *per collationem cum veteribus Christianis*, de quibus est Act.19. illi non solùm eos libros, qui religionem contingebant, sed qui curiositatem etiam aliquam redolebant flammis tradiderunt. At quàm illis hoc est præclarum, tam nobis est turpe in religione veteranos à tyronibus superari, illi alacres pretium denariorum quinquaginta millium abjecerunt, nos exigui libelli jacturam pertimescemus?

Iustinianus eos, qui Severi libros descripsissent, dextra voluit manu privari.

V. *Ab impio.* Quod impium sit Pontificum Maximorum, & cæterorum Ecclesiæ Antistitum decreta convellere; isti enim nostræ religionis duces gravissimis verbis nobis omnibus libros cum

ſectarios, tum morum bonorum hoſtes, ſeu impuros interdixerunt. *Concilium Tridentinum* Indicem fecit hæreticorum librorum, ut qui cumburendi ſint cognoſci poſſint. *Hic amplificabis* auctoritatem Eccleſiæ, & Principum Eccleſiaſticorum. Chriſti

Matth.18. Servatoris noſtri eſt: *Si quis Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.* Illa enim duce tenebras errorum evadimus, & nos ab hoſtium inſidiis facilè expedimus, & ſi par eſt, ut Imperatori milites obediãt, quo loco nos habebimur, ſi Principum noſtræ militiæ auctoritatem & imperium detrectemus? Diris omnibus devoventur, qui abſq; Eccleſiaſtici Magiſtratus auctoritate hæreticorum libros verſant. *Hic oſtende* quanta enormitas ſit excommunicationis, quod per eam à bonorum conſuetudine quis ſegregetur, à cœlis arceatur, & dæmonibus permittatur.

In CONFUTATIONE *refutabis quorundam excuſationem, quam ſuæ temeritati prætendunt:* cognoſcenda bona & mala, ut bonum diligamus, malum deteſtemur. Dices enim difficile eſſe ex luto aurum colligere, & maximam partem hominum ſpecie recti decipi: adhæc ad pravitatem, quam ad virtutem nos eſſe incitatiores, magnæ etiam eſſe arrogantiæ, pluris ſuum de controverſiis religionis facere judicium: quàm tot ſanctiſſimorum doctiſſimorumq; hominum Concilia, & omnem ſu-

Vide Gell. lib.18.c.3. periorum temporum antiquitatem. Denique etiamſi quædam in libris hæreticorum ſint bona, non tamen ea in iſtis libris eſſe legenda, cùm in iis ſint, non ut proſint, ſed ut noceant.

PERORATIO *monebit Auditores,* ut libros hæreticorum non modò non legant, verùm ne quidem habeant; ſed Vulcano potius litent. *Vel inſtituetur per Proſopopœjam Eccleſiæ monentis ſuos filios,* ut ab hiſce veræ ſalutis peſtibus non ſolùm ſibi caveant, ſed eaſdem etiam penitus opprimere ſtudeant.

XV. SVA-

XV. SVADET PRÆCEPTOR DIſcipulis, ad Theologiam aſpirantibus, lingua Hebraicæ ſtudium.

EXORDIUM *ſumet ab officio ſuo, & amòre erga diſcipulos:* quòd propter amorem, quo illos proſequitur, non poſſit non ea, quæ ad ſalutem & utilitatem ipſorum pertinere videntur, liberè eis ſuggerere. *Narrabit deinde* ſe cognoviſſe, multos ſuorum diſcipulorum ad functionem Eccleſiaſticam, & nobiliſſimum Theologiæ ſtudium aſpirare.

PROPOSITIO: Te igitur ipſis ſuaſurum, ut non modò Latinam & Græcam; ſed etiam Hebræam, ſeu ſanctam linguam addiſcant.

CONFIRM. I Locus, *ab honeſto.* Quod honeſtum ſit eam callere linguam, qua Deus ipſe in Paradiſo, & primi noſtri parentes uſi ſunt; qua poſt etiam Lex tradita eſt; qua Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, & ipſe Chriſtus locutus eſt; quæ deniq; non ſuperbam habeat cauſam, quemadmodum reliquæ linguæ omnes. Nam propter ſuperbiam qua inflati homines turrim Babylonicam in cœlum usq; exſtruere conabantur, Deus linguarum varietatem, quaſi pœnam quandam dedit, atque ita tantum ſuperbiæ opus diſſipavit. *Geneſ. 11.*

II. *Ab utili ſeu commodis.* PRIMÒ, Quod huius cognitio faciat ad planiorem ſacræ ſcripturæ intelligentiam: quia præcipua Bibliorum pars hac lingua continetur. SECUNDÒ, præſtat ut errores hæreticorum animadvertantur, quos illi nobis ex hac lingua, ut fonte ſacræ ſcripturæ, obtrudere conantur. TERTIÒ, ad hunc fontem recurri poteſt, ſi quam dubitationem attulerit Latinorum interpretum infinita varietas. QVARTÒ, efficit ut mendæ, quæ vel ex negligentia Typographorum, vel ex aliorum imperitia irrepſerunt, innoteſcant, & emendentur. QVINTÒ, ut vocabu- *Ovid. 3. de Ponto: Gratius ex ipſo fonte bibuntur aqua.*

Aug. To. 3. li. 2. de Doct. Christ. c. 11. cabula quædam, quæ in Latina editione remanserunt, vel propter sanctiorem antiquitatis auctoritatem observandam, vel quia commodè in alienam linguam transferri non potuerunt, intelligantur, ne ob imperitiam error oriatur. Hinc *in Epist. ad Damasum* D. Hieronymus carpit Hilarium, quòd *Osanna*, ob linguæ Hebraicæ imperitiam malè interpretatus sit.

III. *A dissimilitudine aliarum linguarum, & Hebrea.* Neq; enim ut in cæteris linguis crebrò contingit, ita hæc quoque fabularum lenociniis, ac ludicris nugis animum nostrum titillare solet, non pestiferis canticis aures demulcere, non profanis opinionibus mentes inficere, nullam breviter morum perniciem candidatis suis insinuare, seu instillare consuevit; verùm contra ubique seria veritas salutari gravitate blanditur, ad omnem aditum facundus ille sapientiæ lepor, dulcibus modulis plectrum suum meditatur, nihil adeò incontaminatum, quod non in vitam nostram placita seu decreta huius linguæ suo veluti jure quodam instillent.

IV. *A jucundo.* Quòd nihil jucundius homini pio & docto esse possit, quàm cum Sanctis Patribus & Prophetis absque interpretibus loqui posse.

V. *A glorioso.* Paucos istius linguæ peritos esse, atque ob id omnes, qui norint eam, aliis esse admirationi.

VI. *Ab adjuncta facilitate.* Nam studium linguæ Sanctæ non in portu, longo jam maris devorato tædio, sed in ipso limine, dum solvis à littore, & vix dum iter capessis, laborem tuum statim amplissimo præmio solatur. Dum Syllabarum corticem machæra fideli convellis, dum verbula sonare niteris, continuò pascit animum promicans nucleus, & sensuum seu sententiarum fragrantissima medulla. Quandoquidem sacrorum codi- *Nota allegoricam metaphoram.*

cum

cum (qui soli tanquam asylum sermoni Judæorum vel Hebraico præbuerunt) is divino munere genius, ut piis manibus, vel contrectati modò, puritatem doctrinæ ilico, sudent: dum, pronuntiatio fingitur, & exercetur lectio, interim omnibus numeris absolvitur tibi probitatis integritas: præcipuè verò, qui non curiosa levitate, sed spe religiosi cuiusdem auctarii, & illustrioris veritatis desiderio litteras Hebræas perdiscendas sibi duxerunt, familiaritatem scilicet cum divina sapientia quærentes liberiorem, ut coràm nativam illius eloquentiam audire, & suopte ore salutantem intueri possint; ii minutissimos apices quidem excutiunt, & veterem Christi vestem saltem fimbriatenus contingere audent: at iisdem vel ignorantibus, vel certè non ambientibus, tamen virtus illa de medico exiens fœdum & sanguinolentum sceleris fluxum sistit. Tantum vel ipse litterarum contactus, & rude sententiarum schema habet momenti: nedum illa penitissimorum perscrutatio, quæ characterum situ & numero, quæ verborum structura & ordinis pensiculatione peragitur.

In PERORATIONE *hortabitur discipulos*; ut summa industria linguam, tam frugiferam, jucundam, & facilem; non (ut autumant) horridam atq; asperam, non incultam ac tetricam; sed politia mira decoram, atq; adeò ipsa majestate venustam, expeditam, pronam, nulliq; non obviam, (si modò omnium artificum laborem in consilium adhibere statuat, citra quem nihil unquam natura dedit mortalibus,) addiscant.

XVI. DE AVLICORVM miseriis.

EXORDIUM *à nobilium quorundam stultitia*, qui liberos suos in aulis, quàm in scholis malunt educari. *Æn. Sylvius.*

Propositio. Ideo tibi delibetatum esse, eos, qui Regum ac Principum atria frequentant, vitam tum infelicem, tum miserrimam, ducere, demonstrare.

Confirm. I. Locus, *ab adjuncta infelicitate ipsorum Regum; & contra, à felicitate hominum privatorum.* Cum Menippus adolescens, apud Homerum Hesiodumque, diversa Deorum scelera legisset, ea licita esse, atq; honesta credebat: (nam Dii quod faciunt, quis non arbitretur honestum?) hic vir postea factus, cum illa tanquam turpia prohiberi legibus animadverteret, incertus animi Philosophus adiit, sciscitaturus ab eis, *quaenam esset optima vita:* sed neq; Philosophi satis fecerunt, cùm inter se dissentirent, & alii voluptatem, alii vacuitatem dolorum, virtutem alii: quidam verò animi, corporis, & fortunæ bona simul juncta vitam dicerent præstare beatam. Incertior igitur ille multò quàm antea, consulere mortuos decrevit, & ad inferos penetravit, ac ex Tiresia, quia & ipse Vates fuit, ubi vita foret beata percunctarus est; cui cùm vates diu respondere negasset, in aures tandem insusurrans, *apud privatos viros optimam vitam* (Felicitatem) *inveniri* dixit. Gyges quoq; Lydorum Rex, quoniam se præ cæteris fortunatissimum reputabat, Apollinem consuluit, quis suo tempore felix esset? contempsit oraculum, regias opes & apparatus, atq; Aglaum quendam modici ruris cultorem, qui metas agelli sui cupiditate nunquam excesserat, felicem esse respondit. Cùm ergo ipse Reges felicitatis sint expertes, quî felices efficerent aulicos?

II. *A causa efficiente felicitatis vera.* Vera causa felicis vitæ est virtus: at virtutes à Principum familiis frequenter sunt exclusæ, & si quando casu aut errore limen ipsorum ingrediuntur, evestigio fugere coguntur, perterritæ sinistris moribus qui-

bus

bus in altis palatiis vivitur: Metant ergo hunc agrum histriones, adulatores, & alii nebulones, qui nigra in candida vertunt.

III. *A causis felicitatis falsis.* Omnes enim, qui in aulicorum tribum descendunt, & latera Regum stipant aut honores quærunt, vanamque gloriam venantur, aut *potentiam*, aut *divitias*, aut *voluptates*, at in his vera felicitas non consistit. Adhæc, quis 1.
verum *honorem* in aulis dixerit inveniri? ubi sæpe non dantur honores secundùm virtutes; sed ut quisque ditior est & potentior, eò magis honoratur. Etsi non negem eos etiam interdum evehi pauperes, qui Regum crudelitati, avaritiæ, & aliis moribus sese accommodant. At hic non est verus honos, nec stabilis, qui ex radice venit non bona.

Hic praeoccupabis objectionem: At transeuntibus illis per urbem alii denudant capita, cedunt loco, salutem dicunt, manus osculantur. Ita est certe; at ubi transierint, *illi sunt*, inquiunt, *qui Principem nostrum seducunt, qui bellum suadent, qui vectigalia augent, qui verso pollice quos volunt ex nobis occidunt, quos dii deæq; omnes perdant.* Hujusmodi est honor aulicorum, qui si te, quisquis es, delectat, non verebor te stultum atq; insanum affirmare. Adhæc, cum honor sit duplex: alter, qui à viris laudatis provenit, alter multitudinis, stultus est, qui primum in omnibus aulis venatur, cum verus honor inveniri non queat, ubi virtutes non regnant; qui verò alterum quærit, multò stultior est, quia rem sequitur instabilem & incertam, & si sibi plurimos videat præferri etiam indignissimos, perpetuis cruciatibus affligitur: imò qui honoris est avidus, nusquam magis quam in aulis affligitur: maximè cùm insatiabilis sit humanæ gloriæ appetitus, ideoque semper altius evolare aulici contendant.

Vulgi laudes vir prudens pro nihilo reputat.

In aulis sunt multi amuli, simultates, odia; incidunt suspiciones, parantur insidiæ, perstrepunt undique delatores: Vide Theatrum vindictæ divinæ. Cic. 2. de Offic. Tolluntur in altum ut lapsu graviore ruant.

Nulla etiam apud Principes *Potentia* est diuturna, imò nullius status debilior, nullius incertior est, quàm eius qui apud Principem videtur esse potentior, cùm omnis potentia invidiæ sit subjecta. Accedit, quòd, ut oculus parvâ festuca turbatur; sic Principum gratia offensione vel minima cadit. Apud *Adrianum Imp.* delatorum voces adeò valuerunt, ut amicos quos ad summum promoverat, postea hostium loco habuerit. *Sejanus* ad tempus in aula Claudii potentissimus, unica Principis Epistola captus est, ac per urbem unco ductus ad spectaculum, & in Tiberis ripa truncatus, omnesque ipsius statuæ ex Capitolio dejectæ sunt. *Clitum*, suæ nutricis filium *Alexander Macedo*, sua manu interemit. *Sophia Iustini Imp.* vidua ad *Imp. Tiberium Constantinum* ait: Fieri non potest, ut in nimia Principum familiaritate Fortuna præstet fidem diuturnam. *Sidonius:* Regum consuetudo flammarum naturæ similis est, quæ sicut paulùlum à se remota illuminant, ita satis admota comburunt. *Tacitus:* Breves & infausti sunt Principum amores. *Polybius:* Qui Regias Principum sequuntur, pro Regis voluntate nunc beati, nunc miseri existunt. Qui in aulis sunt potentes, ii mille circa se oculos habent, & totidem linguas ad ruinam ipsorum aspirantes. Ruunt turres, quæ juxta flumen sitæ, perpetuum in se aquæ cursum recipiunt; & complures aulici ex gradu præcipitati, quantò prius potentiores censebantur, tantò post debiliores fiunt, & sunt inimicis gaudio, amicis verò & sibi dolori, molestiæ, atque dedecori. Transeo ad eos quos *divitiæ* in aulæ carceres attrahunt, quique cum Horatio laborem ferre se dicunt, *Senes ut in otia tuta recedant.* Vel cum Juvenale: Quo *sit mihi tuta senectus à tegete & baculo.* His non objiciam verba Christi, quibus tam difficile esse docet intrare divitem in

regnum

regnum cœlorum, quàm per foramen acus transire camelum; sed agam cum illis pingui Minerva. Assero igitur, ipsos, ut divitias comparent libertatem vendere; & multos divites esse necatos, (& ex omni generosorum equitum manipulo expunctos,) jussu eorum, qui eos ditaverunt. Solent enim nonnulli Principes sic quibusdam multa largiri, ut nos sues pascimus. *Senecam* certè, & *Longinum* propter divitias interemptos esse Juvenalis affirmat. *Marc.* 10.

Ad extremum, quis non videt quàm stultè agant, qui obsequia Principum amplectuntur, ut splendidos equos conspiciant, bella geri, exercitusq; concurrere videant, & similia contemplentur? Hæc enim omnia multo jucundiora sunt privatis hominibus: quia qui servitio Regum mancipatus est in bellis non ut spectator, sed ut miles aderit, huc atq; illuc concursabit, ac hostem ferire, seq; tueri magis, quàm oblectare oculos cogitabit. Pauca grata audiunt: nunc enim civitates captæ, nunc viri præstantes occisi, nunc rapinæ commissæ referuntur, &c.

IV. *Ab adjunctis periculis, & difficultatibus aulicæ vitæ.* *Zenonem* Philosophum senem admodum *Phalaris* Tyrannus omni cruciatus genere dilaceravit. *Anaxagoras* nobilis Philosophus ab *Anacreonte* Cypriorum Rege occisus est. *Boethius* jussu *Theodorici* Regis interiit. *Cyrus* Persarum Rex *Harpago* familiari suo, admodum antè charo, filios epulandos in convivio dedit. *Cambyses Praxaspis* filium sagitta transfixit. *Callisthenes*, dum adorari more Persico *Alexandrum* prohibet, truncatis manibus & pedibus, effossis oculis, naribus & auribus amputatis, miseram vitam in carcere ducere cogitur: cui cùm Lysimachus in remedium ærumnarum venenum obtulisset, leoni objectus est. *Percurre reliquos sensus.*

Taceo innumera tædia, quæ aulicis nocturno

tempore sunt devoranda; non dico ipsos rarò certo tempore comedere, mercedem laborum difficulter extorquere, & similia.

In EPILOGO *monebis Auditores*, ut mirabilem hanc ollam studiosè devitent.

XVII. VITUPERATIO OTII.

EXORDIUM: Homines prudentes, ab iis se rebus abduci facilè patiuntur, quæ cum aliqua turpitudinis labe, & incommodis multis sunt conjunctæ.

PROPOSITIO: Cùm igitur tuos in liberalibus studiis ab otio cupias esse alienissimos, tibi propositum esse affirmabis, & insignem turpitudinem & incommoda huius vitii ipsis demonstrare.

CONFIRMATIONIS I. LOCUS *ab adjuncta turpitudine*. Quòd admodum turpe sit, hominem ad laborem, teste Job, natum, aspirare ad otium, cùm nihil in mundo otio vacet, ne Deus quidem totius mundi opifex. *Pater meus usq; modo operatur*, ait Christus, *& ego operor*. *Angeli omnes*, teste Apostolo, *sunt administratorii spiritus*, &c. cœlestes orbes nulla quiete interposita, continenter agitantur. *Omnes agunt*, ait S. August. *quod agere debent*; quam ergo turpe est solum hominem de ignovo otio agendo cogitare? maximè cùm ipsi dictum sit, *quod nulli*, ut ait Ambrosius, *aliorum animantium*, *In sudore vultus tui manducabis panem tuum*.

Cap 5. v.7. *Gen.2.v.15.* *Ioan.5.v.18.* *Heb.1.v 14.* *Serm.6. ad fratres in Eremo.* *Præf.in Luc.* *Gen.3.v.19.*

II. *Ab incommodis*. Nam PRIMÒ, otio patefit janua diabolo, & eius tentationibus. Est enim pulvinar diaboli. Hinc S Hieronymus. *Aliquid operis facito*, ait, *ut semper te diabolus inveniat occupatum*. Joan. Cassianus. *Hæc*, ait, *apud Ægyptum ab antiquis Patribus sancita est sententia, operantem Monachum dæmone uno pulsari, otiosum verò innumeris spiritibus devastari*.

Epist. 4. *Lib.10. Inst. Mor.c.25.*

SECUN-

Secundò, otium est magister omnium vitiorum: hinc à Spiritu sancto doctor ipsius malitiæ nuncupatur, cum ait: *Multam malitiam docuit otiositas.* Neq; enim leviora duntaxat delicta, sed gravissima etiam, & nefaria crimina in otii ludo addiscuntur; quæ nomine *multa malitia* hic intelliguntur. S. Augustinus ait: *Per hanc* (otiositatem) *accendimur frequenter ad luxuriam, per hanc animamur ad superbiam, per hanc ducimur ad mundi gloriam, per hãc tentamur delicatè pasci, per hanc suffocamur pretiosè vestiri, per hanc ad superfluam dormitionem trahimur, per hanc ad verba secularia ducimur. Nunquam quis civis cœlorum erit si otiositatem amaverit.* Atque hæc est causa, cur B. Ambrosius non dubitet tempus belli & persecutionis tempori pacis, quo otium viget, anteponere. Eadem de causa S. Hieron. non semel otium appellavit *rubiginem sapientiæ & ingenii:* ut enim tempore pacis videmus arma bellica splendore suo destitui, & rubigine obduci; sic in otio animus noster exercitatione virtutum destitutus quasi torpescit, & rubiginem contrahit ac situm spiritualem.

Syr 33.v.29.

Serm.16 ad Frat. in Eremo.

In expos. Psal. 118. serm 11.

In c 10. Eccl.

Tertiò, otiosus jacturam facit temporis, quod Theophrastus apud Laert. sumptum pretiosissimum vocat: quia elapsum nullo pretio recuperari potest. Hinc & Democritus Milesius pretiosissimum impendium appellavit.

III. *Ab exemplis eorum, qui propter otium in gravissima crimina prolapsi sunt.* Nonne otium filios Israel permovit, ut Moyse in monte cum Deo agente aureum vitulum impiè adorarent? Nonne Propheta Ezechiel causam istius libidinis, ob quam Sodoma & Gomorrha, aliæque Urbes cœlesti fulmine absumptæ sunt, saturitati panis, & otio ipsorum & filiorum attribuit? *Quando David,* ait S. August. *exercitavit se in militia, non insultavit ei luxuria; sed postquam in domo otiosus remansit. labo-*

Exod 32 v.6. Sedit populus, &c cap. 16.v.4.

Serm.16.ad Fratres in Eremo.

2.Reg.11.4.

Iud 16.v.21.

3.Reg.11.4.

laboravit adulterio, & homicidium commisit. Samson, dum cum Philistæis pugnavit non potuit capi ab hostibus; sed postquam dormivit in sinu fœminæ, & otiosè cum ea remansit, mox capitur, & cæcatur ab hostibus. Salomon dum occupatus esset in ædificatione Templi non sensit luxuriam, sed mox recedens ab opere, persensit insultum luxuriæ, & deficiens, fœmina instigante ad idola, adoravit in thalamo vitulum aureum, &c.

IV. *Ab Exemplis eorum, qui otii hostes fuerunt,* quorum multa recensentur in speculo nostro Bonorum Clericorum.

Matt. 20. 8. *In* EPILOGO *monebis Auditores,* ut cogitent in
Matt. 16. 29. Verbo Divino non otiosis, sed laborantibus pro-
Matt. 23. 8. mitti mercedem, & quidem majorem mercedem
2. Cor 9. v. 6. secundum majorem laborem, item exiguos esse
Rom. 8. v. 18.
2. Cor. 4. 17. labores nostros, si cum excellentia mercedis æternæ conferantur; & ut ad cavendum otium tempusque redimendum ita se occupent actionibus & laboribus instituto suo consentaneis, ne, quod præcipuum est, animæ salutem negligant: id enim esset vitium vitio pellere, & unum diabolum pro alio admittere. Hoc certè omnium actionum, vitæq; totius fundamentum esse debet, ut *sobriè, piè, & justè* hanc vitam instituamus *in hoc seculo.* Atq; idcirco sapienter monet Augustinus, ut occupationibus, sive literarum, sive negotiationum, sive litium, sive aliis quibuscunq; nos dedamus, tempus tamen aliquod eripiamus curandæ saluti nostræ: id enim esse apud Apostolum, *Redimere tempus.*

Tit. 2. v. 12. *De verbis Apost. Serm. 26.* *Eph. 2. v. 15.*

XVIII. VITUPERATIO PIGRITIÆ, & Corporalis, & Spiritualis.

EXORDIUM *ab hac comparatione ducetur:* si huius sæculi homines pro exigua mercede & quæstu ingentes sæpe subeunt labores, eòq; majores, quo major quæstus vel remunerationis spes afful-

affulget; quantò magis nos parati esse debemus ad labores sustinendos pro regno Dei, & felicitate æterna, quæ tanta est, ut nihil sint omnes nostri labores, si cum illa conferantur.

In PROPOSITIONE *dices:* licet tanta remuneratio parata sit in cœlo strenuè laborantibus in vinea Domini; tamen multos inveniri pigros, ideoq; tibi decretum esse Auditoribus omnem torporem & ignaviam reddere exosam. **Rom. 8 v. 18.**

CONFIRMATIONIS I. LOCUS *à turpitudine pigritiæ*, cum universæ naturæ, ac in primis humanæ sit contraria. Hinc D. Paulus denuntiat Thessalonicensibus: *si quis non velit operari, non manducet.* S. Bernardus, epistola ad Henricum Senonensem Archiep. *Labor*, inquit, *& laborare, & voluntaria paupertas, hæc sunt Monachorum insignia.* &c. **Iob 5. v. 7. 2. Thess. 3. v. 10.**

II. *A necessario.* Nullus enim bonus agricola est nisi gnavus, & industrius, rusticarum rerum studio incensus. Opifices, qui non de multa nocte vigilant, mercator ignavus, miles segnis nec rem facere, nec aliquid laude dignum exequi possunt. Artium maximarum studia sine vigilantia & labore frustra tractantur. Tota laus Ducis belli, & Imperatoris existit in vigilantia & celeritate. Hinc Vespasianus dicebat: *Imperatorem stantem debere mori.*

III. *Ab incommodis.* Nam pigri PRIMÒ hominibus sunt exosi. Prov. 10. v. 26. *Sicut acetum dentibus, & fumus oculis, sic piger his, qui miserunt eum.* SECUNDÒ, habentur viles & ignominia digni. Syr. 22. v. 2. *De stercore boum lapidatus est piger: & omnis qui tetigerit, excutiet manus.* Salomon, Prov. 10. v. 5. *Qui stertit æstate, filius confusionis* (est.) TERTIÒ, fiunt egeni & mendici, Prov. 20. v. 4. *Propter frigus piger arare noluit: mendicabit ergo æstate, & non dabitur illi.* cap. 11. ait ad pigrum: *Veniet tibi*

quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus. QVARTO, sunt pluribus vitiis obnoxii. Prov.24. v.30. *Per agrum hominis pigri transivi, & ecce totum repleverant urticæ.* Terra enim nullo labore culta, nihil nisi spinas & tribulos profert: aër non commotus, corrumpitur: domus non habitatæ corruunt: viæ non tritæ sylvescunt: instrumenta musica, quæ non pulsantur, destruuntur: ferrum sine exercitio rubiginem contrahit: aqua stagans, non nisi ranas, bufones, & serpentes gignit: equus generosus, in stabulo quiescens, marcessit. Catonis sententia erat: *Homines nihil agendo, malè agere discere.* Hinc lex Ægyptiis fuit qua singuli cogebantur nomina apud præsidem profiteri, & qua arte sustentarentur ostendere, quod si quis mentiretur, aut injusto quæstu viveret, capite plectebatur.

cap.4.v.17. Adhæc S. Jacob ait: *Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi.* QVINTO, ignavi & segnes dæmonum dolis & tentationibus maximè sunt obnoxii.

Matt 17.15. *Luc.11.v.14* Invenit ea vacantem. (*otiosam.*)

Hinc Christus ait: *Cùm dormirent homines, venit inimicus, & superseminavit zizania,* &c. Diabolus Davidi domi otio vacanti suum libidinis zizanium ita insevit, ut uno ferè, ut ita loquar, halitu simul adulterium & homicidium perpetrârit. SEXTO, sunt maledicti, & morte temporali & æterna digni: Jerem.48.v.10. *maledictus qui facit opus Dei negligenter.* Matth.3. v.10. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* c.2.v.13. *Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores.* Joan.15.v.2. *Omnem palmitem,* &c.

Prov. 6. v.6. IV. *Ab exemplo bestiarum*, quæ quotidie laborant pro vili aliquo pabulo consequendo: quis enim nescit, quamdiu araneus pro musca, felis pro musculo capiendo ad foramen advigilet? quis ignorat, quantum supra vires formica æstare sudet pro esca hyberna, quod exemplum Salomon ad pudefaciendos ignavos protulit.

V. *Ab*

V. *Ab exemplo illorum, qui noctu diuq; se fatigant ut mundo placeant.* PELAGIA Antiochena meretrix, ait Jacobus Diaconus Heliopoleos, adeò compta per vias ibat, ut nihil in eius vestibus, præter aurum & gemmas ingenti splendore micantes, cerneretur, ipsi quoq; pedes auro & margaritis fulgebant, stipabant verò eam ingens comptulorum puerorum, puellarumq; turba. Tanta autem formæ eius erat venustas, ut spectatores nullo eius aspectu satiari possent. Episcopi aliquot ei obviam facti, cum gemitu vultum averterunt, velut à re execrabili. Solus *Nonnus* Edessenus Episcopus oculos in eam diù defixit, aliosque Episcopos ea re obstupefactos rogavit, quid de ea venustate illis videretur? illis verò silentibus, vultum in genua demisit sudario tectum, multasque cum longo suspirio lachrymas profudit; erectus verò dixit, se mirificè ea venustate delectatum. *Quot enim horas*, inquit, *hac mulier expendere putanda est dum se comit & ornat, tota mentis cogitatione in id intenta ut sua pulchritudine mundi amatoribus placeat. Et nos habentes Patrem omnipotentem in cœlis, Dominum immensæ majestatis, amplissima promittem præmia benè operantibus nihil studemus ornandis miseris animabus nostris, ac sordibus earum expiandis; sed patimur eas inter spinas jacere, desidiaque marcescere.* His dictis, apprehensa manu Diaconi sui abiit in cubiculum, ibique humi prostratus, nullum plorandi finem faciens, cœpit coram Deo suam socordiam detestari, dicens: *Ecce unius diei ornatus, quem hæc fœmina corpori suo excolendo adhibet, vincit omnem animæ suæ ornatum.* Hanc *Pelagiam S. Nonnus* paulò post, cùm fortè eius concioni interesset, ad Christum convertit, sacris aquis abluit, suaque institutione effecit; ut post durissimam actam pœnitentiam in monte Oliveti, ubi ignota in habitu virili usq; ad mortem

Luc.18. v.8. Filii seculi, &c.

Apud Sur. 3.Octob.

tem delituit, in Sanctarum numerum ab Ecclesia sit relata.

In EPILOGO *monebis Auditores*, ut obrepenti torpori & somnolentiæ, post imploratum divinum auxilium, ilicò & seriò resistant.

XIX. VITVPERATIO ACEDIÆ seu gravis tadii in exercendis actionibus piis, ad salutem necessariis.

Dioscorides lib. 6. c. 54. Virtus expetitur, cum splendor & dignitas ejus intelligitur. Vitia beni odisse incipiunt, cùm atrocitatem eorum perspexerunt.

EXORDIUM *ducetur ab effectu vitiorum*, quòd ita blanditiis animos nostros deliniant, & occupatos teneant; ut non solùm non videamus ea, sed bellè insuper etiam nobis placeamus & confidenti animo in illis perseveremus. Unde non illepidè comparantur aspidis morsui, qui grata quadam voluptate hominem læsum afficiens, quasi sine sensu in somno eundem extinguit. Quod perpulchrè quoq; expressisse videtur Homerus, cùm fingit Ulyssis socios semel gustata loto discedere postea ab illa noluisse. Ad eundem enim prorsus modum, semel susceptum dulce vitiorum venenum, non facilè potest relinqui, sed subinde magis atq; magis adlubescit.

PROPOSITIO: Hæc cùm ita sint, magnopere necessarium esse, crebris sermonibus vitia taxare & vituperare, ut in lucem producta, & suis coloribus depicta, liquido conspiciantur, odiumque sui justissimum in mentibus non prorsus desperatis excitent, & accendant. Conaturum itaq; te breviter, non quidem omnia vitia; sed unum duntaxat, hoc nostro seculo valde usitatum, quod Acediam Theologi vocant, adumbrare.

CONFIRMATIONIS I. LOCUS, *ab inhonesto.* Quòd turpe sit Divinæ Majestati non obtemperare, quæ graviter, seriò, & irrefragibiliter sancit, & mandat omnibus, & singulis suis creaturis, ut opus sibi deputatum certatim & sine recusa-

cusatione efficiant, *Soli* præcipit lucem & calorem impertiri rebus nascentibus, inducere aniversarias vicissitudinis perpetuo suo & indefesso cursu distinguere dies & noctes. *Lunæ* mandat, ut præsit nocti, infundat, humores rebus inferioribus necessarios. Cæteras *stellas* jubet decorare cœlum, prædicare magnificentiam & providentiam divinam, atq; cum Sole & Luna hunc aërem, quo fruimur, & ex quo spiritum ducimus, temperare. *Terram* jubet quotannis copiosos proferre fructus. *Volucres* vagari in aëre, ut escam præbeant hominibus, & concentibus suis celebrent Creatorem. *Homini* verò officium dedit laborandi juxta suam vocationem, cum in Paradiso ita concionatus est: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Principum, Regum, & aliorum Magistratuum Edictis nemo sine nota turpitudinis potest refragari, neq; impunè aufert, qui Magistratus jussa violat. Quàm igitur foret turpe severo omnipotentis Dei mandato nolle obtemperare? Etsi *Romani* sibi à severis imperiis Manlianis timuerunt, quàm impium foret mandata Dei tam severis, tamq; potentis, ut uno verbulo totam mundi machinam dissolvere possit, susq; deq; ferre.

II. Locus *ab impio*, quòd impium sit, non alta mente reponere; sed quasi pedibus conculcare seria Christi nostri. Salvatoris verba, quibus nos avocat à desidia, & ad exercitium bonorum operum invitat, quando inquit: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum Pater meus. Ignem veni mittere in terram; & quid volo nisi accendatur?* Et: *Anni tres sunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac: & non invenio, succide ergo etiam terram occupas?* Et: *Serve male, & piger, sciebas &c. oportuit ergo te pecuniam meam committere nummulariis & ego veniens recepissem utique* quod

Acedia favore Dei nos spoliat vasa iræ efficit.
Matt.7.19.
ingrataque pōdera terræ.
Ioan.15. v.1.
Luc.13. v.7.
Matt.25.26.
Nota cur Christus venerit, docuerit passus sit.
Pœna desidis, & talentum

suum non bene collocantis. Matth. 20. & 12.

quod meum est cum usura, &c. inutilem servum ejicit in tenebras exteriores. Et: *Quid hic statis tota die otiosi? venite & vos in vineam.* Imò *omne otiosum*, inquit, *verbum quodcunq; locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.*

O ergo tetrum & horrendum vitium, Acedia, quæ creaturas à suo Creatore tam fœdè alienas & abstrahis! qui enim te sequitur, jam à Deo avulsus est, & in laqueos diaboli funestos incidit, factus eius mancipium & larva optatissima.

III. Locus *iterum ab inhonesto seu turpi:* Quod cùm in universa natura nihil otiosi inveniatur, & Angeli perpetuò suavissimis hymnis Deum concelebrent, homines custodiant, ubique illis assistant, eos comitentur, præcedant, circumcingant, deducant, & diligentissimè eorum vestigia observent, denique nocte & die super illos vigilent: atque adeò ipsemet summus Creator rerum otiosus non sit; sed tanquam sedulus & diligens paterfamilias regat & administret omnia, homo certè altam & detestandam suam acediam excusare & à macula turpitudinis purgare non possit. Cic. (*2. de Nat. Deorum.*) audet eum nihil esse dicere, qui nihil agit. Cum enim omne quod est, certæ actioni intentum sit, verè nihil est id, quod in agentium numero non invenitur. Hesiodus tamen appellationem illi (otioso) tribuit, & fucum nominat: propterea, quod ut fuci apes non sunt, & tamen illis sese admiscent, partisq; earum frui volunt; ita otiosi ac desides verè non sunt homines, & tamen bonis humanis utuntur. Quid igitur hoc vitio inhonestius, indignius & atrocius esse potest? Detestatur illud Deus, abominantur Angeli, aversatur Natura, oderunt homines, ipsæ denique manus, brachia, & membra cætera Acediam extremè execrantur, cum ad officium faciendum à Natura destinata sint, & parata.

IV. *Ab incommodis.* Nam PRIMÒ,infeſtos nos reddit Deo:quod autem incommodum,quod malum tantum eſt quin levius feratur,quàm ira Dei? O quàm grave eſt incidere in manus Dei irati? quàm intolerabile eſt eſſe hoſtem Dei? quam triſte & luctuoſum eſt ſervire diabolo? id enim non in hac ſolùm vita dolores graves conſcientiæ adfert, ſed & poſt mortem temporalem, mortem parit ſempiternam,tormenta & ſupplicia æterna.

SECUNDÒ, Bonorum Angelorum amicitiam omnem & benevolentiam tollit: ut enim induſtriis ac laborioſis libenter adſunt, eos amant, fovent, & quaſi in manibus ſuis geſtant; ita deſides & otioſos oderunt & averſantur. Quid autem eſt homo deſtitutus cuſtodio Angelorum,nihil certè aliud niſi larva ſeu ſpectrum diaboli, cui ſuum venenum inſpirat, ut recta via ad æternam damnationem deducat.

TERTIÒ, Hominem univerſæ naturæ inviſum reddit & exoſum,ut perpetuò cùm hoſtibus vivere cogatur. Habet enim otioſus infeſtas ſibi omnes creaturas, & propitium neminem: invident illi homines, invidet cœlum, abominatur eum terra, & quocunque ſe recipit, nihil ibi niſi hoſtes invenit. Sol adeò ipſum deteſtatur, ut niſi piis parceret, manifeſta luminis ſui obſcuratione iram ſuam adverſus illum declararet. Terra tam inimica ipſi eſt, ut gemat, quoties ab eo conculcatur. Quid multa? omnes pecudes & volucres, quibus veſtitur aër, graviſſimè mœrent, quòd tam inutili & ingrato ſuo alumno victum præbere cogantur, & optant illum infra omnes mortuos eſſe amandatũ.Conquerentur etiam hæ creaturæ de iſtiuſmodi homine in extremo Judicio,& ſuum miniſteriũ officio ſuoſq; labores illi exprobrabũt. Qua tunc fronte,quibus oculis intuebitur creaturas?Nõ ſolùm projicietur à facie Dei,ſed exclu- *Erit, & manebit excrementum mundi.*

cludetur etiam ab omnibus creaturis, ut earum ministerii & opis, nullo nunquam tempore particeps fiat.

Vide Triumphum virtutum Præfat. Tragœd. Discedite à negligente, ne umbra ejus noceat bonis.

QVARTÒ, Polluit & inficit suo vitio alios, imò omnibus, cum quibus vivit, nocet otiosus: Est enim in exemplis magna vis, quæ quasi trahit homines ad imitationem.

V. Locus *ab injucundo.* Quòd admodum sit insuave & tædio plenum, nullum certi officii genus, nullum certum laborem exercere; sed animum natura cogitabundum, & manus ad laborem creatas semper vacuas gerere.

VI. *A commodis contrarii, seu industrii, & ejus, qui in cursu pietatis flagrat maximo desiderio proficiendi:*

Franc. Arias de profectu Spiritus.

Nam sæpe unus Dei servus, in cultu Dei fervidus, sicut quotidie majorem facit accessionem ad gratiam & amorem Dei, ita *plus gratia consequitur* à Deo, quàm alii quamplurimi, qui nulla cogitatione de spirituali profectu; suscepta languidè Deo serviunt. Hinc Sancti Patres illud Christi:

Luc. 15. Leo serm. 2. de Quadr. Ibi homines incidunt in deficiendi periculum, ubi proficiendi deposuerunt appetitum Viatores, perge.

Majus gaudium est in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia, exponunt non de quolibet peccatore pœnitentiam agente; sed de eo, qui intimo animi sensu anteactæ vitæ errata deplorat, & magno fervore novam vitæ rationem est ingressus, eumque conferunt, non cum quocunq; justo; sed cum iis qui languidè & negligenter Deo serviunt, quasi Christus dixerit: apud Deum meliori loco esse servum sedulò & ferventer officio suo fungentem, etiamsi paulò ante gravibus obstrictus fuerit peccatis, quàm nonaginta novem justos lentè & frigidè saluti suæ studentes S. Gregorius ait: *Plerumque hi, qui nullis se oppressos peccatorum molibus sciunt, stant quidem in via justitiæ, nulla illicita perpetrant: sed tamen ad cœlestem patriam anxiè non anhelant*, &c. *Contra nonnunquam hi, qui se aliqua*

Hom. 34. in Evang. Beda in Luc. 15. Bona ibid.

aliqua illicita egisse meminerunt: ex ipso dolore suo compuncti inardescunt in amore Dei, seseque in magnis virtutibus exercent, cuncta difficilia sancti certaminis appetunt, omnia mundi derelinquunt, honores fugiunt, acceptis contumeliis lætantur, ad cœlestem patriam anhelant, & qui se errasse adeò considerant, damna præcedentia lucris sequentibus compensant. Ideo majus de peccatore converso quam de stante justo gaudium fit in cœlo: quia & dux in prælio plus eum militem diligit, qui post fugam reversus, hostem fortiter premit, quàm illum, qui nunquam terga præbuit, & nunquam aliquid fortiter gessit. Sic agricola illam amplius terram amat quæ post spinas uberes fruges profert, quàm eam quæ nunquam spinas habuit, & nunquam fertilem messem producit, &c. *Hinc collige quantum Deo gaudium faciat quando humiliter plangit justus si fecit in cœlo gaudium quando hoc quod male gessit per pœnitentiam damnat injustus.* hæc Gregor.

Quis autem non optet Deo adferre voluptatem? quam ille maximam capit ex fervore & studio nostro proficiendi, cùm eius sit cibus lautissimus pasci *inter lilia*, hoc est, candore & odore virtutum delectari. Tantum enim bonum est placere Deo, & divinam majestatem oblectare, ut meritò dicat Chrysostom. *Si dignum fueris agere aliquid quod Deo placeat, aliam ne require mercedem præter hoc ipsum, quod placere meruisti. Si requiris mercedem, verè ignoras quantum bonum sit placere Deo.* Cant. 2. Rer. serm. 7. Lib. 2. de com. cordis.

Ut declararet Deus, quantopere optat nos magnos facere progressus in cursu virtutis, & magno studio iter ad cœleste regnum prosequi, sæpius verbis magno effectu & gravitate plenis id quondam à dilectis suis servis postulavit. Ad Abraham Patriarcham dixit: *Ambula coram me,* (institue vitam sanctam,) *esto perfectus.* In novo Testamento ad omnes fideles dixit: *Estote perfecti sicut & Pater vester cœlestis perfectus est*, hoc est, contendite ad Gen. 17. Matth. 5. Apoc. 1. *Qui justus est, justifice-*

 per-

tur adhuc, & sanctifi-cetur adhuc. Coloss. 1. Gal. 5. & 6. Spiritu ambulate.

perfectionem virtutum, ut tanquam filii imitemini Patrem cœlestem eo modo, quo potest creatura quadantenus imitari Creatorem. Hinc & Paulus. *Non cessamus pro vobis orantes,* &c. *ut ambuletis dignè, Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes & crescentes in scientia Dei, in omni virtute confortati,* &c.

Adde quòd Deus erga illos fideles, qui ferventes sunt cultu divino, & quotidiè accessionem aliquam facere ad priores virtutes conantur, tot tantaque providentiæ intimique amoris argumenta prodit; (variis spiritus donis eos ornando, ab impendentibus tentationibus eos tuendo, precesque eorum exaudiendo,) ut veri & germani eius filii esse præ cæteris existimari queant.

Exemplū 1. Exod. 3.

Etsi à temporibus Abrahæ usque ad Moysen (trecentis, eoque amplius annis) quamplurimi absque dubio in gratia vixerunt Dei: tamen Deus perinde ac si illorum omnium oblitus esset, trium solùm, qui sibi charissimi fuissent, nomina Moysi prodidit, cùm dixit, se appellari Deum *Abraham,* Deum *Isaac,* & Deum *Iacob,* iussitque eo nomine se apud populum Israël vocari, hoc nomen sibi fore perpetuum, eodemque se omnibus retrò seculis nuncupandum, significās se singularem semper eorū habuisse curam, & promissioni illius eorumq; posteris factæ satisfacturū. Non autem nominavit se Deum omnium trium simul Abrahæ, Isaac, & Jacob, sed particulatim Deum Abraham, Deum Isaac, Deum Jacob, declarans se unumquemque illorum trium in magno habuisse pretio. Nec solùm hoc nomen in deserto patefecit Moysi, sed & voluit illud in toto populo Israel licito, imo in toto mundo usurpari in orationibus, aliisque divinis laudibus, ut perpetua apud omnes memoria exstaret se Abraham, Isaac, & Jacob pro singularibus habere amicis, propterea quòd illo sæcu-

Ecce Deus in communionem sui nominis admittit pium, vocando se Deum illius ut Reges &c. nomenclaturam sibi assumunt ab urbibus sibi charissimis.

sæculo præ aliis in virtutum studio progressum fecerint, perfectiusq; divinam voluntatem, zelando pro gloria Dei, præstiterint.

Et si *Moysis* ævo multi etiam erant pii, tamen Deus omnibus aliis prætulit Moysen, quia perfecta virtute præditus erat, cavebatque non solùm gravibus, sed etiam levibus Divinam Majestatem offendere peccatis, atque in iis pietatis operibus se exercebat, quæ sciebat Deo esse gratissima, ut in contumeliis & injuriis populi fortiter tolerandis, & in charitate ardenti omnibus æquè inimicis atque amicis deferenda. Hinc cùm aliquando decrevisset Deus totum populum ob scelera admissa funditus delere, ob solum Moysen à cæde abstinuit, eiq; dixit: *Dimitte me, ut ira mea in populum desæviat.* Non retardabant eum quò minus omnes è medio tolleret, tot innocentes, qui nunquam deliquerant; non tot Levitæ gloriæ divinæ tuendæ studio flagrantes, sed unus Moyses omnipotentiæ eius manus cohibebat, eiusq; justitiæ furorem, ne omnes disperderet, avertebat. 2. *Deus, ne pium contristet, integro parcit regno.*

Etsi quoq; tempore *Eliæ* multi erant servi Dei ab omni scelere immunes, tamen unum ex omnibus Eliam (quia ad veræ pietatis culmen & arcem pervenerat) tanti fecit, ut dederit illi potestatem in tempora & nubes. 3. *3. Reg. 15. 17. 18. Rom. 11. Iob. 5.*

Etsi denique tempore Davidis magna esset justorum copia, tamen quia unus Rex *David* ad fastigium perfectionis pervenerat, voluntati Divinæ sedulò paruerat, magno zelo amplificandæ Divinæ gloriæ exarserat, lapsus suos, licet graves voluntariis pænis deleverat, gratiamque amissam recuperarat, Deus reliquis omnibus servis posthabitis, tanto hunc peccatorum hostem, bonorum operum sectatorem, & magnum divinæ gloriæ amplificatorem prosequebatur honore, ut se quodammodo ei exæquaret, quando diceret Ezechiæ Regi: 4. *2. Reg. 11.*

4.Reg.20. *Protegam urbem istam propter me, & propter David servum meum.*

Præterea servi Dei, magnum in singulos dies in virtute progressum facientes, doctrina sua, & cumprimis exemplis, alios vehementer ad amorem virturum accendunt, ideoque in Scriptura dicitur lucere in medio nationis pravæ & perversæ, sicut stellæ in firmamento. S. Greg. inquit, *Si sanctorum opera inspicimus, illa contemplata nos accendunt, & cor nostrum corpore non constringitur, dum imitatione provocatur.* Sacra Judicium historia refert, quod quam diu aliqui de Senioribus, gloriæ divinæ amplificandæ studiosi, quique miranda Dei opera spectârant, fuerunt superstites, populus in timore Dei, eorum doctrina & exemplo fuerit conservatus: illis verò exstinctis à veteri religione & pietate degenerârit. Sic rex *Ioas* primis annis regni sui pie regnavit, suoque exemplo totum populum in vero Dei culto continuit, quod Pontifex *Iojatha* doctrina sua & zeló non pateretur Regem à via rectà deflectere. Eo verò mortuo, subito prævaricatus est, & populum à legitimo Dei cultu avocavit.

Homines Dei in virtute proficientes, sunt columnæ, quæ Ecclesiam Christi sustentant, & unitam cum lapide angulari Christi conservant. Hinc quoties Deus peccatis populi graviter offenditur, & à sua justitia quasi vindictam contra illum exposcit, optat in medium prodire tales, qui se iræ suæ opponant, & manum ultricem precibus suis à populi clade averrant. Nam viri amore & zelo Dei fervidi vi & efficacia suarum precum, & sanctæ vitæ, impetum divinæ iræ frangunt, & velut columnæ humeris suis totum populum sustentant. Si enim talem aliquem in medio innumerabilium improborum, qui internecionem meruerunt, conspexerit, Divinæ suæ justitiæ manum, jam in eos exertam, cohibet & coercet. S.

Philip. 2. *Dan. 12.* *Apoc. 1.* *Lib. 25. Mor. c. 7.* *Iud. 2.* *4. Reg. 12.* *Par. 24.* *Ierem. 1.* Dedi te in columnam ferream & in murum æneum. *Apoc. 1.* *Ezech. 22.* *Hier. in c. 22 Ezech.* *Ierem. 5.* *Si unum inveneritis in civitate jam jamq; peritura, justum miserebor. Hierusalem, &c.*

S. Ambr. ait: *Quàm beata civitas, quæ plurimos justos habet: quàm gaudeo cùm aliquos mites ac sapientes diu vivere video, cùm virgines castas, viduas graves aspicio longævas. Non ipsis gaudeo, cùm vivendo multa subeant tædia seculi hujus, sed quia prosunt pluribus. Cum aliquis horum decedit, quamvis longa senectute depositus, dolore afficior, quia destituitur grex juvenum, muro senili. Perituræ urbis aut malorum imminentium, vel futuræ labis hoc primum indicium est, si decedant viri consultores, vel etiam graviores fœminæ. Hinc primum ingruentium porta aperitur malorum.* Adhæc perquam utile est, ipsis etiam Dei servis, in cursu pietatis facere progressum. Nam PRIMÒ, Deus oculos animarum tam admirabili luce in ipsis collustrat, ut facillimè cernant & notent omnia peccata, tentationes, & præcipitia eorundum, unde mirantur hominis vitam tantis obnoxiam esse periculis, ingenueque agnoscunt, quantam quisque salutis suæ curam habere, quamque calidè Divinum in omnibus auxilium debeat implorare. Atq; hinc scriptura dicit: *Iustorum semita quasi lux splendens procedit & crescit usque ad perfectum diem:* quasi diceret, sicut prima diei aurora lumen exiguum est: sic vita justorum in primis initiis lumen exiguum habet ad cognoscenda bona & mala, sed procedente tempore, cum incremento virtutum accessionem facit ad priorem lucem. Isidorus ait: *Peccata, quæ incipientibus videntur levia, iis, qui in virtute profecerunt, videntur gravia: ideoque non solum à vanis juramentis, sed etiam à simplici mendacio abhorrent, perfectiores verò etiam magno studio otiosa defugiunt colloquia.* August. ait, hoc clarius & scandala & pericula, vel occasiones peccandi à quovis pio perspici, quò plus proficere conatur.

Gen.18. Si decem justi, &c. *Lib. 2. de Cain & Abel, c.3. & 4.*

Prov. 4.

De summ. bon. cap.10.

In Psal. 119.

SECUNDÒ, Non solum progressum faciunt in agnitione & odio peccatorum, atque in lumine

rerum cœlestium; sed majores etiam in singulos dies accipiunt vires ad bene agendum, Deo conatum adjuvante. Unde fit, ut qui initio difficultatem & pugnam in multarum virtutum exercitatione sentiebant, magnam, post progressum aliquem factum, in iisdem experiantur & facilitatem, & dulcedinem, propterea quòd cordi robur majus ad bene agendum accedit. Auget Deus in ipsis rerum spiritualium gustum, conscientiæ puritatem, & gaudium, in ærumnis patientiam, in verbis & exemplis efficaciam, in adjuvandis proximis amorem & benevolentiam: acumulat iis cœlestia sua dona, & cum amore divino copiosissimam divinorum mysteriorum ac donorum notitiam infundit. Novis enim beneficiis semper exornat eos, qui veteribus bene usi sunt, & eorum auxilio fecerunt progressum. Hoc significavit Christus in parabola de nobili, qui singulis suis decem servis decem dedit minas & dixit: *Negotiamini dum venio*, & ei qui negotiando una mina decem minas acquisierat, jussit dari omnes minas eius, qui nihil negoriando acquisierat. Unde & conclusit parabolam hac admiranda sententia: *Omni habenti* (bene utenti donis Dei) *dabitur, & abundabit: ab eo autem qui non habet, etiam quod habet, auferetur.*

Isaia.40. Dat lasso virtutem, &c.

Luc. 19.

TERTIÒ, Quò quis majori studio profectus faciendi ardet, hoc majorem in omni virtute perfectionem se assecutum demonstrat. Nam hi sunt, qui summa fame & siti proficiendi laborant, & magno zelo ad perfectionem aspirant, qui magnos in virtute progressus fecerunt. Quò enim hi progressus sunt majores, eò plus lucis à Deo accipiunt ad cognoscendos suos defectus; atq; ita quò ad sanctitatem provehuntur majorem, hoc humilius de se sentiunt. S. Gregor. ait, servos Dei, quo per bona opera propinquiores fiunt Deo, hoc clarius ani-

9. Mor. c. 19. cap. 35. c. 21. Lib. 21. c. 4.

animæ suæ maculas, & suam indignitatem conspicere, eoque amplius semetipsos arguere & abominari, non solùm propter defectus & lapsus suos, quos animadvertunt, sed etiam quia probè nôrunt multas restare noxas, quas solus Deus in ipsis cognoscat. S Augustinus verò inquit: *Multum in hac vita ille profecit, qui quàm longè sit à perfectione justitiæ proficiendo cognovit.*

Lib.25.c.2. Sancti, quo in cognitione Dei amplius proficiunt, hoc plus se contemnunt. de Spir. & lit. c.36.

QVARTÒ: Pii dum proficiunt, majore porrò desiderio flagrant fructum faciendi: tum quia perfectius cognoscunt, se esse ad id obligatos; tum quia vires ampliores in eam rem adepti sunt à Deo; tum quia intelligunt quò in virtutum schola plus profecerint, hoc se majorem in amore Dei accessionem facere. David post multos annos in cultu pietatis exactos tandem fatetur se jam primum incipere, quia profectus piorum in virtute est initium serviendi Deo, & *quotidie pii dicuntur incipere*, quia omnibus temporis momentis virtutem virtuti adjungunt. Milites boni ubi semel initium fecerunt congrediendi cum hoste etiamsi hostem irruere videant, tamen fortiter dimicare pergunt, quàm diu præsidia sociorum non desunt, & spes magnorum affulget spoliorum. Nautæ dum mare transmittunt, contra adversos & obluctantes fluctus cursum suum retinent, donec in portum tranquillum perveniant: quantò æquius servi Dei, qui iter cœleste ingressi sunt, nullis difficultatibus ærumnisve revocari ab instituto semel cursu debent, cùm adjutorem habeant Christum verum Deum, & firmissima maximaque spe nitantur victoriæ, & præmii cœlestis omnibus victoribus promissi.

Psal. 76. Dixi, &c.

Æquum est, ut ducem ea in re sequamur S. Paulum, qui post tantos labores pro religione Christiana propaganda exantlatos, post tot merita in cœlis collecta, tamen sublimiora aspirabat, cùm dice-

Philip.3.

diceret: *Non arbitror me comprehendisse, quæ retro sunt* (opera vitæ præteritæ) *obliviscens, ad priora verò* (deinceps facienda) *me extendens*, &c. Ecce quomodo se inflammet ad reliquum vitæ tempus majore & ardentiore studio transigendum, eoq; magis, quò à meta & bravio propius aberat, & certior spes affulgebat palmæ cœlestis obtinendæ.

Cùm Deus sit immensæ & majestatis & bonitatis, infinitus quoque illi debetur cultus, infinitus honor & gloria. Cùm autem infinitum cultum & honorem illi deferre non possimus, æquum certè est ut quidquid servitii & gloriæ possumus pro virili nostra illius Majestati deferamus, atque ideo indies illi nova officia novosq; honores cum omnium virtutum incremento exhibere conemur. Amor, quo Deus ab æterno nos amavit, infinitus est: quia hic est ipsa Divina Essentia: quia verò illi amorem infinitum rependere non possumus, saltem amorem non coërceamus certis limitibus, sed indies eundem bonorum operum exercitio augeamus, & quasi carbonibus accendamus oportet.

Præterea cùm beneficia ex hoc amoris fonte profecta sint magnitudine immensa, & multitudine innumerabilia, ideoque non possimus dignas illis gratias rependere, æquissimum est, ut saltem quantas animi nostri capere possunt gratias referamus; ut sic major in nobis ad gratiam divinam accessio fiat. Tempus autem huius vitæ tam breve est, ut meritò maximam jacturam fecisse dicatur, qui vel minimam temporis particulam sine aliquo boni operis fructu transmisit, cùm quolibet puncto temporis bene impensi acceptæ gratiæ thesauros ipsamque gloriam æternam adaugere possimus. E contrario non progredientes in cursu pietatis, retrogrediuntur, & quæstus in spiritali vita facti faciunt jacturam. Ex negligentia

NB. ô piger.

tia enim proficiendi mox sequitur multorum bonorum operum, quæ facere tenemur, neglectus; & contra in multa peccata, quæ cavere tenemur, præceps lapsus, atque ita pristinus ardor pietatis paulatim excidit, & gradus fit ad ea peccata, quibus gratia & amicitia divina ab animo nostro depellitur. Hinc S. Gregor. ait: *In hoc mundo anima humana, quasi more navis contra ictum fluminis condescendentis, uno in loco nequaquam stare permittitur, quia ad ima relabitur, nisi ad summa conetur. Si ergo inchoata bona fortis operantis manus ad perfectionem non sublevat, ipsa operandi remissio contra hoc quod operatum est pugnat.* S. Bernardus ait: *Non habemus hic manentem civitatem, aut ascendas necesse est, aut descendas. Si attendas stare, ruas necesse est. Minime pro certo est bonus, qui melior esse non vult. Et ubi incipis nolle fieri melior, ibi etiam desinis esse bonus.* Et: *Si Christo currenti gradum sistis, non Christo appropias, sed te magis elongas, timendumq; tibi est, quod ait David: Ecce qui elongant se à te Domine peribunt.* Sapiens ait: *Qui mollis est, & dissolutus in opere suo, frater est sua opera dissipantis,* (q. d. qui in bono inchoato non proficit, & sua bona opera studiosè & perfectè non facit, similis est illi, qui omnia abjicit quæ lucratus est.) *Et: Pigredo immittit soporem, & anima dissoluta esuriet,* (q. d. sicut pigredo facit, ut homo obdormiscat; & ignavia facit) ut homo patiatur famem; ita torpor in vita spirituali in anima excitat soporem spiritualem, quo homo quasi omni spiritualium consolationum sensu destituitur, & solas sectatur voluptates terrenas. Hanc pœnam Christus cuidam tepido comminatus est, cùm dixit: *Vtinam frigidus esses,* (tantam spem profectus præberes, quantam multi præbent peccatores:) *aut calidus* (sedulus in pietate:) *sed quia tepidus es, incipiam te evomere* (mea gratia & in hac, & in altera vita excides.)

Past. p. 3. cap. 35.

Epist. 51.

Epist. 253.

Psal. 72.

Prov. 18.

Prov. 19.

In

In CONFUTATIONE *docebis necessitatem laboris*, quòd hæc sit natura cœlestium bonorum ut non nisi labore & industria comparentur. *Contendite*, ait Christus, *intrare per angustam portam.* Cùm Paulus ait: *Vnusquisque propriam mercedem recipiat secundum laborem suum*, docet (teste Chrysostom.) quantacunque quis præclara & laude digna præstet, tamen si sine labore atque periculo id fiat, non adeò multam illum recipere mercedem; ideo cùm vellet ostendere, qua in re cæteris excelleret, non dixit, tot & tantis Evangelium prædicavi, tot ad Christum converti, tot animas lucrifeci; sed mala duntaxat, quæ pertulit, enumeravit. Idem ait: *Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit.* Et: *Non sunt condigna passiones hujus vitæ ad futuram gloriam: quod in præsenti est leve & momentaneum*, &c. *Cœlum paras ascendere*, ait Chrysostom. *& regnum cœli invadere; ad illud gaudium tendis, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit; & petis. ne qua tibi difficultas in itinere occurrat, ne quid asperum in via tibi accidat aut laboriosum? non erubescis, non pudore oppressus temetipsum sub terra defodis? Si omnia mala tibi occurrerent, injuria; ignominia, calumnia, gladius, ignis, ferrum, bestia, præcipitium, fames, ægritudo; Si omnia, quæ vel dici, vel cogitari possunt, irruerent, nonne hæc tibi omnia spernenda & irridenda duces? Certè qui Principibus seculi ministrant, & Reip. negotiis inserviunt, nihil de commoda habitatione, nihil de otio & requie inquirunt; sed tantum si aliquid lucri temporalis habebat ejus militia locus.* hæc ille. Et: *Si aliquis vera cœlestium bonorum cupiditate teneretur, omnia, quæ videntur esse gravia, umbras putaret & risum. Cui enim mandata gravia esse videntur*, (ait August.) *nondum illud donum accepit* (charitatis,) *quo fiunt levia:* Et: *Quantum*, ait, *est siliqua laboris ad requiem incredibilem?*

Luc.13. *Et amplos requiris ingressus.* *1.Cor 3.* *Epist.7.ad Olympiam.* *1.Cor.11.* *2.Tim.2.* *Prov.8.* *2.Cor.4.* *Septies dicitur in Apoc.* Vincenti dabo manna, &c. NB. *De comp. cordis lib.1.* *Psal.16.* Propter verba, &c. *De perfect. justitia in Psal.93.*

Præterea eum, cui difficilis videtur labor, *monebis*, ut cogitet, Christum sua passione omnem sustulisse difficultatem, ut consideret labores ipsius pro nobis, ut contempletur omnium creaturarum indefessum laborem, ut videat quantus labor sustineatur passim ab omnibus ad consequendos honores, opes, aliasque perituras huius mundi vanitates, ut urat & absumat omnem torporem exemplis Sanctorum, qui ad culmen virtutum pervenerunt, & dicat cum S. Augustino: *Tu non poteris quod isti & ista potuerunt*; denique invocet auxilium ejus, qui omnia facilia reddere potest, quemadmodum Sancti, cùm rem suis viribus difficilem agerent, Dei opem suis precibus devocabant, atq; ita omne onus laboris facilius perferebant.

In PERORATIONE *hortaberis Auditores*, ut forti & generoso pectore huic vitio resistant, pigritiæ, inquam, laqueos disrumpant, & seriò veræ pietatis exercitiis vacent.

XX. IRÆ DETESTATIO.

EXORDIUM. Inter alias Resp. Christianæ pestes magnas vires ira sibi sumpsit, quæ quia multos occupavit, & in multa mala præcipitavit; certum mihi est pauca in eius vituperationem dicere. Neq; enim ferendum est, ut ista immanissima bellua in florentissimo Christianæ Reip. regno ita impunè grassetur, cùm alias feras, urbibus ac mœnibus imminentes, arceamus procul atq; propulsemus.

PARTITIO. Priori dictionis parte hoc iræ vitium suis quasi insignibus depingendum est: altera verò, qua ratione hæc crudelissima bestia profliganda sit demonstrandum; ubi etiam fons atq; origo, unde hoc vitium manat, exemplo prudentis medici, morbi radicem investigantis, inquirenda est. *Quid ira deformitatis ac turpitudinis habeat, & incommodorum hominibus adferat.*

CON-

CONFIRMATIONIS I. LOCUS *à turpi.* Immanium enim ferarum est ita perruptis repagulis ac frænis furere. Homini verò, qui omnes suas actiones ratione, prudentia, & consilio moderari debebat, probrosum & indecorum est iræ & furori cedere.

Teterrimi effectus iracundorum.

II. *Ab inutili.* Nam PRIMÒ hæc mater admodum infelicem & perniciosam parit prolem, tumorem mentis, rixas, contumelias, vocem inconditam, clamorem, indignationem, appetitum vindictæ, blasphemias; hinc manant jurgia & cædes. Hinc S. Basilius Hom. 10. de Ira: *Effrenes linguæ*, ait, *ora incustodita, contumeliæ, probra, verbera, & alia ejusmodi sunt iræ fructus. Ob iram ensis acuitur, mors homini ex homine venit, non eis senectus venerabilis, non vitæ virtus, non generis propinquitas, non parentes: Quin & maximum se in malum sæpius conjiciunt, & studio vindicandi se ipsos negligunt. Nam & omni fera venenata impudentius ruunt, nec prius desistunt, quàm magno & intolerabili malo animum exatiarint, membrorum mutilationes, vulnera, mortes, præmium pugnæ fuerunt.* Hæc illustrabis exemplis. Theodosius ira succensus multos interfecit, & propterea ab Ambrosio vinculo Excommunicationis implicatus est, &c. SECUNDÒ, Præter animi tranquillitatem, concordiam etiam communem & bonam corporis valetudinem lædit. Syr. 30. v. 26. *Zelus & iracundia minuunt dies: & ante tempus senectutem adducunt cogitatus.* TERTIÒ, *Per iram*, ait S. Gregor. 5. Moral. c. 31. *sapientia perditur, ut quid, quove ordine agendum sit, omnino nesciatur.* Hinc Salomon Prov. 22. v. 24. *Ira in sinu stulti requiescit.* QVARTÒ, Per iram justitia relinquitur. Jacobi 1. v. 20. *Ira viri justitiam Dei non operatur.* QVINTÒ, Efficit ira irascentem deformem. *Hic subjicies hominis iræ facibus inflammati descriptionem.* Fœdos motus, & gestus iracundorum, sic describit S. Basilius, Hom. 21.

Prov. 15. 18. c. 27. v. 4. Vide in Theatro vindictæ divinæ loca de maledictione, blasphemiis, &c.

Scri-

Scriptura, inquit, *tibi dicit, vir iracundus turpis est. Quomodo turpis est? quia humanam quasi figuram amittit, feræ speciem indutus. Considera parumper iratum, furit, debacchatur, immutantur oculi, turbidi sanguineiq; fiunt, cor accenditur, sanguis commovetur. Hunc videas ut aprum dentes acuentem, loqui sæpe incipientem, at verba imperfecta relinquentem.* S. Chrysostom: *Cùm*, ait, *circa præcordia efferbuit ira, ignem emittit, tota inflatur facies, incompositè manus moventur, ridiculè prosiliunt pedes, rixam dirimere conantibus insultant, in eosq; nulla ab insanientibus differentia irruent.* S. Gregor. *Ira stimulis*, ait, *accensum cor palpitat, corpus tremit, lingua se præpedit, facies ignescit, exasperantur oculi, & nequaquam recognoscuntur noti. Lingua quidem clamorem format, sed sensus quid loquatur ignorat. In quo itaq; iste ab arreptitius longè est, qui actionis suæ conscius non est.* Similia habet Seneca, & tandem concludit: *Qualem putas esse animum, cujus externa imago tam fœda est?* Ira ergo hominem efferatæ bestiæ similem facit, ut in hominem tanquam exagitatus ursus ruat, tanquam serpens oculis intumescat, veluti leo exardescat, ore velut aper spumas agat, totoq; cultu corporisque gestu ita se habeat, ut immanissima bellua humana forma induta esse videatur. Si tanta deformitas corporis est, quæ oculis cernitur, quanta erit animi ira furentis? quæ si oculis videri posset, quomodo non iracundos, turpissimos ac sordidissimos homines esse judicaremus? certè liberaliter instituti facilè vident quantum animus iratus sit deformatus, si externam hominis formam sic immutat.

Ennius iram dixit insaniæ initium Cic. 4. Tusc.

5. Mor. c. 31.

SEXTÒ nihil æquè obscurat rationis usum ac passio iracundiæ. Hinc Cic. *Iratos*, inquit, *propriè dicimus exisse de potestate; id est de consilio, de ratione, de mente.* Hac de causa Sanctus Ambrosius, Mediolanensis Archiepiscopus, quondam ab Imp. Theodosio, cùm præcipiti ira se ultus esset contra

4. Tusci Plut.

Hier. epist.9. Ambr.1.de Offic. c 21.3. de ira c.12. *Quæ mentis impetum & iram compescant, & animi cogitationes in tranquillum statum deducant.* Hom. 10. 2. Reg.16.11. Hom.3.de David & Saule. Exod.15. v 19. Syr.45.v.4.

Thessalonicenses, voluit condi legem, ut si qui ob maleficium Cæsaris edicto juberentur occidi, id non nisi post 30. diem fieret, ut interea temporis maturo sedatoque animo ac rebus omnibus rationis libra perpensis, aut parcendum esse videretur, aut vindicandum. Hinc & apud Ethnicos Athenodorus Philosophus ex aula Augusti, discedens, monumenti loco id ei postulanti reliquit documentum, ut ira inflammatus nihil antè statueret vel imperaret, quàm alphabeti Græci litteras pronuntiasset. Quod documentum Cæsar tanti fecit, ut illum ab aula dimittere noluerit. Eadem de causa etiam Architas Tarentinus ad villicum negligentem: *Iam te*, inquit, *verberibus enecassem, nisi iratus essem.* Eadem de causa Seneca Platonem à verberatione servi abstinuisse scribit.

SECUNDA PARS *docebit rationem, hanc pestem à mente & toto corpore arcendi. Hortaberis enim Auditores, ut considerent,* PRIMO EXEMPLA mansuetudinis eorum, qui occasione data patientes fuêre? *qua mansuetudinè magnus* DAVID, ut loquitur B. Basilius, *iniquitatem Semei tulit: non enim iræ locum dedit, in Deum causam transferens, quoniam Dominus, inquit, Semei mandavit, ut maledicat David. Saul semel & iterum,* inquit S. Chrysost. *imò sæpius servatus est à Davide, cum ipse multis modis illi struxisset insidias.* MOYSES pro populo contra se murmurante Dominum exoravit. JOSEPH fratribus suis non succensuit, sed bonum pro malo rependit. Ipse Christus ad opprobria, & calumnias gravissimas tanquam agnus coram tondente se, ut loquitur Esaias,

Cap 53.v.7. Epist 1.c 2. v.23. Heb.12.v.3. Hom.10.

obmutuit: *Qui cum malediceretur*, ait B. Petrus, *non maledicebat: cùm pateretur, non comminabatur.* Quare merito Apostolus eum in exemplum omnibus proposuit dicens: *Recogitate eum* &c. *alapa casus es?* inquit Basilius, *expuit aliquis in faciem? Eadem & Dominus est passus*, &c.

SECUNDÒ considerent, quantum dedecus sit hominem, tam nobile animal, qui à nullo alio vult vinci, ab ira superari, maxime cum iræ habenas laxare, nihil sit aliud, quàm crudelissimo tyranno & belluæ obsecundare. TERTIÒ, quàm præclara ac pulchra virtus sit mansuetudo, quæ licet omnes alios deceat Christianos, in primis tamen studiosos adolescentes, ac sapientiæ discipulos vehementer exornat, adeoque ipsis est necessaria ad magnam doctrinam ac sapientiam aspirantibus, ut magnus ille Christianæ Philosophiæ professor Christus nullam fere aliam lectionem suis Discipulis proponere videatur, quàm, ut propulsato iræ vitio, mites atque mansueti sint. Hinc eos, qui se ipsius disciplinæ erudiendos tradiderunt, velut ex magistrali Cathedra, in hunc modum alloquitur: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Mansuetudinem exigens, & humilitatem: quarum illa facit, ut discipulus propter mores à Præceptore reprehensus benigno pacatoque animo reprehensionem accipiat: hæc facit, ut præceptori docenti libenter humiliterque assentiatur. QUARTÒ exardescentem iræ flammam, priusquam erumpat, restinguant, juxta illud: *Principiis obsta*, facilius est hostem in aperto campo exiguis viribus nondum urbem ingressum vincere, quam si in urbe ac intra mœnia receptus insidietur. QUINTÒ, quando non statim iram compresserunt, saltem caveant diutius eam fovere & retinere. *Sol*, ait S. Paulus, *non occidat super iracundiam vestram, nolite locum dare diabolo.* SEXTÒ, si velint irasci, irascantur sibi tantopere ad iram pronis; irascantur diabolo, qui homines ad quævis scelera impellit: nunquam enim equo in nos impetum facienti irascimur, sed potius illi, qui equum in nos incitat, irascantur demum non personis, sed vitiis.

Matt. 5. v. 4[?]

Eph. 4. v. 26

In CONFUTATIONE *praeoccupabis hanc Objectionem:* Iram cohibere admodum difficile est. Eò enim, si illi restiterint, fortiores ipsos judicare dices: ut navigia pręclara putantur, non quæ in tranquillo navigant, sed quæ feliciter tempestatibus superatis cursum tenent.

EPILOGUS *monebit Auditores*, ut mansuetudinis ac patientiæ præsidiis contra hanc belluam continenter in acie dimicent, seu pugnent.

XXI. DETESTATIO peccati.

EXORDIUM *ab occasione temporis.* Æquissimum tibi videri, cùm peccandi licentia sic invaluerit, quasi peccati nulla penitus turpitudo foret, aliquid in detestationem peccati commemorare, quo eius gravitas, turpitudo ac pestilentia rectius intelligatur.

CONFIRM. I. LOCUS *à turpi.* Quod turpe sit omnes res, etiam rationis expertes & inanimatas, ad finem naturaliter ipsis præscriptum tendere, hominem non solum turpiter per peccatum ab eo deflectere; præsertim cùm rationem habeat & intellectum, quorum ductu finem suum facilè assequeretur. Quid hoc indignius? O cæcas hominum mentes & alta caligine circumfusas!

Homo creatus est à Deo non ad peccatum sed ad divinum servitium.

II. *Ab effectis seu incommodis.* Nam peccatum mortale non solum multis BONIS donisq; spiritualibus hominem Christianum spoliat; sed etiam multis magnisq; MALIS & calamitatibus eundem afficit, obruit, & immergit.

Sap. 14. v. 7.

PRIMÒ, Eum exturbat ègratia & amicitia Dei Opt. Max. familiaritate Spiritus Sancti. *Similiter enim*, auctore Sapiente, *odio sunt Deo impius & impietas ejus.* Tanto verò odio Deus peccatum maximè lethale, prosequitur, ut eius magnitudo nulla

nulla intelligentia humana vel Angelica comprehendi queat: quò enim aliquis majori bonitate præditus est, hoc vehementius execratur malitiam, & complectitur bonitatem. Cùm igitur Deus infinita bonitate sit præditus, infinitè, & odit malitiam, & amat bonitatem: quare & malos spoliat infinito bono in inferno, & bonos boni infiniti participes facit in cœlo. Accedit, quod infinita quædam pravitas & perversitas sit in mortali peccato, cùm, qui peccat, Deum infinita majestate præditum offendat. Restat ergo ut Deus quoque infinito odio ab eo abhorreat. *Hic referes* tanti odii quædam signa, hoc est, horrenda supplicia, quibus Deus peccata inde à conditarum creaturarum initiis castigavit. LUCIFER enim Angelus nobilissimus, ob unum superbiæ lapsum, cum multis Angelorum millibus, ex summo Dei amico, repente factus est capitalis ejusdem inimicus; ex pulcherrima creatura, teterrima & scelestissima inferni bestia. ADAM, omnium hominum parens, ad imaginem & similitudinem Dei conditus, ob divini mandati, de non edendo pomo quodam, prævaricationem, & Paradiso exturbatus, & cum tota posteritate in huius mortalis vitæ ærumnas, quas indies experimur, præceps actus est. Quis ignorat totum MUNDUM quondam ob peccata inundatione aquarum esse extinctum? PENTAPOLEM igni & sulphure cœlitus demisso deletam? SAULEM ob inobedientiam, DAVIDEM ob adulterium & cædem factam, aliosque innumerabiles gravissimè à Deo punitos? & omnes impios, imò quotquot in peccato lethali vitam hanc claudunt, sempiternis ardere flammis apud Inferos sine ulla spe salutis aliquando consequendæ? SECUNDÒ, Peccatum mortale privat hominem paterna Dei providentia. TERTIÒ, Participatione meritorum Christi, do-

Peccatum infinito odio est dignum, ergo homo in hac vita nunquam id condigno odio prosequi potest.

Paradisus ob peccatum omnibus bonis hominibus adimitur, genus humanum in exilium relegatur. Mors in mundum inducitur. defunctis vita, mortalibus cœlum occluditur, infernus latissimè patefit.

Basil in Psal. 33.

nec egerit pœnitentiam. QVARTÒ, Exuit ipsum donis Spiritus Sancti, & virtutibus infusis. QVINTÒ, Pace & serenitate conscientiæ, ac consolatione Spiritus Sancti. SEXTÒ, communione bonorum Ecclesiæ, piarumque Sodalitatum, quibus nomen dedit. SEPTIMÒ merito & fructu bonorum operum. OCTAVÒ, vita æterna, seu æternis beatarum mentium gaudiis. NONÒ, Custodia Angelorum.

Mala, in quæ peccatum lethale hominem immergit, tam multiplicia & atrocia sunt, ut vel ad auditum eius nomen meritò exhorrescere debeamus, atque si fulmen de cœlo caderet, vel infernus ad nos absorbendos dehisceret. PRIMÒ enim hominem ex summo amico facit capitalem Dei hostem.
c.4. v. 4. *Adulteri*, inquit B. Jacobus,
1.Ioan 3. v.8. *nescitis quia amicitia hujus mundi inimica est Dei?*
In exposit. propos. Epist. ad Rom. SECUNDÒ facit mancipium Diaboli: *Qui enim peccatum facit*, ait S. Joan. Evangelista, *ex diabolo est: quoniam ab initio diabolus peccat.* S. Augustin.
Hom.30. ad pop Antioch. ait: *Vnusquisque peccando animam suam diabolo vendit, accepta tanquam pretio dulcedine temporalis*
In c.4 Epist. ad Ephes. *voluptatis.* Chrysost. ait hominem per peccatum
Ad Damasum. deteriorem reddi diabolo. S. Hieronym. *Porta*, ait,
Ioan.8. v.34 *diaboli est peccatum, sicut homo justus Spiritus Sancti porta.* Et: *Dæmonum cibus est ebrietas, luxuria,*
2. Pet.2 19. *fornicatio, & universa vitia.* TERTIÒ facit servum peccati:
In 1 Epist. ad Cor. Hom 19. *Qui enim facit peccatum*, ait Christus, *servus est peccati*, & B. Petrus: *A quo quis superatus est, hujus servus est.*
Lib 8. Conf. c.5. & 10. S. Chrysost. *Barbarum*,
2. de Civ. Dei cap.3. inquit, *est peccatum, tyrannidem exercens in animam*
In Psal.138. *semel captam.* Hanc tyrannidem graphicè describit.
Hom 24. in Matth. *Orat.4. de Lazaro.* Eadem in se expertus S. August. ita scribit: *Suspirabam ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate, velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me.* Idem ait, *Bonus etiamsi serviat, liber est; malus*

malus autem etiamsi regnet, servus est, nec unius hominis, sed quod est gravius, tot dominorum, quot vitiorum. QVARTÒ, dignum hominem reddit ut deleatur è libro vitæ, & in æternum damnetur, seu æternis tormentorum suppliciis mactetur. QVINTÒ facit hominem 1. ex sapiente stultum. Prov. 24. *Cogitatio stulti peccatum est.* 2. ex mansueto ferum & crudelem. S. Chrysost. *Homo*, ait, *qui scelus meditatur & multis personis se induit, longè difficilius cavetur, quàm fera.* Et: *Diabolus hominem justum non audet accedere: homo autem* (malus) *non solùm non timet sanctum hominem, sed etiam contemnit.* 3. ex puro & nitido sordidum & fœtentem, B. Petrus comparat peccatores sui lotæ in volutabro luti. Huiusmodi fuit filius prodigus, qui vescebatur porcorum siliquis. 4. reddit hominem è sano ægrum, è vivo mortuum. Unde B. August. peccata vocat animæ febres, S. Chrysost. gravem paralysim, Basil. *in c. 1. Esaiæ*, elephanticum morbum, aut lepram animarum, Gregor. & Ambr. mortem ipsam. SEXTÒ Peccata sunt causæ omnium calamitatum & malorum. Hinc Christus dixit paralytico: *Noli amplius peccare, ne tibi aliquid deterius fiat.* HIC *per Apostrophem ad peccatorem te convertens, dicas:* Aspice quisquis fœda peccandi consuetudine delectaris, hominem propter peccatum ex nobilissimo factum esse miserrimum: cerne vulnera, vide stragem, & infinitatem malorum intuere. Quibus malis si leve remedium adhibitum esse censes, erras profectò. Non prius hæc tam dira vulnera sanari potuere, non humanum genus in pristinum suum statum redire potuit, quàm unigenitus Dei filius de summo cœli fastigio in hasce terras sese demitteret, & ad omnem miseriam, adeoque mortem Crucis perferendam sese offerret. *Hic exaggerabis atrocitatem Passionis Christi, dicesque*, CHRISTUM

2. Pet. 2. 22.
Luc. 15.
Psal. 37. v. 6. Putruerunt & corruptæ, &c.
Libro de decem chordis c. 8.
Ad pop. Antioch. Hom. 40. 12. Mar. c. 6 in c. 12. Epist. ad Heb.
Psal. 53. v. 52
1 Pet. 4. v. 1.

Vide Bern. ser. 3. de Natali Christi. Syr. 21.

tam dira perpessum esse ad expianda peccata nostra, ut nos gravitatem peccati inde disceremus, & ab eo deinceps majori studio abstineremus.

III. LOCUS *ab Exemplis* eorum qui mori maluerunt, quàm peccatum aliquod committere; de quibus consule *Speculum bonorum Clericorum.*

EPILOGUS *erit vehemens cohortatio ad Auditores* ut, peccatum velut aspectum colubri & præsentissimam tum corporis tum animæ pestem, perpetuis gehennæ ignibus examinandum, devitent.

XXII. EVANGELICORVM RELIgionem, Catholica repudiata, amplectendum esse.

P*Ræsentium temporum perturbatio præbebit.* EXORDIUM: Si vel temporum testes historias, vel seniorum mentem exquiramus, eam nostri seculi pravitatem intelligemus, ut vix alicui superiorum par esse possit. Causa autem tantorum malorum Religionum videtur esse diversitas.

PROPOSITIO. *Quare tibi constitutum esse dices*, certissimam prodere rationem, tot tantasque ærumnas penitus avertendi, si nimirum aliis religionibus Christianus populus nuntium mittat unique, quam clarissimo nomine Evangelicam dicunt, adhærescant.

CONFIRM. I. *Argumentum*, Illa fides tenenda, quæ privatorum contentiones Principumque bella dirimit, cum bella maximo agmine comitentur hominum cædes, urbium eversiones, provinciarum devastationes, &c. At Evangelicorum fides bella contentionesque dirimit. *Hanc assumptionem probabis* PRIMÒ, *à causa efficiente:* vel sola, vel potissima calamitatum procreatrix est religionum diversitas: quam cùm optimè unica Evangelicorum religio tollat, etiam eius fœdus, bella & contentiones tollentur. SECUNDÒ, *Ab exem-*

plo

plo Angliæ, Scotiæ, Hollandiæ aliarumq; regionum, quæ huius fidei beneficio altiſſima fruuntur pace. *Proponenda hic breviter pacis commoda, monendiq; Auditores,* ut ad eandem ſimili cum dictis nationibus ratione contendant.

II. Illi Religioni eſt adhæreſcendum, quæ ab animi ſeveritate & tyrannide ſejunctiſſima eſt: quia non fit veri ſimile Deum, qui tot benevolentiæ ſigna hominibus detulit, eam probare fidem, quæ homines, chariſſimos ſuos clientes, affligat, & excruciet. At Evangelicorum Religio ſejunctiſſima eſt ab auſteritate: docent id eius dogmata, ut, non neceſſe eſt corpus crebris jejuniis macerare, carnium ſibi uſum certis temporibus ſubtrahere, templorum pavimentis adhærere, &c. *Amplificabis à contrariis:* quàm difficilia ſint fidei Catholicæ mandata, nullamque ſubeſſe cauſam, cur talibus Deus amantiſſimus noſter Pater, delectetur.

III. Eam deteſtari decet Religionem, quæ rationi humanæ contraria eſt: quid namque abſurdius, quàm hominem, judicio intelligentiaq; dotatum, ejuſmodi rebus aſſenſum præbere, quæ illis repugnant? *Illuſtra ſimili,* ab eorum inſania, qui rerum arduarum ſcientiam profitentur, at nullam earum probè cognoſcunt. At Romana, ſeu Catholica Religio rationi repugnat: docet namq; ſub exigua panis ſpecie integram Chriſti humanitatem ac divinitatem præſentem eſſe, Deum corporum noſtrorum afflictionibus delectari, Chriſtum ad cœleſtem patriam ſuis nobis meritis aditum reſerâſſe, & tamen noſtra etiam neceſſaria eſſe merita. Quid his à vero alienius? quid contradictioni vicinius?

In PERORATIONE *ſeriò hortandi ſunt Auditores,* ut eam amplectantur Dei cultum, qui patriam in priſtinum reſtituere poteſt florem, qui facilem

ad sempiternam felicitatem monstrat viam, & rationi maximè affinis est.

XXIII. DEFENSIO RELIGIONIS Catholicæ.

IN EXORDIO *declarabis* quàm temerè ii suas rationes instituant, qui cum in rebus arduis & sempiternam felicitatem spectantibus longissimè à veritate recesserint, alios etiam in eandem errorum voraginem deducere annituntur: illorum in numero adversarium tuum esse dices, quin imò tanto stultiorem, quantò fides, quam impia sua machinatione Auditorum animis eripere conabatur, reliquas splendore virtutes antecellit.

In PROPOSITIONE, Te rationibus efficacibus planum facturum polliceberis, vanissimam ejus suasionem fuisse, nec quicquam majori conjunctum esse dementiæ, quam Romanam Apostolicamq; fidem improba Novatorum perfidia commutare.

Ad I. ARGUMENTUM *respondebis*, Quòd eam sectandam statuis Religionem, quæ bella tollit, id laudo: quòd verò talem non Catholicam, sed Lutheranam, aliamve Sectariorum esse censes, id verò est, quod reprehendo.

PRIMÒ, Quia bella prosiliunt ex privatorum in Principes seditionibus: ejusmodi verò seditionibus classicum canit nova religio, dum magistratibus obediendum negat.

SECUNDÒ. *ab exemplo*. Quia universa Europa summa fruebatur pace antequam manifestissima hæreseon monstra ab inferis in hanc lucem prodirent, & vetustissimam Catholicorum fidem infestarent, Agricolæ, negotiatores, opifices, tutò suis insistebant functionibus, cultus divinus ubique locorum vigebat, florebat Gallia, Germania, Polonia,

nia, ſimileſque provinciæ, quæ nunc bellis propemodum jacent proſtratæ. Ab adverſario autem laudatæ, & hæreſi infectæ Provinciæ, quietè vivent, usq; dum Chriſtianis Principibus ab aliis occupationibus reſpirare licuerit, & inſignem earum in Deum hominesq; perfidiam vindicare.

Si per unam Religionem omnem amicorum diſcordiam cenſes amovendam, quæ nos coget inſania, ut hoc præſidium hæreticæ potius, quàm Orthodoxæ ineſſe arbitremur: *Excurre hic in Catholica Eccl. Majeſtatem, eamq; demonſtra*, ab eius auctore Chriſto, Apoſtolis propagatoribus, Martyribus aſſertoribus, Doctoribus ingenio ſingulariq; ſanctimonia eam adverſus hoſtes fortiter defendentibus. *Oraabis contrariis.*

Ad SECUNDUM: Diſſuadet verum Dei cultum, propterea quod corporis annexas habet afflictiones. Quid ais accuſator, jejunium malum exiſtimas? Chriſtum igitur ſervatorem, ſapientiam ſummam, ipſum immortalem Deum accuſas jejunantem, nobisque exemplo præeuntem? ciborum tollis delectum? Eccleſiam, ipſique aſſiſtentem Spiritum Sanctum arguis? In templis orandum negas? ab ipſis idolorum cultoribus pietate ſuperaris? *ſcire volebas*, quamobrem eiusmodi rebus Deus delectaretur? *Reſpondeo* PRIMÒ, quòd cum per voluptates incurramus Dei offenſionem, eam per eiusmodi pœnas mitigemus. SECUNDÒ, quod temporibus in vitia propenſiſſimis, hac ratione frænos injici conſtet. TERTIÒ, quod ſic obſequentes nos magiſtratibus ſpiritualibus præbeamus. *Vide Orat. pro Roſcio Amerino.*

Ad TERTIUM, Dogmata Catholici cultus non veræ, ſed depravatæ rationi reluctantur. Si in SS. Euchariſtia Deum hominemq; præſentem eſſe negas, etiam Dei potentiam negas, & veraciſſimum Deum mendacii nefariè coarguis; at is eſt,

qui

qui omnia faciendi potestatem habet, & qui clarissimis Scripturæ testimoniis suam in Eucharistia veram præsentiam confirmat. *Adhac*, si Christus id suo præstitit merito, ut meritum nostrum momenti apud Deum aliquid obtineat; & si ipse passus est, ut imitemur vestigia eius, quid falsi statues nostræ inhærere fidei?

Vide consultationem. P. Leonardi Lessii.

PERORANDO *rursus breviter ostendes*, quàm inania adversarius contra veram doctrinam argumenta attulerit, *suadebisq; Auditoribus*, ut vitam sibi potius cum Martyribus quàm Catholicam fidem eripi patiantur.

XXIV. ENCOMIVM VERÆ AMICITIÆ, *quæ non nisi à virtute præditis, & ob virtutes initur.*

S. Ambros. 3. de Offic. c. 16. **Non potest homini amicus esse qui DEO fuerit in fiduc.** *Hieron. Ep. 103.*

EXORDIUM *duces à querela de raritate verorum amicorum*, quod in cœlum videatur avolasse vera amicitia, eiq; successerit invidia, quo tot angues ex nigro gutture, totq; aspides ubiq; evomat, ut docente proverbio, nusquam tuto vivas.

In PROPOSITIONE *dices:* Te Auditores, ad huius mali latius serpentis remedium, ad veram amicitiam, licet tam insignis, tam necessaria, tam utilis, tamque jucunda virtus ampliorem dicendi copiam segetemque postulet, invitaturum paucis.

CONFIRM. I. LOCUS *ab Amicitia veræ nobilitate & præstantia*, quæ inde patet, quod nihil discrepare videatur à charitate proximi, quam Apostolus Paulus omnibus virtutibus donisque cœlestibus prætulit: quia alias omnes virtutes earumque perfectiones suo ambitu complectitur. Hinc Gregorius Theologus seu Nazianz. *Nibil*, inquit, *amicitia venerabilius*. S. Ambros. *Quid amicitia preciosius est, quæ Angelis communis & hominibus est?* S. Hieron. *Scripsit Theophrastus tria de amicitia*

1. Cor. 13. v. 1.

In Apologetico post reditum ex fuga. 3 de Offic. c. 16.

citia volumina, omni eam præferens charitati, &c. Et S. Chrysost. *In cœlo plantata est hac planta, ramos habens non margaritis, sed vita recta & solida, illis multo nobiliore, onustos.*

In Mich. lib. 3. cap. 7. Hom. 2. in 1. Thess. 2. Vide Cic. in Lælio.

II. Locus *à necessitate.* Quòd cùm à germana proximi dilectione divelli non possit, æquè videatur necessaria atque dilectio. *Qui enim non diligit fratrem*, ait B. Joannes, *manet in morte.* Et B. Paulus: *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Cum constet in utraq; fortuna desiderari amicos, si necessitatem spectemus, magis in miseris; si virtutem ac honestatem, magis in prosperis rebus amicos requiri docet Aristoteles: siquidem cadentes subsidium vitæ, florentes ornamentum virtutis quærunt. Verum *agnosco equidem*, inquit, illustris ejusdem interpres M. Joannes Casus, *flebilem statum miseri, & dejecti hominis amicis indigere: nescio tamen an in regno voluptatum positus vehementiùs eisdem egeat. Celsa graviore casu decidunt turres: nam alia ruunt præcipitantius; inflata fortuna superbiam humilis prudentiam gignit. Magis ergo ut mihi videtur, amici in amœnitate, quàm in procella & tempestate fortunæ desiderantur. Cum enim aureus Nilus fluit, cum sol splendet, animus plerumque humanus periculosè dormit, tum igitur opus est fide, opus consilio, ne per dulcem quasi soporem cum tui oblivione pereas. Quorsum, quæso, assistunt Regibus tot sapientes & vigilantes consules in omni imperio? nonne ut fidelium amicorum loco de florente statu & fastigio rerum Principes admoneant? quod si principes maximè in summa affluentia omnium amicitia egent propter consilium, non est dubitandum, quin omnes & singuli in rebus fortunatis potius quam adversis amicos peterent propter virtutem, partim ut beneficè agant & delectabiliter vivant cum illis, partim verò ut illorum ingenio, fide, consilio freti, sua ipsorum felicitate certius perfruantur.*

1. Ioan. 3. 14. 1. Cor. 13. 13. Vide Cic. de Amic. Solem è mundo, &c.

Risus fortunæ sæpe magis, quàm fletus nocet: crepundia enim securitatis incautos fallunt, somniantes perdunt.

III. Ab

III. *Ab utilitate*, quam etiam sacræ Litteræ nobis prædicare non prætermiserunt. *Beatus*, inquit Sapiens, *qui invenit amicum verum.* Et: *Amicus fidelis medicamentum vitæ & immortalitatis.* Et Ecclesiastes: *Melius est duos esse simul, quàm unum: habent enim emolumentum societatis suæ, si unus ceciderit, ab altero fulcietur.* Hinc & Gregor. Nazianz. Orat. ad Greg. Nyssen. *Amico fideli nullum est in rebus humanis par pretium, nec bonitas illius pondere ullo æstimari potest. Amicus fidelis protectio fortis, & munitum palatium. Amicus fidelis vivus thesaurus. Amicus fidelis super aurum & lapidem pretiosum multum. Amicus fidelis hortus clausus, fons obsignatus, quæ opportunè aperiuntur & communicantur.* Et S. Chrysost. Hom. 2. in 1. Thess. *Quid non efficeret germanus Amicus? quantam voluptatem non generaret? quantam utilitatem? quantam securitatem? Et si mille thesauros dixeris, nihil tamen germano correspondebunt amico.* Et: *Cum amico & paupertas tolerabilis est, sine illo & sanitas, & divitiæ intolerabiles. Alium pro seipso habet qui amicum habet, &c.* Alexander Magnus interrogatus quo loco ipsius essent thesauri, demonstravit amicos, eos veros esse thesauros suos affirmans; omnes enim suas opes fortunæ ludibriis expositas, judicavit, & propè suas non esse existimavit, exceptis amicis, in quos fortuna nihil juris habet.

Syr. 25.

Cap. 4.

1. fructus.

Facit certè vera amicitia, ut amicorum omnia sint communia. Sic in schola Apostolorum fideles pecuniam omnem ex divenditis agris domibusq; conflatam ante Apostolorum pedes deponebant, *nec quisquam eorum aliquid suum esse dicebat: erant enim illis omnia communia.* Non erat inter eos meum ac tuum, inquit S. Chrysost. Hîc expone perfectionem huius comunionis in eo vertis, quod amicis communia sint, non externa modò præsidia, ut habitationis, victus, & convictus,

Act. 4. v. 32.

Cic. 1. de Off. & de Amic.

conversationisque quotidianæ, & colloquiorum; verùm etiam interna, ut consiliorum optimorum, & consolationum.

Congeries aliorum commodorum Amicitiæ.

Aristoteles (8. *Ethic. cap.* 1. *quod totum in laude amicitiæ ponitur,*) indicat nos nec igni, nec aqua, nec solé uti in pluribus locis quàm amicitia, dum eam justitiæ comitem, naturæ vinculum, civitatis præsidium, senectutis solatium, & vitæ humanæ portum esse insinuat. Certè omnia amicitia constant, discordia cadunt. O quot & quanta civitatum cadavera, quot hominum sepulchra fecit discordia! Certè ut res singulæ naturæ utero conceptæ partæque mutuis suarum virium ac proprietatum veluti officiis cohærent; ita homines (quorum causa res omnes fiunt) sine vinculis amicitiæ in lubrico & lacunoso præcipitio ruant necesse est.

Homo, domus, civitas, & omnia naturæ affecta amicitiæ fibris nixa cohærent, discordia fulmine concussarunt.

IV. *A jucunditate*, quàm indicavit Salomon, dum ait: *Vnguento & variis odoribus delectatur cor, & bonis amici consiliis anima dulcoratur.* Et Regius Propheta, longè prospiciens vitæ Religiosæ suavitatem, exclamat: *Ecce quàm bonum, & quàm jucundum, habitare fratres in unum. Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam Aaron.* Voluptatem germanæ amicitiæ graphicè depingit. Aureum os in commentariis Paulinis. *Est*, inquiens, *revera amicus ipsa luce jucundior: germanum dico, & ne mireris. Est enim nobis solem hunc extingui jucundius, quàm amicorum consuetudine privari, jucundius in tenebris agere, quam sine amicis esse. Et quomodo dicam. Quia multi solem istum videntes in tenebris sunt: qui verò amicorum copiam adepti sunt, nec in afflictionibus quidem tristitiam habent. Et: omnes* (voluptates) *excellit ea, quæ amicitiæ est, etiamsi eam dixeris quæ mellis est. Fit enim fastidiosum mel, amicus verò nunquam, quin magis crescit illi desiderium, ita ut illius volu-*

Prov. 27. 9.

Psal. 132. 1.

In primo Apostolica Ecclesia cunctis omnium erat cor unum in anima una. *Act.* 4. v. 32.

Hom. 1. *in Thes.*

ptas

In Lælio Vera amicitia nullo lubricæ fortunæ statu labefactari potest, & semel confirmata, nec cœlo, ut ajunt, tollitur.

ptas nunquam fastidium patiatur. Et aureum illud eloquentiæ flumen Cicero: *Quid dulcius quàm habere cum quo omnia audeas sic loqui ut tecum? qui esset tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberes, qui illis æque ac tu ipse gauderet?* Adde nihil esse jucundius, quàm reflantibus fortunæ ventis, & refluentibus divitiis, seu in rebus adversis, dulcissimum verè amicitiæ nectar gustare. Aristoteles 9. *Eth.* 11. rectè docet, præsentiam amici semper in utraq; fortuna esse delectabilem: nam cùm amicus sit alter ipse, pars nostri, & particeps nobiscum tam boni, quàm mali, imo custos consilii, animique quasi possessor nostri, incredibile est, quanta vis delectationis à sensu in animum præsente amico fluat. Et in afflictis quidem rebus oppressus, præsente amico reficitur, quia opem sperat; major tamen in secundis, quàm in adversis consolatio ex præsentia amicorum percipitur: quia in fortuna serena uterq; amicorum incredibili voluptate afficitur. Et ut serenior dies est lucente sole, si omnes removeatur nubes; ita amœnior consolatio est præsente amico, si res adversæ dispellantur. Quàm ergo jucundum est serenissimam amici frontem (in qua mens pingitur) sæpe contemplari? quantopere amicus ex aspectu amici recreatur?

Per oculos amicorum, quasi fenestras apertas omnes animi latebras & recessus non secus, ac si essemus illic, intuimur.

In Lælio. Hom. 40. in Acta Apost. Nota hunc modum, quo initur, conservatur & augetur amicitia. Vide R.P. Ioa. Busæum in Viridario Virtutum. De bono prandiis.

In EPILOGO *hortaberis* AUDITORES, ut cum viris bonis studeant contrahere amicitiam, posse autem hoc nullo negotio fieri, si ipsi sint boni, seu thorace virtutis induti & ornati. Juxta illud Ciceronis: *Nihil est amabilius virtute, nihil quod magis alliciat homines ad diligendum: quippe cùm propter virtutem & probitatem eos etiam, quos nunquam vidimus, quodammodo diligamus.* Et illud S. Chrysost. *Quid facit amatorem corporum? corporis luculentia & formositas; itaque & animas faciamus pulchras & luculentas, & erimus inter nos mutuò amatores.*

tores. Non enim solum oportet amare, sed etiam amari. Primum hoc curemus ut amemur erit q; secundum factu facillimum. Simus pulchri ac boni, & ita semper habebimus amatores.



XXV. LAVS CASTITATIS.

EXORDIUM *duces* ab egregio hoc dicto S. Cypriani. *Nulla major est victoria, quàm ea, quæ de cupiditatibus refertur. Qui hostem vicit, fortior fuit, sed altero: qui libidinem repressit, seipso fortior fuit. Qui inimicum prostravit, externum hostem percussit: qui cupiditatem depressit, hostem domesticum superavit. Malum omne facilius vincitur quàm voluptas: quia illud quidquid est, horridum est, hoc blandum est.*

PROPOSITIO: Cùm igitur Castitas tam infestum habeat hostem, eumque domesticum, libidinem vel luxuriam, te Auditores ad nobilissimæ huius virtutis diligentem conservationem incitaturum. *Vide P. Ioan. Busæum in Virid. Virt. c.26. v.20.*

CONFIRMATIONIS I. LOCUS *à dignitate & præstantia castitatis*, quam Spiritus Sanctus nos docet in Scripturis Divinis. PRIMÒ, dum ait apud Ecclesiasticum: *Omnis ponderatio non est digna continentis animæ.* SECUNDÒ, dum eam numerat inter dona Dei. Eandem Dignitatem amplificant SS. Patres. *Pudicitia*, inquit Cyprianus, *nihil ornamentorum quærit, decus suum ipsa est. Hæc nos commendat Domino, connectit Christo, beata ipsa & beatas efficiens apud quascunque habitare dignatur: quam nunquam accusare possunt; nec qui eam non habent: venerabilis etiam hostibus suis, dum illam multo magis mirantur, qui eam expugnare non possunt.* Et Lactantius agens de castitate virginali: *Quod continentiæ genus*, inquit, *quasi fastigium est omniumque consummatio virtutum, ad quam si quis eniti atque eluctari potuerit, hunc servum Dominus, hunc discipulum Magister agnoscet, hic terram* *Sap.8.v.21. 1.Cor.7.v.7. Matt.19.13. Gal.3.v.23. De vero cult. ho.lib.6.c.23*

triumphabit, hic erit consimilis Deo qui virtutem Dei cepit.

II. LOCUS *ab utilitate Castitatis, speciatim eorum, qui abstinent à conjugio*, quam indicat Apostolus in epistola priore ad Corinthios, dum ait:

c.7.v.1.8 *Bonum est homini mulierem non tangere.* Et: *Dico autem non nuptis & viduis. bonum est illis, si sic permaneant, sicut & ego.* & de vidua: *Beatior autem erit, si sic permanserit secundum meum consilium.* Causas autem huius utilitatis eodem loco ferè perstringit senas, quibus uti Corinthios inflammat ad sectandum cælibatum, ita non obscurè à conjugio deterret, ut notârunt. B. Chrysost. & August. *in libris de Virginitate.*

Chrys. c.18. Aug. c.16. Cic. 13. Phil Omnes rapimur ad libertatem. Non expedit Sponso Palladis collum jugo subjicere Veneris.

PRIMA CAUSA est, quia per conjugium vir redigitur in summam servitutem mulieris, & contra: de qua servitute S. ait Chrys. *Servo, si quando comparata pecunia pretium quanti emptus est domino persolvere potuerit, plerumque libertatem omnino recuperare licet: at vir, quamvis omnium difficillimam nactus sit uxorem, servitutem tamen perferro necesse habet, &c.*

SECUNDA CAUSA est, quia qui à conjugio liberi sunt, crebrius & facilius jejunio & orationi aliisq; exercitationibus spiritualibus vacare possunt: conjuges verò non item, cùm citra mutuum consensum non possint. *Nolite fraudare invicem*, inquit ad conjuges, *nisi fortè ex consensu ad tempus,*

1.Cor.7.v.5. *ut vacetis orationi.* Et causam reddens, cur Corinthios hortetur ad cælibatum: *Propter utilitatem*, inquit, *vestram dico, quod facultatem prabeat sive impedimento Dominum obsecrandi.* Et ibidem ait: *Innuptam potius cogitare quæ Domini sunt; propterea quod per crebras* (ut ait Oecumenius,) *preces majorem apud Deum obtinuit familiaritatem, atq; ideo Deo magis placere potest, quàm nupta, majoremq; corporis & spiritus consequi sanctitatem.*

TER-

TERTIA CAUSA est, quia conjuges magis obnoxii sunt tentationi Satanæ, quam cælibes. *Iterum*, inquit, *revertimini in idipsum*, (ad officia conjugalia) *ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram.* *Est enim voluptatum appetitio*, ait Aristot. *insatiabilis*, usuque & exercitio magis augescit. Hinc Joannes Cassianus comparat flammæ ad tempus inclusæ, quæ objecta materia facilè foras erumpat. Et S. Chrysost. *Plures* ait *longè videas lapsos* (in continentiam) *ex conjugatorum, quàm Monachorum ordine. Neq; enim tam multi ex Monasterii ad matrimonia accedunt, quam ex jugali thoro se ad scorta recipiunt.* 1.*Ethic. cap. ultimo.* *Col.* 21.*c.* 33 *Lib.* 3. *contra vitup. vitæ Monast.*

QUARTA CAUSA est, quia non licet viro post initas semel nuptias ab uxore discedere. *v.*20. *Matth.*19.*v.*9.*v.*28.

QUINTA CAUSA, quia conjuges etiam voluptates carnales quas quærunt, raro inveniunt. *Tribul. carnis habent. v.*31. *sine sollic.*

SEXTA CAUSA, quia nimis impliciti sunt curis huius mundi, ut raro possint vacare Deo. Hinc S. Chrysostomus (de Virgin.) *Etiamsi sit uxor moribus facilibus, tamen moles curarum, quæ nobis circumfunduntur, propter ipsam uxorem ac liberos ejus, ne minimum quidem cœlum suspicere patiuntur. Vndique animum quasi quadam vertigine contorquentes & obruentes: quòd si vir privatorum hominum tutam atque tranquillam vitam vivere voluerit nullo modo id assequi queat: cum videat enim circum se stare liberos & uxorem, cui multa in sumptum eroganda sint, vel invitus dimittit ipse se in fluctum civilium negotiorum: quò ubi inciderit, non dici potest, quanta illi deinceps peccandi necessitas imposita sit, in iracundia, in jurejurando, in convitio, &c.* Quam parum autem conjugati possint vacare ob quotidianas curas precibus ac Deo, egregiè depingit S. Hieron. contra Helvidium scribens. *Vide Libros tres P. Candela de bono status Virginitatis & contin.*

III. Locus *à necessitate* pudicitiæ vel continentiæ quam Apostolus vocat sanctificationem, vel sanctimoniam dum ait: (1.Thess. 4. v. 3.) *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut abstineatis vos à fornicatione, &c.* & ad Heb. 12. v. 14. *Pacem sequimini cum omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Unde Tertull.(de Cast.) *Aspice epistolas Pauli omnes pro pudicitia; pro castitate & sanctitate pratendunt, omnes in luxuria & lascivia & libidinis negotia jaculantur, &c.*

IV. Locus *ab illustrioribus Exemplis hujus virtutis*, ut Patriarchæ Josephi, Susannæ, Christi Domini, Dei Matris, Apostoli Pauli, aliorumque Apostolorum, plurimorum ex primis Christianis, plurimarum SS. Virginum, quæ pro tuenda castitate sanguinem suum profuderunt: eorum Sanctorum, qui in ipso conjugio ex mutuo consensu perpetuam continentiam servârunt; omnium Episcoporum, Sacerdotum, & Diaconorum qui à primis Ecclesiæ incunabilis usque in hunc diem in Cælibatu vixerunt: omnium Religiosorum, qui inde à Pauli Eremitæ, S. Anthonii, Basilii & Augustini temporibus, vel in solitudine, vel in monasteriis, aut cœnobiis continentissimè vixerunt.

Gen. 39. *Dan.* 13.

In Epilogo *hortaberis auditores*, ut ardentibus & assiduis precibus à Deo donum castitatis petant, occasiones contra hanc virtutem delinquendi (ut sunt otium, commoratio, vel colloquium cum fœminis, convivia, & spectacula) studiosissimè vitent, sensus custodiant, (maxime visum, gustum, & tactum, humilitatem, aliaque tuendi Castitatem media diligenter colant.

XXVI.

XXVI. LAVS CATECHESIS Christianæ.

IN EXORDIO *commendabis* R. R. ac optimè de Ecclesia Christi meritos Patres ac professores Soc. Jesu aliosq; viros pios, quòd tanto cum zelo Catechesin Christianam passim jam in Germania, multoque magis in Italia, Gallia, Hispania, Polonia, & in Indiis tradunt. *Vide P. Ioan. Busæum in Virid. Virt.*

PROPOSITIO: Te Auditoribus, quanta sit huius doctrinæ nobilitas, necessitas, ac utilitas, breviter explicaturum.

CONFIRMATIONIS I. LOCUS *à nobilitate Catechesis Christianæ*, quæ desumitur ex nobilitate doctrinæ Christianæ. Constat autem doctrinam Christianam excellentiorem esse omnibus doctrinis, inde à condito Orbe traditis, sive auctorem eius spectemus, qui est Christus Jesus, Filius Dei, homo factus, *in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ* fuêre reconditi, sive spectemus MATERIAM, quæ in ea pertractatur: nam PRIMÒ agitur in ea de rebus supernaturalibus & divinis, quæ omnem humanæ intelligentiæ captum excedunt, ut de SS. Trinitate, de Christo Incarnato, de Sacrosancta Eucharistia, de sanctiss. Sacramentis, de prædestinatione nostra ad vitam æternam ante conditum mundum peracta, de Resurrectione mortuorum, de felicitate perpetua nostra & Angelorum, de omnibus Dei Legibus, donis, & virtutibus, ac demum de omnibus, quæ in veteri æquè ac novo testamento explicantur. Hæc enim omnia in Catechesi, velut in compendio vel breviario quodam continentur. *Col. 2. v. 3. & 9.*

Ita quidquid generatim in laudem doctrinæ salutaris in S. Bibliis dicitur, id ad præconium catecheseos pertinet, ut quod Salomon de ea dixit in proverbiis: *Accipite Disciplinam meam &* *Prov. 8. 10.*

non pecuniam; doctrinam magis, quàm aurum pretiosissimus, & omne desiderabile ei non potest comparari, & Ecclesiasticus: *Ornamentum aureum prudenti doctrina, & quasi brachiale in brachio dextro.*
c.21 v.24.
Et S. Paulus de doctrina Evangelica: *Non erubesco Evangelium: virtus enim Dei est in salutem omni credenti*, &c.
Rom.1.v.29.

SECUNDÒ: Quidquid in encomium verbi Dei vel scripturæ sacræ in Bibliis dicitur, ut est illud, toties in utroque testamento repetitum: *Verbum Dei manet in æternum:* illud Salomonis *Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est sperantibus in se*, & Psaltis Regii: *Eloquia Domini, eloquia casta, argumentum igne examinatum, probatum terra, purgatum, septuplum.*
Luc.20. Prov.30.v.5 Psal.17. & 11.

TERTIÒ: Quidquid in commendationem Legis dicitur: Christus enim non venit in mundum aboliturus Legem, sed perfecturus. Maxima autem Legis encomia & elogia habemus in Psalmis Regis Davidis, ut in 18. *Lex Domini immaculata, convertens animas: testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis. Iudicia Domini vera justificata in semetipsa, desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & favum.* Idem certè scopus est Legis & Catechesis nostræ: ut enim olim Legis beneficio homines cognoscebant; quando peccarent, vel delinquerent, (unde Paulus) *Peccatum non cognovi, nisi per Legem*, &c.) sic nunc beneficio Catechismi rudiores discunt, quando peccent.
Matth.5. v.17. Rom 3.v.31. Rom.7.v.7. Ioan.10. Heb.5. Tit.1. 1.Thess.3. 1.Cor.4.3.

Denique non parum dignitatem huius Institutionis illustrat, quod in Scripturis passim, qui eam tradunt, appellantur Pastores, Sacerdotes, Presbyteri, Ministri Dei, dispensatores mysteriorum Dei, cooperatores Dei, Doctores, Prophetæ, Evangelistæ, Episcopi, Pontifices, Apostoli, Angeli, Dii: Deus enim *Exod.*7. Moysen constituit Deum Pharaonis.
1.Tim.3. Psal.2.

II. Lo-

II. Locus *à necessitate Catecheseos Christianæ*, quam confirmant omnia quæ, in ea traduntur, ut sunt in primis Fidei dogmata, quorum notitia eò magis hoc ævo necessaria est, quò plures ab hæreticis pervertuntur, & in Tartarum præcipitantur. *Sine fide enim*, inquit Apostolus ad Hebr. c. 11. v. 6. *impossibile est placere Deo*.

Deinde, Divina Scriptura hortatur nos ad hanc doctrinam, velut ad salutem necessariam, Prov. 8. v. 2. 33. c. 19. v. 29. c. 22. v. 18 Syr. 6. v. 35. c. 8. v. 1. eademque Scriptura graviter incusat eos, qui doctrinam omnem notitiamque pietatis repudiant. Job. 21. v. 11. Prov. 17. v. 16. Isaias Prophetiam suam ab hac reprehensione inchoavit, v. 3. Denique si nulla ars, nulla scientiæ est, vel unquam fuit, quæ non necessariò requirat doctorem; hæc sola doctrinæ Christianæ scientia, omnium præstantissima, & ad salutem necessaria, doctorem & magistrum non postulabit?

III. Locus *ab utilitatibus*, quarum Prima sit, quod Christianum populum vindicet ab innumeris erroribus & hæresibus hoc tempore grassantibus. Secunda, quòd aditum in utroque sexu, maximè autem fœmineo, præcludat veneficiis, aliisque curiosis superstitionibus. Nec enim alia certior causa est, cur in quibusdam provinciis omnia plena sint sagarum & magorum, quàm quia homines ab ineunte ætate in doctrina Christiana ritibusque sacris Ecclesiæ non rectè sint instituti. Tertia, quòd ea Institutio efficiat, ut homines ducant vitam Christiano homine dignam, præceptisque Dei & Ecclesiæ consentaneam. Quarta, quod in iis, qui libenter eam, & Conciones omnes sacras audiunt, & auditas præstant, sit admodum probabile signum æternæ prædestinationis, uti S. Bernard. probat ex dicto Christi apud B. Joannem: *Qui ex Deo est*,

Vide Hier. ad Paulinum ep. 103.

Serm. 5. de Septuag.

Ioan. 8. v. 47.

est, verba Dei audit. QVINTA, quòd omnes Doctores institutoresque aliorum excellens maneat remuneratio in cœlis. Divini enim oraculi *Dan. 12. v. 5.* vox est: *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti,* &c. Et Christi, Matth. 5. v. 20. *Qui,* &c.

In EPILOGO *monebis Auditores,* ut de parvulis studeant bene mereri, eorumque animos ad pietatem formare: quia Magister noster & Princeps præceptorum Christus parvulis se perquàm familiarem exhibuit, hos ad se adduci jussit, venientes ultrò amplexus est, & amicè osculatus. His suas ipse manus imposuit, ac benedixit: his ministros & custodes Angelos deputavit, hos demum cœlestis regni cives, & præ aliis hæredes quasi proprios fecit. Adde quod pœnam illi gravissimam interminatus, si quis unum è parvulis, sive in fidei doctrina, sive in vitæ monibus scandalizet: & quod in parvulos collatum beneficium, adeò sibi gratum fore pronuntiat, ut quicunque illius nomine parvulum susceperit, Christum ipsum suscipiat, habeatque perpetuum debitorem.

XXVII. PARÆNESIS AD CHARITATEM PROXIMI.

Vide P. Ioan. Busæum in Virid. Virt.

IN EXORDIO *ostendes ex cap. 5. v. 22. & 6. v. 12. Matthæi,* eùm, qui odium aliquod fovet in corde, non solùm non posse uti sanctissimis Sacramentis; sed nec unicam Dominicam Orationem sine mendacio recitare. Christus enim ait c. 5. *Si offers,* &c. & in Oratione Dominica 6. jussit nos dicere: *Et dimitte,* &c. qui autem odium fovet in corde, non dimittit debitum proximo, ideoque mentitur.

Matth. 22. v. 37. Marc. 12. v. 33.

PROPOSITIO: Ne igitur ab usu Sacramentorum excludamur, & dicto mendacio nos coinqui-

quinemus, ad ardentem proximi charitatem nos incitabo.

CONFIRM. I. LOCUS, *à dignitate & excellentia Charitatis*, quàm declarant S. Litteræ. Nam PRIMÒ, Christus mandatum Charitatis vocat primum & maximum, quo aliud majus non sit, cui Scriba apud Marcum addidit: *Diligere proximum tanquam teipsum, majus est omnibus holocautomatibus & sacrificiis.* Deinde Apostolus eam refert inter dona Spiritus sancti, *(Rom. 5. v. 5. Gal. 5. v. 22.)* & anteponit omnibus donis & virtutibus *(1. Corinth. 12. v. 31. c. 13. v. 13.) ad Col. v. 14.* post enumeratas præcipuas virtutes: *Super omnia autem hæc*, ait, *charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Adhæc S. Joan. in 1. Epist. c. 4. v. 16. *Deus*, inquit, *charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Deniq; Scriptura tribuit charitati ea, quæ sunt gratiæ. Gratia enim facit *nos divinæ consortes naturæ*, ut loquitur B. Pet. epist. 2. c. 1. *filios Dei, & cohæredes Christi*, ut loquitur Paulus *(Act. 8. v. 16.)* At S. Joannes in epist. 1. c. 4. v. 9. ait: *Omnis qui diligit, ex Deo natus est.* SECUNDÒ, facit nos Deo dilectos, ut S. Joan. ait, 14. v. 1. *Si quis diligit me, diligetur à Patre meo.* TERTIÒ, dicitur vita animæ: ut Joan. 3. v. 14. dicitur: *Qui non diligit, manet in morte, &c. Nos scimus, quia translati sumus de morte ad vitam, quia diligimus fratres.* QVARTÒ, facit hominem è peccatore justum, ut Luc. 7. v. 48. dicitur: *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* QVINTÒ, conjungit hominem Deo, uti Joan. 4. v. 16. dicitur: *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*

SS. Patres omnibus his Spiritus sancti dictis subscribunt. CLEMENS ALEX. *(in paran.)* vocat Charitatem præcipuum hominis Christiani munus. CYPRIANUS *(de Patient.)* fundamentum pacis, tenacitatem ac firmitatem unitatis,

quæ & opera & Martyria præcedit. BASILIUS (*Orat.de 3.d.*) radicem mandatorum. NAZIANZENUS (*ep.20.ad Thes.*) cunctarum virtutum matrem. EPHRÆM (*doct. de Humil.*) omnium virtutum columnam. AUGUSTINUS (*Serm. 35. de Temp.*) artem omnium virtutum. B. PROSPER (*lib. 3. Vita cont. c.13.*) affectionum omnium potentissimam, in omnibus semper invictam, actionum bonarum summam; salutem morum, finem cœlestium præceptorum, mortem criminum, vitam virtutum, &c. GREGORIUS MAGNUS (*lib. 6. epist. 60.*) matrem & custodem omnium bonorum, &c.

Gal. 5. v. 22. LOCUS II. *à fructibus*. Cùm enim Charitas inter fructus Spiritus Sancti apud Apostolum principem locum obtineat; non potest non optimos spirituales fructus progignere, inter quos est PRIMUS, quòd amet omnium virtutum societatem. 1. ad Cor. 13. v. 4. *Charitas patiens est, &c.* SECUNDUS, quòd valeat ad expienda peccata & imperfectiones. Prov. 10. *Universa delicta operit charitas.* Prov. 4. v. 8. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Jac. 5. v. 20. *Qui converti fecerit peccatorem ab errore via sua, salvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Christus (Luc. 7. v. 47.) de muliere peccatrice: *Remittuntur ei, &c.* TERTIUS, quo charitate præditis nihil mali adversive evenire possit. Rom. 8. v. 28. *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Causa huius fructus videtur, quòd diligentibus Deum non solùm vita æterna, sed & protectio divina peculiariter promissa sit. Paulus (1. Cor. v. 9.) ex Esaia ait: *Oculus non vidit, qua praparavit Deus iis, qui diligunt illum.* Jac. 1. v. 12. *Coronam vita repromisit Deus diligentibus se.* Et Christus (Joan. 14. v. 21.) *Qui diligit me diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & mani-*

manifestabo ei meipsum. Et David Ps. 144. v. 20. *Custodit Dominus omnes diligentes se.* QVARTUS quòd excludat omnem timorem; si perfecta sit. 1. Joan. 4. v. 18. *Perfecta charitas foras mittit timorem.* In quæ verba S. Ambrosius: *Generaliter quidem,* ait, *charitas excludit timorem, ut miles, qui imperatorem diligit, bella pro imperatore suscepta non metuit: ut servus amans dominum, quamvis per dubia & prærupta mittatur, tamen omnia pericula domini amore contemnit, ac si quis dominum petat, seipsum offerre non trepidat: ut qui transmare positos, filios videre desiderat, non metuit naufragia, liberorum charitate ingreditur maris fluctus, subit incerta negotii: sed metum discriminis levant desideria filiorum,* &c. Hunc fructum perceperat, qui dixit: *Quis ergo nos separabit,* &c. Eodem pertinere putat S. Augustinus dictum Sponsi Cant. 8. v. 6. *Fortis ut mors dilectio,* cùm inquit in Psal. 55. *Resistitur ignibus, undis, ferro; resistitur potestatibus, resistitur Regibus, venit una mors, quis ei resistet? nihil est illa fortius; Propterea viribus ejus charitas comparata est: quia enim ipsa charitas occidit quod fuimus, ut simus quod non eramus, facit in nobis quandam mortem dilectio.* Et S. Gregorius Hom. 11. in Evangelia: *Sicut,* ait, *mors corpus interimit sic ab amore rerum corporalium æterna vitæ charitas occidit,* &c. Serm 9. in Psal. 118. Rom. 8. v. 35.

II. LOCUS *à necessitate.* Nam licet Christus utramque dilectionem Dei & proximi à nobis postulet præcipuè tamen videtur exigere dilectionem proximi. Quia apud B. Joannem migraturus ex hac vita discipulis dixit: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos.* Et: *Hoc est preceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Cur novum vocat præceptum, quod erat vetus? cur suum, quod erat Dei Patris? nisi quod velit illis tanquam præcipuum, & tanquam suum & novum, commendatum? unde S. C. 13. v. 34. c. 15. v. 12.

Joan-

Joannes huius testamenti Christi archigrammateus, auctore B. Hieronymo, *cum Ephesi moraretur usque ad ultimam senectutem, ut vix inter discipulorum manus ad Ecclesiam deferretur, nec posset in plura verba vocem contexere, nihil aliud per singulas solebat proferre collectas nisi hoc: Filioli, diligite alterutrum. Tandem discipuli & fratres, qui aderant tadiò affecti quod eadem semper audirent, dixerunt: Magister, quare hoc semper loqueris? cui respondit dignam Ioanne sententiam: Quia praceptum Domini est, & si solum fiat, sufficit.* Hinc & Apostolus Paulus non semel in una dilectione proximi plenitudinem Legis posuit. Adhæc cæteræ virtutes, imò & dona supernaturalia charitate destituta non possunt nobis prodesse ad salutem. 1.Cor.13.v.2. *Si linguis*, &c. S. Cyprianus, (*Lib. de unit. Eccl.*) & Augustinus (*Lib. 1. de Bapt. contra Donatistas, cap. 8. & 9.*) exemplum adferunt de hæreticis & scismaticis, quibus etiam perpessum pro fide Martyrium non prodest, eò quòd charitatis jacturam fecerint, separando se ab Ecclesia.

In communi. in epist. ad Heb. lib. 3. cap. 9.

In EPILOGO *hortaberis Auditores*, PRIMÒ, ut consideratis Divinis beneficiis, maxime beneficio Redemptionis, ardenter ament Deum. Rectè enim, inquit S. Basilius, *Charitas erga Deum conficitur datis ab eo beneficiis recto judicio æquitateque æstimandis, iisque grato animo prosequendis.* In Reg. brev. q. 212. DEINDE ait, considerando quod quicquid boni præstamus proximo, id Christus sibi fieri declaraverit, & comprimendo amorem sui, tanquam omnium pravarum cupiditatum fontem, etiam proximum diligant propter Deum sicut seipsos. Joan.13.v.15. *In hoc*, &c. Matth.25. *Esurivi*, &c.

XXVIII.

XXVIII. PARÆNESIS AD IVGEM *atque continuam præsentiæ Dei cogitationem.*

EXORDIUM ab insigni dicto Michææ Prophetæ: *Indicabo tibi ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te: utique facere judicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo.*

Vide P. Ioan. Busaeum Viridario in Virt. c.6 v 8.

PROPOSITIO: Cùm igitur Deum semper in animo habere, & non tam sæpè spiritum ducere, quàm Dei meminisse debeamus, te Auditores, ad continuam Divinæ præsentiæ cogitationem incitaturum.

Prov.3.v.6. in omnibus viis tuis cogita illum, (Deum.)

CONFIRM. I. LOCUS *à nobilitate, præstantiaq; hujus exercitii*, quæ inde elucet, quòd hominem multis modis Angelis similem reddit. PRIMÒ, quia proprium est Angelorum continenter contemplari *faciem Patris qui in cœlis est*. SECUNDÒ, quia cùm teste S. Gregorio, Angelorum alii sint assistentes Deo alii ministrantes, juxta illud Dan.7.v.10. *Millia millium ministrabant ei & decies millies centena millia assistebant ei*, homo per hoc exercitium, assistentium (qui sunt summi & intimi Dei aulici) potius munere fungitur, quàm ministrantium. TERTIÒ, quia ut Angelorum domicilium est cœlum, sic homo, qui assiduè in animo contemplatur præsentem Deum vel mentem suam facit cœlum, vel locum, in quo degit, exemplo Patriarchæ Jacob Genesеos 28. v.12. QVARTÒ, quia sicut Angeli, quando nobis conspicui redduntur, eximia luce sunt circumfusi: sic animus humanus quodam fulgore spirituali, dum præsentum Deum assiduè contuetur, illustratur. Haud secus quàm corporalis vultus Moyses, ex consortio diuturnioris sermonis Dei, tam admiranda luce perfusus est, ut populus Israëliticus aciem oculorum

Matt.18.10. *Moral.7.& Hom.34. in Evang.* *B. Ephræm serm. de 2. Adv. Dom.* Vide D. Thomam part. 1. *Matth.28. v.3.* Sicut fulgur, &c. *Exod.34. v.29.*

lorum in eius obtutum conjicere non valeret, nec ad populum ei quicquam loquendi copia fieret, nisi facie prius obvelata.

II. Locus *à multiplici fructu*, quorum Primus est, quòd qui Deum menti impressum gerit, non facilè lapsurus sit in peccatum. Quis enim servus conscius se à domino spectari, delinquat? Hinc S. Hieron. in Ezech. lib. 7. c. 22. *Memoria Dei, excludit omnia flagitia*. Refert Simeon Metaphrastes. Ephræm hoc antidoto scortum quoddam publicum ex sordibus superioris vitæ ad virtutis studium revocâsse. Nam cùm impudenter eum ad secum dormiendum solicitasset, illeque respondisset; se contentum, modo id fieret in medio civitatis, atque illa contra ostendisset id sine summo pudore coram hominibus fieri non posse: Ephræm respondit: *Quanto minus fieri debet coram Deo, qui omnia, etiam occultissima intuetur*. Quo responso meretrix perculsa, veniam supplex petiit facti, & ex consilio Ephræm Monasticæ vitæ in perpetuum se addixit. Si utile ad non delinquendum, cogitare hominem gravem nobis præsentem (ut Seneca *epist.* 11. *ad Lucilium* docet) quanto magis cogitare præsentem Deum, qui, ut ipse Seneca alibi fatetur, prope est à te, tecum est, intus est.

Psal. 24. v. 15. Oculi. Psal. 9. v. 72. Non est &c. Impudens meretrix expugnatur.

Senec epist. 10. Sic vive cum hominibus, tanquam Deus videat, sic loquere cum Deo, tanquam homines audiant.

Secundus fructus est, quòd hominis pii pectus egregiè muniat adversus omnia impendentia pericula, tentationesque dæmonis, carnis, & mundi. Unde S. ille Job, metu omni posito, ad Dominum clamabat: *Pone me* &c. David. *Et si* &c. Hac consideratione corroborata quondam B. Susanna, gravissimam tentationem lapsus carnis vicit. Eadem cogitatione armatus gloriosus populi Judaici dux Judas Machabæus, omni fiducia in Deum projecta, clarissimam ex potentissimo hoste Nicanore victoriam retulit S. Antonio

Cap. 17 v. 3. Psal. 22 v 4. Dan. 15. 20. 2. Mach. 15. v. 16. S. Athan.

nio in quodam spirituali conflictu, quo & ipse vapulando, & dæmones eum dirissimè pene usque ad necem verberando, pariter defatigati fuerunt, hoc unum dolori erat, quòd Deum sibi in certamine præsentem non fuisse existimaret. Nam mox ut Dominus se visendum præbuit, & duelli se spectatorem fuisse professus est, omnis mæror recessit, viresque animi cumulatiores redierunt. Idemque fratribus suis affirmare solebat in avertendis omnibus Satanæ telis, firmissimum esse in Deo, præ oculis eum habendo, præsidium.

TERTIUS: Exercitatione hac maximè hominis animus inflammatur ad amorem Dei, divinorumque mandatorum observationem.

QVARTUS: Est medium efficax ad consequendam brevi tempore Christianæ vel Religiosæ vitæ perfectionem. Quæcunque enim suppetunt media vel exercitia spiritualia ad perfectas virtutes assequendas, in hoc uno, quasi in compendio quadantenus continentur. Huius operâ omnia vitæ spiritualis antidota obtineri queunt. Hoc unum Dei servum incitat, excitat, & inflammat, ut cætera media reipsa exerceat, ut salutaria vel necessaria ad unas solidasque virtutes comparandas subsidia requirat, ut lumen ad lustrandam mentem, & robur ad impellendam voluntatem à Divina Majestate, quam præsentem continenter cernit, impetret. Quemadmodum enim cœlestia sidera à præsente sole, in quem obversa sunt, omnem mutuantur splendorem, quo & in se fulgent, & aliis fulgorem subministrant, ad certos effectus producendos in terris: sic homines justi & pii, qui instar stellarum in Ecclesia Dei collucent, ex perpetuo Dei, quem præsentem oculis mentis contemplantur, conspectu, lumine quodam divino illu-

illuſtrantur, indiesque in virtutum ſtudio progreſſus faciunt, omniumque virtutum verarum ſolidarumque ſplendorem aliis communicant, de quibus meritò dicit Syr.c.14.v.22. *Beatus vir qui in ſapientia morabitur, & in ſenſu cogitabit circumſpectionem Dei.*

Gen.5.v.22. Enoch & Elias cur perfectionis ſuæ ſpiritualis remunerationem etiam in hac vita per translationum miraculoſam in Paradiſum ſunt conſecuti, niſi quia ille ambulavit cum Deo, hic in Dei conſpectu ſtetit? Abraham jam nonagenario (quem omnium fidelium patrem & principem Deus deſtinarat) dictum eſt: *Ambula coram me, & eſto perfectus*, quibus verbis eius ipſi mandavit ſui in reliqua vita perpetuò eſſe memorem, ſibi familiarem & obſequentem, quò citiùs pervenire poſſet ad virtutum perfectionem. Et Chriſtus, cùm diſcipulos hortatus eſſet ad imitandum Deum in ſummo dilectionis gradu, hoc eſt, diligendis inimicis, ſi vellent in numero filiorum eius cenſeri, mox ſubjecit: *Eſtote ergo & vos perfecti, ſicut & pater, &c.*

3.Reg.71.v.1 Gen.17. Matt.5.48. Vide in præmiis Virtutum exemplum Doſithai &c. in loco de Meditatione præſentia Dei. Baſil. in Reg. q.21. 201. 306. Baſil. Reg. q.17.

QVINTUS: Valet ad amoriendas omnes animi diſtractiones, tum in oratione mentali vel vocali, tum in aliis occupationibus externis, uti ſuo exemplo probavit S. Catharina Senenſis, quæ, teſte Reimundo, cor ſuum loco cubiculi uſurpabat, in quo aſſiduè Deum inter domeſticos labores cernebat.

SEXTUS: Valet ad conſervandam animi corporisque caſtitatem & virginitatem: valet ad refrænandos iræ motus: valet ad ſupplendas & compenſandas omnes preces, quas gravitate vel morbi, vel occupationem quotidianarum impediti, perſolvere non poſſumus.

III. Locus *à jucunditate*, quia eximiam quandam lætitiam ſpiritualem conciliat homini pietatis

tis studioso. Unde pius David, cùm dixisset: *Pro-videbam*, &c. subjunxit: *Propter hoc*, &c. q. d. quoniam ob oculos perpetuò habui Dominum meum, tanquam ducem, directorem, & defensorem meum, spem desperantium, vindicem oppressorum tanto perfusus sum gaudio, ut lingua erumperet in hymnos aliasq; divinas laudes. *Psal. 15. v. 8.*

Rex Josias, quoniam populum Dei multis affecerat beneficiis cultumq; divinum maximo studio promoverat, jucundissimam nominis sui apud posteros reliquit memoriam, sic ut Ecclesiasticus c. 49. v. 1. hoc quasi Epitaphium ei scripserit: *Memoria Iosiæ in compositione odoris facta opus pigmentarii, In omni ore quasi mel indulcabitur ejus memoria, & ut musica in convivio vini.* S. Bernardus, ut primùm religiosam vitam est complexus, quemadmodum ipse fatetur, solo sodalium religiosorum conspectu, vel etiam recordatione eorundem, cùm longius abessent, vel vita defuncti essent, tantopere exultabat, ut mente omni suavitate delibuta, oculi à lachrymis se continere non possent. Si memoria hominis justi aspectusve tanto hominem perfundit gaudio, quòd videatur sibi cernere eximias virtutes, donaq; cœlestia, quibus ille à Deo fuit ornatus, quid non efficiet spiritualis intuitus recordatioq; Dei, qua anima contemplatur in eo immensam sapientiam, omnipotentiam bonitatem, pulchritudinem, aliasq; innumeras perspectiones? *Syrac. 24. in Cant.*

IV. LOCUS *à necessitate.* Magno enim salutis discrimine hoc exercitium tenere negligitur. Hinc cùm Rex David de impio dixisset: *Non est Deus in conspectu ejus* mox adjunxit, *inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.* Angelorum princeps Lucifer, quamdiu oculos à Deo suo non deflexit, salvus & securus constitit; ut primum verò eos in se convertit, ilicò ad Inferos detractus est su- *Psal. 9. v. 27.*

perbia eius, ignibus addicta sempiternis. Adam & Eva primi parentes nostri, quamdiu assiduè fuêre cum Deo, felices fuêre, quamprimùm verò Eva in serpentem se obvertit, & Adam in mulierem, ambo verò in pomum vetitum, se, posterosque suos in has ærumnas deturbârunt. Palladius commemorat, se, cum aliquando adjuncto comite, Monachum quendam religiosissimum inviseret, nomine Dioclem, inter alia, hoc documentum ab eo accepisse, hominem ipsum, quamprimùm à Divinæ præsentiæ contemplatione cessavit, continuò fieri vel dæmonem, vel bestiam: bestiam quidem, si cum Adam & Eva succumbat tentationibus carnalium illecebrarum; dæmonem verò si arrogantiæ, iracundiæ, invidiæ, & similium.

In Hist. Laus. cap. 98.

V. Locus *ab exemplis eorum Sanctorum, qui in hoc exercitio excelluerunt.* Exempla enim sæpe plus movent, quàm verba, ut ait S. Greg. De Enoch. Elia, Abraham, Davide dictum est: de S. Abel scribit Josephus, (1. *Antiq. c.* 4.) eum idcircò Deó gratissimum extitisse, quòd in omnibus actionibus suis Deum præsentem reputavit. *Noe* (*Gen.6.v.9.*) *vir justus atque perfectus* dicitur, quia *cum Deo ambulavit.* Nonne Joannes Baptista, quia (uti Angelus de ipso prædixit, *Luc.1.v.15.*) *magnus* erat *coram Domino*, & similis Eliæ semper stanti in conspectu Domini: item quia (ut de eodem repletus Spiritu Sancto prædixit Zacharias *Luc.1.v.76. ante faciem Domini* parabit *vias ejus*, nonne, inquam, hic debeat assiduè præsentem Dominum contueri? Quomodo poterat à dulcissima contemplatione Dei divelli gloriosissima Dei Mater Virgo Maria, cum qua *Dominus* erat, quam *Virtus altissimi* obumbrabat, in quam Spiritus Sanctus supervenerat, quæ Christum Deum in utero conceperat, & novem mensibus gestâ-

In Proœmio Dial.

De Moyse, Ezechia, *& aliis vide Triumphum Virtutum.*

gestârat, quæ cum & coram Christo triginta, eoq; amplius annis continenter vixerat, & viderat in cœlum ascendentem.

De Apostolo Paulo, cuius pectus amore Christi Crucifixi perpetuò bulliebat, nemini dubium esse potest, cum Divinum Numen semper præ oculis gestasse, uti ipse non obscurè sententiis quibusdam indicavit, ut illa ad Philip 3. v. 20. *Nostra conversatio in cœlis est, unde,* &c. Et illa ad Hebr. 13. v. 14. *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.* B. Edmundus Cantuariensis Archiepiscopus eburneam B. Virginis icunculam, in cuius ambitu descripta erant vitæ & passionis Christi mysteria, semper è collo suspensam gestabat, ne Dei Deiparæq; oblivio inter litterarias occupationes aliquando obreperet.

2.Cor.2.v.7. c.12.v.29.

Sur. in Nov. c.13.

In EPILOGO *cohortaberis Auditores,* ut hoc donum longè nobilissimum contemplandi ubique præsentem semper Deum, per Christi infinitam misericordiam passionisq; merita ardenter à Deo postulent, cogitationes suas, piaque desideria in Deum semper conjiciant, & amaro toto pectore adhærescant: cùm ea amoris sit natura, ut, si ardens sit, magna vi amantem transferat in rem amatam, ac unum quid cum ea efficiat.

1.Cor.7.v.18

XXIX. LAUS COGNITIONIS DEI.

IN EXORDIO *dices*, Spiritum Sanctum in Scripturis Divinis triplicem Dei cognitionem patefecisse: imperfectam, seu huius vitæ, de qua S. Paulus ait: *ex parte cognoscimus:* perfectam, seu alterius vitæ de qua idem Paulus: *Videmus*, ait, *nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem:* & perfectissimam, qua Dei essentia omniaque eius attributa & perfectiones exactissimè

1.Cor.13.v.9 1.Cor.13.12. Vide P. Ioan. Busaum in Virid. Virt.

cognoſcuntur, quòd nulli hominum neq; in hac, neque in altera vita unquam continget. Unde S. Job, c. 11. v. 7. *Forſitan*, inquit, *veſtigia Dei comprehendes, & usq; ad perfectum omnipotentem reperies? Excelſior cœlo eſt, & quid facies? profundior inferno, & unde cognoſces?* Et c. 36. v. 23. *Quis poterit ſcrutari vias ejus? aut quis poteſt ei dicere: Operatus es iniquitatem? Ecce Deus magnus, vincens ſcientiam noſtram: numerus annorum ejus aſtimabilis.*

1. Tim. 6. v. 16. Quem nullus, &c. *Rom. 11. 13.* O altitudo, &c.

PROPOSITIO: Te auditoribus excellentiam, neceſſitatem, & utilitatem imperfectæ duntaxat cognitionis Dei demonſtraturum.

CONFIRM. I. LOCUS; *ab excellentia Divinæ cognitionis*, quàm declaravit Chriſtus, cùm *ſublevatis in cœlum oculis, dixit: Hac eſt vita æterna*, (ſeu mater vitæ æternæ, quæ eam parit,) *ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Clemens Alex. lib. 6. Stromatum ait: Cognitionem Dei eſſe rem maximam, quæ ſola efficiat hominem pium & religioſum, atque ita conſervet in eo virtutem, ut amitti nequeat. Eum, qui Deum verè & magnificè cognorit, non poſſe ſervire voluptatibus, aliisq; animi perturbationibus ſancta ſemper facere & cogitare, precari cum Angelis, & licet oret ſolus, habere aſſiſtentem Angelorum chorum. S. Hieron. lib. 6. Comment. in Jeremiam, in c. 31. *Notitia unius Dei*, inquit, *omnium virtutum poſſeſſio eſt.*

Ioan. 17. v. 3.

Heb. 11. v. 6.

II. *Neceſſitate*, quæ inde patet; quòd ſicut *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*: ita & ſine cognitione Dei: *Fides enim*, inquit S. Cyrillus, *quid aliud eſt, quàm vera de Deo cognitio? Per fidem enim cognitio fit. Teſtatur id Iſaias dicens: Si non credideritis, non intelligetis.* Heb. 11. v. 3. *Fide intelligamus*, &c. v. 6. *Credere*, &c. S. Bernard. *Quid ſi ignoras*, inquit, *Deum, poteritne ſpes eſſe ſalutis cum Dei ignorantia? Ne hoc quidem. Nec enim potes aut amare, quem neſcias*

Lib. 11. in c. 9. Ioan.

In Cant. ſerm. 37.

scias, aut habere, quem non amaveris. Noveris proinde te; ut Deum timeas: noveris ipsum, ut aquè ipsum diligas, &c. S. Ambrosius tradit, hominem non modò non salvum, sed neque sapientem, vel prudentem esse posse sine notitia veri Dei. Et S. Hieronymus, *epist. ad Heliodorum*, non dubitat affirmare hominem Dei ignarum nihil distare à bellua. *Absque notitia*, inquit, *sui Creatoris omnis homo pecus est.* 1. de Offic.

III. *Ab utilitate.* Quia sicut ex cognitione sui proximus gradus fit ad cognitionem Dei; sic ex cognitione Dei vicissim ad cognitionem sui: quoque plus profecerimus in illa, hoc in hac majores progressus faciemus: ut in puteis, quò altera sitularum altius attollitur, hoc altera profundius deprimitur: & in ædificiis, quò muri turresque sublimius eductæ sunt, hoc profundius necesse est jacta esse fundamenta. *Quando*, inquit Basilius, *Deum videre, quantum fas erat homini poterunt* (Abraham, & Moyses) *tunc maximè uterque se humilem levemque putavit. Abraham se pulverem ac cinerem nominans: Moyses verò se lingua balbum ac sermone tardum appellans*, &c. Sic & Isaias cùm vidisset Dominum in excelso solio sedentem, continuò oculos in se reflectens, confessus est se virum labiis pollutum: & Paulus, post raptum in tertium cœlum, vocavit se nunc abortivum, nunc peccatorum primum, nunc minimum Apostolorum, nunc nomine Apostolico indignum. Hom.15. de Fide. Gen.18.v.27 Exod.4.10. Cap.6.v.5. 1.Corinth.15.

Epilogus *sit Parænesis ad Auditores*, ut Deum, quatenus in hac vita cognosci potest, studeant cognoscere, considerando visibiles creaturas, (*Isa.4.v.26. Psalm.18.v.6.*) & invisibiles purgando animas à peccatis & pravis cupiditatibus, & implorando ad hoc auxilium divinum.

XXX. PARÆNESIS AD QVOTIdianum Examen Conscientiæ.

Cap. 15 v. 15. Vide P. Ioan. Busæum in Virid. Virt. Syr. 13. v. 30. Bona est substantia cui non est peccatum in conscientia.

EXORDIUM *duces* à Proverbio Salomonis: *Secura mens, quasi juge convivium*, quod insinuat, quam jucunda sit bona & innoxia conscientia. Ut enim qui in convivio sunt, tum varietate bonitateque ciborum, tum præsentia amicorum admodum exhilarantur: sic justi testimonio bonæ conscientiæ, & odore divinæ præsentiæ, à qua tam nobile salutis pignus in anima acceperunt, vehementer delectantur. Et cum illud gaudium sit terrenum & fluxum, hoc cœleste est & perpetuum: illud incipit cum fame, & desinit cum fastidio, sæpe etiam cum mœrore & morbis; hoc verò incipit cum gaudio, eoque sempiterno terminatur.

Non est oblectamentum super cordis gaudium. 2. Cor. 1. v. 12. Gloria nostra, &c. 1. Tim. 1. 19.

In PROPOSITIONE *dices*, quod etsi sint diversa media ad consequendam bonam conscientiam idonea, ut fuga peccati lethalis, Confessio peccati, si fortè jam admissum est, & fides Catholica bonis operibus conjuncta, te tamen auditores invitaturum ad quartum duntaxat medium, quod est quotidianum examen conscientiæ, quo cubiculum conscientiæ quasi ab omnibus sordibus purum, & mundum conservatur.

CONFIRM. I. LOCUS, *ab adjunctis fructibus hujus examinis.* PRIMUS, quòd nihil æquè *ad profligandos dæmones*, & contra, nihil æquè ad *conciliandos nobis bonos Angelos* valeat, atque hoc quotidianum examen. Ut enim in iis domibus, in quibus creber scoparum est usus ad everrendas pavimenti angulorumque sordes & parietum laqueariumque telas, nullæ apparent araneæ: sic ubi frequentatus est examinis conscientiæ usus, longè absunt omnes laquei, insidiæque diaboli; accurrunt verò Angeli boni. Quid enim agimus in hoc exa-

examine, nisi quòd de lapsibus commissis doleamus, de bonis autem operibus gratias Deo agamus? *Gaudent* autem *Angeli super uno peccatore pœnitentiam agente.* Si gaudent boni, certè mœrent & fugiunt mali. *Luc.15.v.19*

SECUNDUS, quòd sicut pavimentum, quò sæpius vertitur, hoc purius redditur, & clarius videtur, sic qui sæpe inquirunt in conscientiam suam, *puriorem eam ab omni peccatorum pulvere* reddunt, & citius in notitiam sui, virtutem tantopere etiam ab Ethnicis laudatam, perveniunt.

TERTIUS, Quemadmodum in scholis, in quibus crebræ sunt disputationes, frequentes prælectionum repetitiones, quotidianaque earum examina, scriptionum item & commentationum domesticarum stata exactio, censura absentiarum ac notæ linguæ Latinæ & morum, magnopere in litterarum virtutumque Christianarum studio proficitur: sic in Schola religiosæ ac piæ vitæ, ubi non semel in dies singulos cogitationum, sermonum, actionumque rationes per examen ad calculos revocantur, maximus fit in pietatis cursu progressus. Si enim S. Chrysostomus asseverare audet, nos, si vel uno solo mense conscientiam semel ad vesperam excutiamus sedulò, posse ad perfectum virtutis habitum pervenire, quantò magis si in ea consuetudine persliterimus per multos annos? *In Psal.4.*

QVARTUS, quòd cornucopiæ commodorum charismatumque spiritualium in animam hominis inferat. Nam qui conscientiam discutit, multas simul exercet virtutes, ut, *Religionis*, quia ab oratione examen inchoatur, & pro beneficiis gratiæ Deo aguntur. Deinde *Humilitatis*, *& Pœnitentiæ*, quia in ea homo se agnoscit peccatorem, & de peccatis dolet, lachrymas fundit, pœna sæpe voluntaria ea expiat. Ad hæc *Spei &*

Charitatis: confidit enim se veniam peccatorum à Deo obtenturum, quem uti suum Creatorem & benefactorem diligit super omnia. Tum *Timoris Dei,* quia ideò judex sui hic efficitur, ut judicium Dei præveniat: nec enim bis Deus judicat in idipsum.

Munit quoque se contra tentationes futuras, vitia extirpat, pravas inclinationes tollit, consuetudines malas evellit, virtutes inserit, conscientiam serenam & tranquillam reddit, ac demum efficit, ut homo semper ad Confessionem Sacramentalem faciendam, & SS. Eucharistiam sumendam, ad quam etiam S. Paulus requirit Probationem suiipsius, per hoc examen sit comparatus.

1. Cor. 11. 31. Si nosmetipsos dijudicaremus, *(perscrutaremur)* Non judicaremur, *(hoc est, condemnationi subjiceremur.)* 1. Cor. 11. 28.

II. Locus, *ab adjuncta necessitate.* Quemadmodum enim in urbe, vel provincia, in qua nullus est magistratus, nullus senatus, judex nullus, nulla justitia administratur, nunquam est pax vel securitas, imò nihil bonum: sic in anima hominis, nullum instituentis rerum à se gestarum examen, nullum judicium exercentis, diu pax & tranquillitas esse nequit, sed nec ulla solida virtus. Unde B. Greg. non dubitat affirmare, etiam pios homines, si examen illud negligant, paulatim in studio virtutis deficere. *Sicut enim,* inquit, *non sentimus quomodo crescunt membra, proficit corpus, mutatur species, nigredo capillorum albescit in canis: hæc enim omnia nobis nescientibus aguntur in nobis: ita mens nostra per momenta vivendi ipso curarum usu à semetipsa, permutatur, & non agnoscimus, nisi vigilanti custodia ad interiora nostra residentes, profectus nostros quotidie defectumque pensemus. Hoc ipsum enim in hac vita mortali consistere, quasi ad vetustatem ire est, & cum indiscussa mens relinquitur, in quodam senio corporis sopitur: quia sui negligens, & propositum robur insensibiliter perdens, à fortuna prioris fortitudinis, dum nescit senescit, &c.* Et: *cum verò semeti-*

25. Mor. 17.

metipsam quærit, subtiliter pœnitendo se discutit, ab ipsa hac vetustate sua tota lachrymis & mœrore incensa renovatur, & quæ jam penè inveterata frixerat, per subministrata interni amoris studia novum calet. Vnde Paulus Apostolus usu mortalis vitæ veterascentes discipulos admonet, dicens; Renovamini spiritu mentis, &c. *Eph.4.v.23.*

Adhęc quemadmodum hortus salutares herbas & flosculos producere nequit nisi continenter hortulani sarculo noxiæ radices, lolium & lapides eruantur; haud secus in animæ nostræ horto nunquam rectè excrescent herbæ virtutum, & flores donorum Spiritus Sancti; lilium castitatis, rosa charitatis, viola humilitatis & pœnitentiæ, nisi sarculo examinis pravæ cupiditatum & inclinationum radices quotidie exstirpentur. *Rescindi cupiditatem cultro hujus examinis.*

III. *Ab hoc Simili:* Sicut quotidie manus, faciem, vestes, calceos, scutellas, domum expurgamus, qui quotidie ea sordibus inquinamus; sic convenit, ut quotidie conscientiam examinemus, ut sordes, sive magnas, sive parvas, in ea contractas eluamus.

IV. *Ab exemplis divinis*, ut 1. *Davidis*, qui ait, Psal.76.v.6. *Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui.* Et: *meditatus sum nocte cum corde meo, & excitabar, & scopebam spiritum meum.* 2. Regis Ezechiæ, qui memor annorum æternorum, in deliciis vel suppliciis æternis transigendorum, *recogitabat omnes vitæ suæ annos in amaritudine animæ suæ.* *Isa.38.v.15.*

V. *A testimonio SS. Patrum*, qui nobis hoc examen multis & prolixè commendant. S. Basilius. *Quæ quotidie feceris opera*, inquit, *vespere tecum commemora, & cum iis, quæ feceris pridie, conferto.* B. Ephrem, *Negotiator*, inquit, *secularis quotidie damna & lucra computat. Diebus singulis vesperi & mane considera, quo pacto se habeat negotiatio tua; & vespe-* *Ser. ad Monachos de abdic. mund. Ser. de vita religiosa.*

vespere quidem ingressus cubiculum examina teipsum, quid egeris: si quid malè, ingemisce, & lacryma. Facto diluculo examina quid nocte. S. Greg. 35. Moral. c. 17. *Reproborum esse proprium solet semper prava agere, & nunquam quæ egerint retractare, &c.* Et: *At contra electorum est, actus suos quotidie ab ipso cogitationis fonte discutere, & omne quod turbidum profluit, ab intimus exsiccare.*

VI. *A testimonio Ethnicorum.* S. Anton. scribit de Pythagoræis Phylosophis: *Dicebant Pythagorei, duorum temporum quam maximam habendam curam, mane & vesperi, id est, eorum quæ acturi sumus, & eorum quæ gesserimus.*

Consule etiam Senecam epist. 28. ad Lucilium, & lib. 3 de Ira, c. 36.

In EPILOGO *hortaberis Auditores*, ut, quod jubet Dominus, spirituales & probati sint trapezitæ vel numularii: & sicut numularii quotidie recepti lucrum & detrimentum diligenter computant, ita ipsi quotidie in examine suos lapsus cogitando, loquendo, vel agendo commissos expendant, vel diei & errata, & rectè facta nocte commemorent, neq; prius obdormiscant, quam Deum sibi placatum propitiumq; reddiderunt.

XXXI. PARÆNESIS AD EXERcitium contemplationis, potissimum rerum divinarum ac cœlestium.

S. Mor. c. 12. Vide Virid. Virtutum P. Busæum.

EXORDIUM *duces* à dicto S. Gregorii. *Ad contemplandum Creatorem homo conditus fuit, ut ejus semper speciem quæreret, atque in soliditate illius amoris habitaret.*

In PROPOSIT. *dices*, Te auditores, ut interdum cura terrenarum rerum abjecta, contemplationis studio se dedant, cohortaturum.

CONFIRMATIO. I. LOCUS, *à Contemplationis præstantia & dignitate*, quam satis insinuavit

vit Christus, cum Mariæ Magdalenæ studium in audiendis & expendendis divinis sermonibus, anteposuit ministerio Matthæ sororis, licet ex charitate profecto. *Luc.10.42.*

II. *Ab effectibus, vel fructibus*, quorum PRIMUS est, quod eximia voluptate spirituali animum perfundat quietumque & tranquillum efficiat. Unde contemplator quidam dicebat: *Quis dabit mihi pennas sicut columba, & volabo* (per contemplationem) *& requiescam.* Quiete verò potitus exclamabat: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te?* Et Apostolus Petrus, cum in monte Thabor contemplatione transfigurati Christi fruitus esset, tanta voluptate exiliit, ut diceret ad Jesum: *Domine bonum est nos hic esse.* SECUNDUS est, quòd rerum terrenarum amorem convertat in amorem cœlestium. TERTIUS, quòd eius beneficio brevissima nobis paretur via ad vitæ spiritualis perfectionem. QVARTUS, quod mirificè juvet ad mortificandas omnes animi & corporis perturbationes, totumq; veterem hominem renovandum. *Psal.54.v.7.* *Psal.30.20.* *Matt.18.4.*

In EPILOGO *dices*, Auditores ad fastigium & perfectionem contemplationis posse pervenire, si diligenter & orent, & vitas Sanctorum considerent, exemplo S. Antonii, qui, ut ad perfectionem vitæ contemplativæ brevi perveniret, adhuc adolescens omnium Eremitarum, quos laude aliqua virtutis præstare audierat, cellas obibat, & instar apiculæ prudentissimæ variarum virtutum roscida mella colligebat. Monebis tamen ipsos, ut, si dono contemplationis vacent, suo tempore se ad externas actiones demittere, non negligant, uti S. Antonius, multique alii Anachoretæ, licet toti contemplatione essent absorpti, solitudinibus desertis ad urbes confugerunt, ut Ecclesiam fluctuantem erigerent, & conservarent. *Vide speculum Cleric.* *S. Athanas. Sur. tom.1.*

XXXII. ENCOMIUM
Iejunii.

IN EXORDIO, *Explicabis infinitam Dei sapientiam*, quæ cum in hac rerum universitate, tum in humani generis cura & moderatione conspicitur. Primò, quòd hominem justum & innocentem produxit, gravissimè deinde lapsum misericordiæ suæ dextra sublevavit, eiusque res, per veteris Adæ inobedientiam afflictas, per novi Adæ obedientiam instauravit: demum, quòd cùm homo à tam gravi casu ereptus, hisce creatoris sui beneficiis non solùm non respondit, sed etiam divina Lege violata, æterni judicis indignationem in se concitavit, medium proposuit, quo pristinam gratiam, jam per peccatum amissam, recuperaret, nimirum Pœnitentiam, cuius tertia pars, Satisfactio, exsolvitur, Eleemosyna, Oratione, & Jejunio.

In PROPOSITIONE *dices*, Te non dicturum, nisi de Jejunio, neq; de omni jejunio: non de magno & generali, quod nihil est aliud, quàm abstinentia à vitiis: neq; de jejunio Philosophico, vel Morali, quod est cibi & potus parsimonia, qua temperatè etiam ab ETHNICIS secundum rectam rationem vita instituitur: Sed de jejunio Ecclesiastico, quo secundum certum & præscriptum Ecclesiæ morem certis diebus, & carnium esu abstinemus, & unica duntaxat refectione plena vel prandii vel cœnæ contenti sumus.

Isa. 58. v. 6.

CONFIRMATIONIS I. LOCUS, *à Iejunii dignitate & præstantia*, quam docent SS. Patres PRIMÒ, ab antiquitate, quod in ipsa adeò Paradiso à Deo ipso sit institutum, & mandatum. Hinc S. Hieron. lib. 1. adv. Jovian. ait: *Adam in Paradiso accepisse præceptum, ut cætera poma comedens, ab una arbore jejunaret.* & Basil. *Quidquid vetustate præ-*

Miris laudibus plerique SS. Patres Iejunii consuetudinem exornarunt, Hom. 11. de Iejunio.

præcellit, idem venerabile est. Reverere igitur Iejunii canitiem. Tam vetus est, ut simul cum homine condito cœperit, in Paradiso præscriptum est, &c. SECUNDÒ, ex eo, quod jejunium sit cibus Angelorum, & ideò jejunantes imitentur vitam Angelicam. TERTIÒ, quòd ipse Christus à Jejunio quadragenario prædicationem suam inchoare voluit.

S. Athan. de Virgin. S. Chrysost. serm. de Ieiunio. Ad carnem edomandam utiliss. libidinis faces extinguit, appetitum rationi, rationem spiritui subjicit.

II. LOCUS, *à multiplici Iejunii fructu.* PRIMÒ, Valet ad coërcendam carnis lasciviam: ideò enim Paulus dixit: *Castigo corpus meum,* &c. Unde S. Cypr. de jejunio & tentatione, *Iejunii*, ait, *vitiorum sentina siccatur, petulantia marcet, concupiscentiæ languent, fugitivæ abeunt voluptates: Iejunium si discretione regatur, omnium carnis rebellionem edomat & tyrannidem gulæ spoliat & exarmat. Iejunium extraordinarios motus in cippo claudit, & arctat, & appetitus vagos distringit, & ligat.*

1. Cor. 9. v. 18. Contra, ex crapula initium omniũ malorum est.

SECUNDÒ, parat ac disponit animum ad rerum divinarum contemplationem, & instituendas devotè preces ad Deum. Hinc Moyses 40. dierum jejunio animam præparavit, antequam ad Dei colloquium auderet accedere. Elias 40. dies jejunio vacavit, ut Deum in monte Horeb quadantenus (sub specie auræ tenuis) contueri posset. Et Daniel trium hebdomadarum inedia se comparavit ad excipiendas divinas revelationes.

Vide P. Bellar. Iejun. c. 11. Exod. 34. 3. Reg. 9. Cap. 10.

TERTIÒ, Valet in peccatoribus, pœnitentiam agentibus, ad impetrandam peccatorum veniam, & placandam Divinam indignationem. Sic Achab impius, & Ninivitæ gentiles imminentem iram Domini jejuniorum miseratione (ut S. loquitur Hieron.) detorserunt; seu strictos jam Divinæ severitatis gladios à suis cervicibus propulsarunt. Jejunantes filii Israel cum Samuele Deum placârunt, & victoriam de hostibus retulerunt. Tempore Hester & Judith Judæi jejunio Deum placarunt, & liberati sunt ab excidio imminenti. Et

3. Reg. 21. Ion. 3. Lib. 2. in Ion. Hest. 4. Iudith. 4.

S. Jo-

Lib 3.17. S. Joan. Evangelista, teste Eusebio, sæpius se ma-
Tertull. lib. ceravit jejuniis, ut peccatori cuidam Deum redde-
de Iejunio. ret propitium.

Qvarto, Valet in justis ad expiandas peccatorum pœnas: quia ut aliis voluntariis afflictionibus, ita sacris jejuniis maximè satisfacimus.

Matt. 6 18.
1. Cor. 9. 25.

Qvinto, Valet ad promerendam vitam æternam: nam Christus, exclusa gloria vana, in abscondito jejunanti cœlestem promittit mercedem. Et Apostolus castigantem corpus jejuniis confert cum pugilibus in agone contendentibus: quòd sicut hi ab omnibus abstinent, ut corruptibilem coronam accipiant; ita illi à cibis jejunant, ut coronam consequantur incorruptam.

Vide lib 51. de præmiis Virtutum.

Sexto, Valet ad impetranda & promerenda bona temporalia. Judith & Hester jejunii beneficio patriam tyrannide & excidio liberarunt, Anna uxor Helcanæ filium Samuelem per jejunium impetravit. David jejunio se afflixit, ut periclitanti filio vitam impetraret. Anachoretæ olim severitate jejunii longissimè vitam produxerunt.

1. Reg. 1.
2. Reg. 12.

Septimo, Valet ad frangendam dæmonum potestatem. Sara à Dæmonio per jejunium liberata est. Et Christus ipse contra Dæmonis tentationes pugnaturus, longo se jejunio, (ut loquitur Ambros.) armavit. Idem apertè docuit, acriora quædam Dæmonia non superari, nisi jejunio & oratione. S Athanas. libr. de Virg. *Quisquis, ait, ab immundo spiritu vexatur, certum habere debet, hoc pharmaco, jejunio, inquam, statim spiritus malos afflictos abscedere, vim jejunii metuentes.* Quot Sancti jejunii clypeo hostiles impetus propulsarunt?

Tob. 3.
Matt. 17. 22
Epist.

Octavo, Valet denique ad colendum Deum. Legimus enim *Num. 6. v. 2.* Nazaræos voti religione obstrictos fuisse, ut abstinentia Deum colerent, unde & *Amos 2. v. 12.* graviter irascitur Deus filiis Israel, qui vinum illis propinarunt.

Dein-

Deinde in novi Testamenti foribus & primordiis, *Luc. 2. v. 37.* laudatur Anna Prophetissa, filia Phanuel, quòd nocte & die, *annis multis, fuerit serviens Deo in jejuniis & obsecrationibus*, ubi in Græco contextu vox est, λατρεύουσα, quæ significat Religiosum cultum. Adhæc S. Paulus ad Romanos 12. v. 2. *exhibeatis*, ait, *corpora vestra hostiam viventem, sanctam*, &c. quæ verba ab omnibus exponuntur de refrænatione carnalium cupiditatũ, quæ maximè fit per jejunia: unde & Sancti Patres Jejunio appellationem sacrificii, oblationis, & cultus tribuerunt.

III. Locus, *à necessitate:* quia & in veteri & in nova Lege Jejunium est præceptum. Christus certè docet esse jejunandum, cùm modum jejunandi præscribit. Matt. 6 ait: *Tu autem cum jejunas, unge caput*, &c. præsupponens enim esse jejunandum, præcipit quomodo sit jejunandum, orandum, & pauperibus largiendum. *Quibus autem diebus*, ait S. August. epist. 86. ad Cajulanum, *non oporteat jejunare, & quibus oporteat, præcepto Domini, vel Apostolorum, non jejunio definitum.* Quare hac in re sequenda est hæc Regula ejusdem Augustini: *Quod universa tenet Ecclesia, nec consilius institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum, rectissimè creditur.* Ex jejuniis autem Apostolica Traditione ad nos manantibus, meritò primum locum tenet Quadragesimale ante Pascha: quia id universa tenet, & hactenus tenuit Ecclesia Catholica Romana, illudque Apostolicæ esse Traditionis SS. Patres apertè agnoverunt: imò S. Ambros. non semel (*ser. 35. 36. 38.*) notavit, id ab ipso Salvatore esse præceptum, ac idcirco necessariò servandum. Hinc jejunio auctoritate & necessitate proximum est jejunium 4. Temporum, quia juxta regulam Augustini, Apostolicæ Traditionis est, ac pro tali illud

Lev. 16. v. 31. Ioel. 2. v. 12. Zach. 8. 19. Eph 4. v. 16. Ioan. 3. v. 7.

Lib 4. de Bapt. contra Donatistas. Hieron. epist. 54. & in c. 9. Matth. ser. de Quadr. 6. nu c. Serm. 2. de Iejun. Pont & Serm. 8. de Iejun. mensis. 10. August. ep. 118.

veneratur B. Leo. Quibus autem Vigiliis, jejunandum sit, tum ex decretis Ecclesiasticis, tum ex more regionum & consuetudine populorum æstimandum est.

IV. Locus, *à facili*, cùm multum de jejuniorum veterum in Ecclesia quondam usitatorum severitate jam detractum sit. Nam Primò, majores nostri Feria 4. 6. & in Occidente etiam Sabbato, non solum carnibus abstinebant; sed etiam jejunabant: nos sublata Feria 4. cuius vestigia adhuc hærent in Monasteriis, & in Polonia, delectum tantum ciborum Feria 6. & Sabbato retinuimus. Secundò, illi jejuniis sæpissimè conjungebant Vigilias, hoc est, nocturnos ad precandum Deum agebant conventus; nos unam & alteram tantùm Vigiliam Nativitatis Domini ac Paschæ, necdum integras retinuimus. Tertiò, illi ad horam 9. quæ nobis est 3. pomeridiana, jejunia relaxabant; per sacram verò Hebdomadam Paschæ, totamque Quadragesimam, etiam usque ad vesperam jejunia extrahebant: itaque cœnabant tantùm, non prandebant. Nos autem relaxamus hora undecima, vel 12. & prandemus. Quartò, illi unicam solum refectionem, eamque pertenuem jejunantibus indulgebant; nunc pleno prandio vespertina accessit refectiuncula, vel collatio, quam Ecclesiæ majores, doctissimiq; Theologi & Jureconsulti nec reprehendunt, nec damnant, quæ uti inducta videtur ne noceat potus, ita debet esse tenuissima, ne si in cœnam degeneret, omnis tandem jejunii severitas, relicto solo delectu, è medio tollatur. Quintò, illi non abstinebant solùm à carnibus, ovis, caseo; sed etiam piscibus, aromatibus, fructibus quibusdam terræ, vino, mulso, omniq; potu, qui inebriare posset, contenti holeribus, leguminibus, pane, sale, & aqua. Nos verò jejuniorum diebus ferè solis carnibus

Eufeb. lib. 2. Hist. c. 17.

nibus abſtinemus: In quadrageſima verò, licet non vbique etiam ovis, caſeo, & lacticiniis. Sexto, illi, ſi Monachi eſſent, quos S. Auguſtinus, *de moribus Eccleſiæ cap.* 31. vocat perfectos Chriſtianos, per omnem vitam communiter omnes jejunabant. Quidam etiam in duos, tres, quatuor dies jejunia protrahebant, ſolo pane & aqua victitantes. S. Auguſtinus de quibusdam etiam in urbe de gentibus ſcribit, quòd *continuum triduum, vel amplius ſæpiſſimè ſine cibo & potu duxerint, non viri ſolum ſed & fœminæ*, &c. Septimò, Veteres aut perpaucos, aut nullos à jejunandi lege, maximè in Quadrageſima exemiſſe videntur: nunc à Theologis & Iureconſultis multi aut *imbecillitatis*, aut *neceſſitatis* titulo hoc vinculo liberantur: *imbecillitatis* quidem, 1. pueri & adoleſcentuli usque ad 21. annum ætatis, &c. 2. ſenes ſeptuagenarij, vel octogenarij, imò & ſexagenarii. 3. ægri, & valetudinarii. 4 pauperes, & mendici. 5. omnes, qui jejunare non poſſunt. *Neceſſitatis* verò titulo multi eximuntur lege jejunii, non tamen delectus, ut fabri ferrarii, murarii, & lignarii, aurigæ, agricolæ, viatores iter facientes pedibus, & quotquot gravibus laboribus corpora fatigant. At hæc, qui exercent ſe operibus miſericordiæ vel corporalibus vel ſpiritualibus proximo exhibendis, ſi jejuni hæc pietatis officia commodè præſtare non poſſint.

de Bapt. lib 1. *de Ieju.* Omnes, &c.

In Epilogo *hortaberis Auditores*, ut ex dictis, & aliis ſint ad jejunandum promptiſſimi.

XXXIII. *INGRATITVDINIS VITVperatio.*

Exordium *petatur à laude*, qua memores beneficiorum affici ſolent: eos enim & pleno ore laudare, & ſumma benevolentiæ ſignificatione complecti, & indies maiori beneficio cumulare ſtudemus.

Propositio: Te igitur è contrario, quàm enorme sit vitium eorum, qui nullam grati animi significationem iis exhibent, à quibus beneficia perceperunt, demonstraturum.

Confirmationis I. Locus *à Lege Naturæ*. Videmus Primo, ea, quæ sensu destituta sunt, (ut agros, arbores, &c.) magno cum fœnore ea, quæ acceperunt, refundere. Secundò, bruta animantia, non solùm domestica, sed etiam ferocissima, eos diligere, à quibus beneficia acceperunt, imò pro exiguis beneficiis gratissima esse. Piger à Salomone ad formicam ablegatur, ut ab ea discat industriam: quanto magis ingratus ad similes bestias est ablegandus? Sanctus Ambrosius ablegat ingratos ad canes: *Quid* inquit, *de canibus loquar, quibus insitum est natura quandam referre gratiam, & sollicitas excubias pro dominorum salute prætendere? Quis non erubescat gratiam bene de se merentibus non referre, cum videat etiam bestias refugere crimen ingrati? Interfectis à latronibus in solitudine dominis complures à cadaveribus canes non recessisse*, ait S. Basilius. *sed ibidem exspiraße memoria traditur. Nonnullos etiam cæde adhuc recente duces illis fuisse, qui latrones inquisierunt, & ad pœnam maleficos capi fecerunt.* De leonum gratitudine erga benefactores mira extant exempla. Apud Sophronium, *in Prato spirituali cap.* 107. de leone, qui ob spinam à Beato Gerasimo Abbate è pede euulsam, recedere à cœnobio noluit: ipsoque mortuo, magno rugitu edito & ipse sepulchro eius incumbens exspiravit. Apud A. Gellium, *in Noctibus Atticis*, de alio, qui passus est se ob simile beneficium ab Androdo servo fugitivo per Vrbem Romam instar canis deduci, acclamante populo: *Ecce leo hospes hominis, ecce homo medicus leonis.*

Prov. 6. v. 6

In Hexameron. lib. 6. c. 4.

Hom. 9. In Hexam.

Non S. Hieronymo.

Lib. 5. 400.

Pag. 241.

Matthæus Paris in historia Anglicana: *Vitalis* inquit, *Venetus civis, dives & avarus, cū daturus esset filiam*

liam suam nuptui, ut mensam prepararet lautiorem, venatum iuit, in quandã forestam vastissimam, & desertam, mari conterminam. Et cum per deuia eremi solus vageretur, arcum extensum baiulans cum sagittis cupiditate ferinæ ductus, incidit fortè in foueam & pedicam leonibus, ursis, & lupis subtiliter præparatam, à qua, cum os strictum esset, & pauimentum profundum & amplum, nullo modo potuit ascendere, vel euadere: invenit autem in ea, quæ eodem casu in ipsam inciderant, duo crudelia animalia, leonem & magnum serpentem; sed ipsum Vitalem: qui se signo crucis præmuniuit, nequaquam invaserunt, licet famelici nimis & protervi. Accidit autem, ut quidam pauperculus carbonator sylvicola, dum pergeret quisquilias ibidem lignorum colligendo, audiret clamorem & planctum quasi subterraneum, & vocem sequens pervenit ad os putei, & introspiciens ait: Qui es, quem audio? Et Vitalis, gavisus supra id quod dici potest, respondit alacriter: Ego sum miser Vitalis cognomento Venetus, qui ignarus muscipularum harum, in foveam istam incidi, feris nocivis deuorandus, qui fame & timore contabesco. Sunt enim hic duo, quæ nimium pertimesco, animalia, leo quidem & anguis, sed adhuc, Domino protegente, cuius signo me communivi, me non invaserunt: tibi reservatus sum, ut tibi benefaciam. erue me, & bene tibi erit: ecce tibi dimidium bonorum meorum concedo, quingenta talenta: sunt enim mihi mille. At pauper: *Si dictis facta compenses. faciam quod desideras, & hortaris. At Vitalis dicta sua multis & magnis iuramentis, Domino interposito pro fideiussore, & fide media confirmavit. Et cum colloquerentur, leo motu caudæ saltuq; iucundo, & similiter anguis blando sibilo & totius corporis volubilitate eidem pauperi applauserunt, quasi liberationem suam cum Vitali postulantes. Et statim pauper domum suam festinus abijt, scalamq; cum funiculis, quos noverat necessarios cum summa festinatione præparavit, & rediens dimisit eam in puteum solus. Et statim, imò raptim &*

In fossam altissimam delabitur auarus.

Nota vim signi crucis.

certatim, leo & anguis per gradus scalæ ascendentes, ipsi Pauperi applauserunt, & circumeuntes pedes eius, volutabantur coram eo lætabundi, quasi gratiarum actiones pro liberatione suo referentes eidem. Postea verò pauper ipsius Vitalis ascendentis manum apprehendit, & deosculans, ei dixit, Viuat manus hæc eia eia, gaudeo planè, quia voti compos effici merui, & duxit eũ donec ad notitiam itineris perveniret. Et Vitali recedenti ait, Sylvanus pauperculus Quando, & ubi persolves mihi debita? Et Vitalis intra diem quartum in Venetia, in palatio meo quod quidem famosum est, & reperiri non est difficile. Rediit Sylvanus ad domunculam suam, ut pranderet. Quo sedente ad mensam ecce leo, quem liberaverat, apportans hinnulum, intravit, & apposuit mensæ prandentis blandus & mansuetũs, quasi offerens illum loco præmij pro beneficio liberationis, & applaudens mitissimus sine rugitu & ira aut alicuius læsione recessit. Et sequebatur eum Sylvanus, ludentem coram eo & lingentem pedes eius, ut sciret ubinam esset cubile eius (admirabatur etiam vehementer tantam leonis mansuetudinem) & postea rediјt ut pranderet. Et cum cibum sumeret, ecce & serpens liberatus adfuit, gemmam pretiosam ore deferens apposuitque eidem Sylvano tanquam liberatori suo, & illam in disco suo reposuit, seseque spiris volubilibus ante ipsum volutans, & ludens applausit, quasi grates referens ei pro impenso sibi beneficio; & blando emisso sibilo nullum lædens, recessit quem similiter sequebatur Sylvanus, præ admiratione, ut de caverna eius certificaretur. Elapsis igitur duobus vel tribus diebus, Sylvanus secum deferens gemmam suam pretiosam, quam serpens suus attulerat, Venetiam adijt, ut à Vitali promissa reciperet. Et inuenit eum cum ciuib9 vicinis præ gaudio liberationis conuivãtem. Quem Sylvanus seorsim evocans, & secretius alloquens, dixit: Amice, solve quod debes. At ipse torvo vultu respondit: Quis tu? quid exigis? at ille: quingenta ta-

Magna ambarum ferarum in liberatorem suum gratitudo.

Cen-

lent a mihi à te pro beneficio tibi facto ex pacto promissa. At Vitalis: Ita tam leuiter velles lucrari quae ego per longa tempora laboriosè acquisivi, & pracepit familia sua, ut caperetur, quasi delirans pro tanta temeritate in carcerandus. Quod Sylvanus intelligens repentino saltu à domo exilivit, & veniens ad Pratorium, hac omnia seriatim judicibus civitatis intimavit. Qui cum non planè crederent, ostendit gemmam sibi à serpente gratiarum loco datam, & illicò unus civium quem virtus lapidis non latebat, ipsam magno pretio comparavit. Vt autem omnes redderet certiores Sylvanus, aliquos de civibus duxit ad latibula leonis & serpentis, qui adhuc Sylvano tanquam liberatori applausere. Certificati igitur iudices de rei veritate, compulerunt Vitalem reddere, qua promisit, & satisfacere pro injuria. Hac referebat Rex Richardus munificus ingratos adarguendo,

Richardus hic Rex Anglorum fuit, primus ejus nominis circa Annū Domini 1195. Vide Theatrum Vindicta Divina.

II. Locus *ab exemplis eorum,* qui ob ingratitudinem à Deo puniti sunt, ut Adami, Iudæorum, Iudæ proditoris, &c.

II. *à testimonijs S. Scriptura* quibus ingrati arguuntur. *Luc.* 7.*v*.17. Christus conqueritur de novem leprosis à se mūdatis. S. Paulus (2.*Tim*.3.*v*.2.) inserit ingratos catalogo improborum. Salomon. (*Prov*.17.*v*3.) *Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo eius.*

*Esaia.*1.*v*.2, *Filio, &c.*

Publius Mimus: Dixeris maledicta cuncta, si ingratum dixeris.

IV. *à testimonijs Ethnicorum.* Seneca libr. 4. de Beneficiis, cap. 18. *Per se ait, fugienda res, ingratum esse, quoniam nihil aquè concordiam humani generis dissociat ac distrahit, quàm hoc vitium.* Et libr. 3. cap. 1. *Non referre beneficiis gratiam, & est turpe & apud omnes habetur. Ingratus est, qui beneficium accepisse se negat, quod accepit: ingratus est, qui dissimulat: ingratus, qui non reddit: ingratissimus omnium qui oblitus est.* Cicero: *Ingratitu-*

Ad Atticum. 8.

dinis vitio, inquit, *nihil mali non inest.* Laudatur Atheniensium & Macedonum institutum, qui severissima lege statuerunt, ut adversus ingratos iure non secus ageretur, atque si ære alieno, vel gravi crimine oppressi forent.

V. *à comparatis.* Si Tullio teste, in eos, quos speramus nobis profuturos, non dubitamus officia conferre, quales in eos existere debemus, qui jam profuerunt? Etsi Senatus Romanus anseres publico stipendio ali iussit, quòd Capitolium à Gallorum impetu, strepitu & clangore liberassent, quàm gratos nos esse docet in eos, qui animas nostras curant, tuentur, & pascunt?

Vide Val. Maxim.

EPILOGUS *constabit adhortatione*, ut Auditores, cum in omnes, tum verò maximè in Deum, parentes ac præceptores, quibus, ex Arist. sententia, nunquam par meritis gratia referri potest, grati existant.

XXXIV. PARÆNESIS AD IVVENtutem, ut audita diligenter retractet.

EXORDIUM *à tempore & rei suadendæ necessitate*, quòd iam lectiones inchoatæ sint in quarum initio studia fervere solent, qui fervor non in principio duntaxat, sed in medio etiam & fine requiritur, & quidem non in attendendis solùm, sed & in retractandis ac ruminandis lectionibus auditis, ut quam altissimè animis infigantur ea, quæ præcepta sunt, & iam primas agere radices cœperunt.

PROPOSITIO: Proindè te statuisse, ad unum omnes amicè admonere, ut per totum lectionum cursum omnia in scholis audita, quam diligen-

gentiſſimè ac fideliſſimè retractent.

CONFIRMAT. I. Locus, *ab auditorum adiunctis*, quòd iſta iſtiuſmodi ſint, quæ meritò repeti debeant, ſive ſint artium præcepta, ſive præclara morum dogmata.

II. *ab imbecillitate humani ingenij*, quòd ipſum ſine repetitione nihil, aut parum admodum obſervare queat, maximè in aliqua auctorũ varietate. Hinc tritum illud: *Lectio audita, & non repetita, eſt quaſi nulla*. Hinc Axiochus à Socrate confirmatus in adverſa valetudine, dixit ſe omnia poſt Socratis digreſſum, quæ ab ipſo audierat, repetiturum. Si id ægrotus fecit, quid non faciet ſanus?

III. *ab effectis repetitionis*. PRIMUS, quòd hinc eveniat, ut omnia quàm tenaciſſimè hæreant. SECUNDUS, quòd hinc tardioris ingenii adoleſcentes ſæpè ingenioſiſſimos vincant. TERTIUS, quia ut cibus poſt concoctionem maximè prodeſt; ſic doctrina, quæ mentis quidam cibus eſt, poſt repetionem, quæ quædam quaſi concoctio eſt, maxima commoda habet.

IV. *ab ingeniorum diverſitate*, quòd alii facilimè quid addiſcant, alii difficulter: illi uti facilè percipiunt aliquid, ita citiſſimè percepta vẽtis tradunt, niſi repetitione crebra ſibi retineant: hi, quia non niſi ſummo labore quid percipiunt, omnem difficultatem repetitione vincunt.

EPILOGUS *monebit Auditores* ad diligentem prælectarum lectionum repetitionem.

QVATVOR RERVM VALIDISSIMARVM, vini, regis, mulieris, & veritatis encomia, ex lib. 3. Esd. c. 3. & 4. desumpta, ubi à tribus satellitibus regis Darii eadem pertractantur.

XXXV. NIHIL ESSE FORTIVS *vino.*

VINI *encomiastes in* EXORDIO *brevibus commendabit scholasticum conflictum,* quo ingenui adolescentes ingenii excolendi gratia præclaro & illustri argumento proposito concertant, & pro laureola Palladia depugnant.

NARRATIO; Tres igitur adolescentes, quorum tu unus sis eiusmodi certamen inter se concepisse, ut quam quisq; vel validissimam arbitretur, eam commendet; & qui verissimè dixerit, is laureola potiatur.

PROPOSITIO. Proinde te, cui fortè primus locus obtigerit, probaturum nihil rerum omnium VINO validius esse, nihil maiorem vim habere. Seu: quòd licet præclarum hoc mundi opificium, & quidquid eius ambitu continetur, ratione, mente, & cogitatione perlustrans, non possis non singulas eius partes demirari, & plenis, quod aiunt, buccis deprædicare, te tamen in præsentia, ex tanta rerum admirandarum varietate, vini immensam & incredibilem fortitudinem duntaxat commendandam tibi sumpsisse.

Pro M. Marcello. Pelopidas tyrannus Thebanorũ oppreßit ebrios Probus Aemil. Scytha à

CONFIRMATIONIS I. LOCUS, *à causa efficiente:* quòd hic potus, non ab homine, sed à Deo per ardorem solis, Planetarũ nobilissimi, percoquatur.

II. *ab*

II. *ab effectu, quæ suam arguant causam.* Nam PRIMÒ, firmissimam hominis partem, mentem, vincit(& extinguit:)quam qui vincit, eum Cicero Deo simillimum censet, quod vix quisquam hoc possit, præter Deum: vinum tamen hoc posse videmus in piis etiam viris, & Regibus potentissimis: ingenii enim vigore enervato, ex prudentissimis archimoriones efficit. Hinc Lacedæmonii, ut stultitiam ebriosorum liberis suis ostenderent, εἵλωτας suos inebriatos in convivia introducebant, & liberis stultissimos illorũ mores ostendebant. Vnde Ilias malorum manet eas Resp. quæ sunt sub rectore temulento. Et rectè Cato dixit: Vno excepto (Cæsare) neminem unquam ad evertendam Rempubl. sobrium accessisse. Vix enim ulla Resp. diu stetit, quæ ebriosorum consilio administrata est; vix ulla concidit, quam non ebriosi everterunt; vix ulla non floruit, quæ à sanis ac sobriis gubernaretur. Hinc apud Locrenses erat capitale vinum bibere iis, qui erant in magistratu, nisi medicus jussisset: & adolescentes Romani non bibebant vinum ante 20. annum. Vinum Noë femora nudavit, Loth, quem Sodoma non vicit, vinum vicit, & cum utraque filia incestum commisit. Holofernes ebrius à Iudith interfectus est. Herodes potus caput Ioannis Baptistæ levissimæ saltatrici dedit. Nonne vinum in animis multorum iram, quasi sævam tempestatem & tantos fluctus excitat, ut status mentis immutetur, oculi ardescant, os tremat, lingua titubet, dentes concrepent, & alternatim vultum maculet nunc suffusus rubor, nunc pallor albescens? Nonne Alexander Macedo, cum vinum bibisset, in eam rabiem accendebatur, ut inter pocula intimos & charissimos amicos contrucidaret? nonne, inquam, qui hostes semper vicerat, à vino usque adeo victus est, ut in tumulentia etiam amicos è medio tolle-

Scytha à Cyro Rege Pers. prius ebrietate, quam bello sunt victi. Iustinus lib. 1 c. 9

Ideo flamini Diali vetitum erat transire per viam, ubi vitium propagines, in sublimi pretenta essent, quod nefas esset eum à vino vinci.

Herodot. lib. 3 exemplum Cambysis refert.

Potentiss. Reges pro suo libitu tractat, pro arbitratu regit.

Ebriosi velut lymphatici, bacchantur, tanquam

rabiosi canes inter se cruento ferro concurrunt.

tolleret? Nonne potu obrutus Clitum suum obtruncavit? Hinc Androcydes ad ipsum scripsit: Vinum potaturus Rex, memento te bibere sanguinem terræ. Tanto Milonem Crotoniensem, Athletarum longè præcipuum, robore corporis fuisse accepimus, ut taurum ictu nudæ manus interimere potuerit; Vinum verò infinitos etiam gladiatorio totius corporis robore præditos athletas è medio sustulit. Efficit enim ut helluones hostilem in modum sibi ipsis manus inferant, in seipsos sæviant, infestissimos morbos, cruciatus, atque adeò exitium volentes videntesq; sibi accersant, ut verissimè dictum sit, *plures crapula quam gladio mori.* Et certè multi Reges, multæ opulentissimæ civitates & nationes prius vino, quàm armis fasces submiserunt. Hic enumerabis varia genera morborum, quibus potorum, penè porcorum, dixeram, gregem subjicit vinum: occupat certè illos senium & occasus vitæ, dum adhuc quàm maximè viribus pariter corporis & animi vigere ac valere debebant.

Epigrammaticus Græcus ait: Bacchum cum Venere aliquando concubuisse, & ex eo concubitu prognatam esse filiam Podagram. Vide Plin. lib. 14. c. ult. & Iuvenal. Val. Max. lib. 2. c. 1. lib. 6. c. 11 Gel lib 10. c. 23.

Plin. lib. 14. c. 13.

SECUNDÒ, Vinum non morbis solum corporis, sed etiam animi fortissimos heroës prosternit, dum non iræ duntaxat stimulis, eos ut diximus inflammat, sed immoderatis etiam libidinibus immergit, adeò ut non Ætnæi ignes, non Vulcania tellus, non Olympus tantis ardoribus exæstuent, donec eos irretitos implicatosque decipiant. Quare S. Hieron. ad Eustochium Virginem scribens: *Vinum*, ait, *voluptatis incendium est: unde proximus à Libero patre intemperantiæ gradus ad id concessam Venerem esse consuevit.* & Origen. de Loth. *Ebrietas decepit, quem Sodoma non decepit*: uritur ille flammis mulierum, quem sulphurea flamma non ussit. Hic commendabis legem Romanorum, qua mulieribus vini usus fuit interdictus. Egnatii Mecennii uxor, teste Plinio, quòd vinũ bibisset è dolio,

lio, interfecta est fuste à marito, isque cædis à Romulo absolutus est.

TERTIÒ, Omnium calamitatum oblivionem inducit, & animos magna lætitia perfundit. Vnde Bacchus Græcis Lyæus, & Latinis Liber, quod curis liberet, est appellatus. Ovid. *Cura fugit, diluiturq; mero.* Socrates, apud Xenophontem, ait: Vinum non aliter lætitiam excitat, quam oleum inspersum igni flammam adauget. Hinc facinorosis ante horam supplicii vinum propinari consuevit: hinc & apud Virgilium Troiani longa navigatione & sævissima tempestate fatigati, Bacchi lætitia exhilarantur; & alio loco adesse sibi lætitiæ datorem Bacchum votis precantur: & Ovid. 7. Metam. fingit nutrices Bacchi ex vetulis juvenes esse factas. Plato vinum à Deo hominibus tributum scribit, quasi remedium adversus Senectutem, ut redire ad juventutem videantur, & mœstitiæ eos capiat oblivio.

QUARTÒ, Quod ars in homine non potest sola, id tamen vino confirmata potest: vinum siquidem è mutis facit disertos, elingues ad dicendum reddit promptissimos. Hinc Homerum ferunt non nisi potum versus scribere solitum, &. *Nulla placere diu, nec vivere,* ut cum Poëta loquar, *carmina possunt*, quæ ab aquæ potoribus conscribuntur. Adhæc Plato nullum tormentum ad veritatem eliciendam vino efficacius adhibere posse affirmat. Hinc Bacchum pingebant nudum, quia vinum secreta revelat. Cyrus apud Xenoph. ob hanc præcipuè causam ebrietatem fugiendam censet; quod arcana prodat.

Horat. Fæcundi calices &c. Ennius ipse pater, &c. Prover. In vino veritas.

Reges dicuntur multis vigere culullis,
Et torquere mero, quem perspexisse laborant,
An sit amicitia dignus.

In PERORATIONE *inferes,* potentissimum esse vinum, & monebis Auditores, ut moderatè tam

forti

forti & præclaro munere Dei utantur, ne à tam potente hoste incauti opprimantur.

XXXVI. NIHIL ESSE FORTIus Rege.

IN Exordio *benevolentiam captabis à persona Auditorum*, quòd vini Encomiasten summa cum attentione & silentio audierint, & orabis ut idem tibi præstare velint, ut non vinum, sed aliud quid, res omnes viribus & potentia superare intelligant.

Propositio : Te enim planissimis rationibus ostensurum, & vini Encomiasten plurimum à vero aberrasse, seu invictam veritatem plusquam plumbeis pugionibus jugulare voluisse, & Regem potentia res omnes superare.

In Confutatione *refutabis* Primò *rationem primam adversarii ab absurdo, seu incommodo consequenti*, quòd si ab ipso Creatore colligatur vis creaturæ, eadem vi omnia pollebunt, quæ ab eodem creata sunt, & tantum aqua poterit, quantum vinum. Secundò, *Contradictoria oppositione seu inficatione:* non enim mentem hominis extinguit vinum, alias enim rursum à se accendi non posset, & *à contrario effectu*, quòd accendat animos, unde qui sobrii tacent, vino ad dicendum inflammantur. Hinc senum animi, ætate jam debilitati, vino foventur, quare lac senum à quibusdam appellatur. Paucissimi sunt, qui eo obruuntur, illi duntaxat, qui imbecillioris sunt cerebri, quod vini vaporibus facilè læditur: deinde non tam vino, quam eius copia homines obruuntur. Quòd Clitum ebrius Alexander interfecit, non tam ebrietatis, quàm præcipitis iræ factum est. Clitus enim conviitiis Alexandrum appetebat. Reliqua per se intelligi, & ex dictis refutari, tuamque tibi partem esse confirmandam *dices*.

Confirm. I. Locus, *à causa efficiente. Regia potentia,*

tentiæ, quod Regem Rex ille Regum & Dominus dominantium potentia strictoq; gladio armavit, quo insontes defendat, & rebelles compescat. *Per me, inquit, Reges regnant, & Principes justa decernunt.* *Prov. 8.*
Persæ certè olim aliquid cæleste atque divinum in regibus inesse statuebant, & ideò enixe operam dabant, ne quid in eorum forma & specie deforme & indecorum appareret. Si quid igitur in Regum filiis erat pravum atque distortum, dabatur ea cura certis mulieribus, quæ dum corpora erant tenera, & emendari poterant, ea quodammodò fingerent, & ad rectitudinem sensim atq; leniter revocarent: indignum enim censebant Regis nomen, apud illos sanctissimum, aliqua corporis insigni pravitate deformari. Hinc etiam Æthiopes olim, qui supra Ægyptum habitabant, eum Regem eligebant, qui omnibus proceritate corporis anteiret. Jus enim esse statuebant, ut is tantùm omnes dignitate vinceret, quem natura, specie, & magnitudine præcellentem finxisset. Cùm autem animi magnitudinem intueri non possent, ad corporis magnitudinem oculos referebant Nec Spartani ab hac Æthiopum opinione nimis abhorrebant. Cùm enim Archidamus illorum Rex uxorem pusillam duxisset, eum grandi pecunia mulctarunt, quod illam mulierem sibi matrimonio copulasset, quam sperare poterat filios statura pusillos esse pariturам. Indignum enim Spartano imperio judicabant, eum Regem habere, qui non corporis etiam magnitudine nomen Regium tueretur. Omnes hi populi Reges suos quasi Deos colebant, ac majestatem quasi tutelam esse Reip. credebant. Homerus & Isocrates ideo regnandi munus divinitus institutum esse censent, ut similitudo quædam Divinæ Majestatis in solis regnantibus cerneretur. Atque hinc est, quod omnes

omnes Regem intuentur, & mores quisq; suos illius exemplo & imitationi conformat.

II. *A subjecto, circa quod Regia potestas versatur*: hominem enim nobilissimam creaturam, Regi subjectum esse S. litteræ & probant, & imperant.

Claud. Regis ad exemplum &c. Mobile mutatur semper Principe vulgus.

III. *ab effectis Regis*. Nam PRIMÒ, Rex omnes suos effectus in populum transfundit & ad eius exemplum tota se multitudo componit. Rectè igitur Græci Regem populi basin appellarunt: βασιλεύς enim dicitur à basi, id est, fundamento, & λαῷ, hoc est, populo, quod populi pondus, tanquam firma basis, sustineat. Rex est, qui virtutes benignissimè fovet, vitia severissimè punit. Rex est, qui populũ in vero Dei cultu honestaq; disciplina conservat. Rex est, qui querimoniis subditorum succurrit, publicam tranquillitatem, & pacem defendit. Rex est qui in aula, tanquã in specula, sedens, subditos in officio cõtinet. Rex est, qui terras antea ignotas & abstrusas, aliosque terrarum orbes penetrat, & potentissima regna ad fidem Christi convertit. Atque, ut antiqua exempla non attingam, nonne Christianissimi & invictissimi Lusitaniæ Reges Orientis oras & ditissimam Indiam & suis, & maximorum Regum præsidiis opibusq; munitam vicerunt, & in suam potestatem redegerunt, atque Crucis trophæa in Regionibus immenso spatio à Lusitania distantibus, è potentissimorum hostium faucibus ereptis collocarunt.

Prov. 10. Rex in solio, &c.

IV. *à destinatis Regiæ potentiæ*, satellitibus, aliisque infinitis ministris, à militaribus copiis & ducib⁹, quos suo imperio obsequentes habet. *Hic collatio instituatur cum vino*, quòd istorum nihil habeat, quòd Rex universos sibi subjugare possit, vinum paucissimos; Rex in perpetuum, vinum ad exiguum tempus, si quos fortè sua copia obruat; quòd denique vinum imbecilles duntaxat constringat, Rex verò potentissimos.

In

In EPILOGO *hortaberis Auditores*, ut cùm Rex Regum, Deus, tanta fortitudine & potentia armaverit Regem, debitam ipsi obedientiam promptissimè præstent.

Nihil esse fortius MULIERE, *docebitur integra Oratione in fine libri.*

XXXVII. NIHIL ESSE FORtius Veritate.

EXORDIUM *ab Auditorum persona, & ipsa re*, quòd cùm placido vultu, arrectis auribus, & attentis animis summam benevolentiam in eos, qui ante te dixerunt, declararint, rogare te idem tibi, quòd nunc demum audituri sint id, quod res omnes alias potentia longè superat.

PROPOSITIO: Quòd quanquam magnæ sint vires generosi vini, magna potentia Regū, multæ non tam laudes, quàm fraudes mulierum, te tamen probaturum hæc omnia jure optimo veritatis fortitudini semper fasces submisisse.

CONFIRM. I. Locus, *ab effectis*, quod veritas omni tempore omnes etiam potentissimos suos hostes fortiter prostraverit. Malleus ille universæ terræ, & pater mendacii dæmonarches eò semper omnes conatus direxit, ut veritatis lumen extinguere. Sed revera oleum & operam, quod ajunt, perdidit. Frustra eam oppugnavit per Judæos, frustra per Paganos, frustra per Hæreticos, frustra per infinita genera persecutionum. Vt enim aquæ Diluvii Palatia Regum obruebant atque dejiciebant, Arcam verò Noë semper magis ac magis attollebant: ita persecutiones regna mendacii facilè destruunt. Veritatis verò regnum non modo non destruunt sed etiam illustrant. Refert Theodoreus 76. Hæreses, usque ad sua tempora exortas, veritatem oppugnasse, omnes verò illas, paucissimis exceptis, fuisse extinctas. Augustinus numerat 88.

Hære-

Hæreſes, ex quibus plurimas teſtatur periiſſe. Nos numeramus uſque ad tempora Lutheri 200. hæreticorum diverſiſſimas familias, ex his autem quæ obſecro ſuperſunt? Fuerunt, inquam, uſque ad Lutherum, ut minimum, ducenti Hæreſiarchæ, quorum multi habuerunt multos Epiſcopos, multas Eccleſias, multós potentiſſimos patronos (Imp. & Reges,) ſcripſerunt libros innumerabiles, ut viderentur nunquam poſſe deficere, & tamen vi veritatis oppreſſi ita defecerunt, ut jam non ſuperſint nec ipſi, nec libri ipſorum. Quàm firmis radicibus nixa videbatur Hæreſis Ariana temporibus Athanaſii & Hilarii? & tamen evanuit, velut *pulvis, quem projicit ventus à facie terræ.* Ante annos 200. regnabat in Gallia Hæreſis Albigenſium, abundans & copiis militum, & viris doctis & potentia: & tamen ubi nunc ſunt Albigenſes? Nihil enim eſt firmum, nihil ſtabile, niſi quod radici innititur Veritatis. Et certè quemadmodum candela videtur extingui cùm emungitur, ſed revera clarius lucet: ita Veritas, etſi interdum vi & artificio videtur extingui, tamen apparet illuſtrior, & lucet clarius, quàm ſi non fuiſſet impugnata. Vndè rectè Poëta quidam Veritatem temporis omnia aperientis filiam appellavit. Sed multo gravius hoc ait Chriſtus, in hæc verba lin-
Luc.16. guam ſolvens: *Nihil opertum, quod non reveletur, nihil occultum, quod non ſciatur.* Emergit, emergit tandem veritas, neq; ullis unquam machinis ita premitur, ut opprimatur. Non minus ergo verè, quàm eleganter Cicero in Cæliana defenſione hanc graviſſimam, & dignitatis pleniſſimam ſententiam ex Æſchine probè interpretatus eſt: *O magna vis veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, ſolertiam, contraq; omnium inſidias facile ſe per ſeipſum defendit.* Et Q. Fabius Maximus, apud Livium, in illo pulcherrimo ſermone, quem habuit

buit cum L. Paulo adversus Hannibalem proficiſcente: *Veritatem*, inquit, *laborare nimis ſæpe ajunt, extingui nunquam.*

Ad hæc tanta vis eſt Veritatis, ut illius hoſtes ei perſæpe teſtimonium inviti dare compellantur, & per ipſorum jugula non rarò erumpat.

II. Locus *ab aliis ejus adjunctis*, quòd ea ſola ſit æqua; vinum iniquũ, iniquus Rex, iniqua mulier: quòd ea ſola æterna ſit, cætera interitui obnoxia.

In PERORATIONE *monebis Auditores*, ut non ſolùm tanquam æquiſſimi veritatis judices pro Veritate ſententiam ferant, ſed etiam omni tempore Veritatem, tanquam chariſſimam omnipotentis Dei filiam, colant, ament, obſervent; neq; hac in re inferiores ſint Ethnicis, qui Veritatem tanti fecerunt, ut eam cœli civem eſſe, & ſolam convictu Deorum frui dixerint.

XXXVIII. DECLAMATIVNCVLA ad ſtudioſam juventutem de Veritate unicè complectenda.

EXORDIUM *ducetur ab occaſione huius Declamationis*: Quòd ſuperioribus diebus in Iſocratis locum incideris, ubi Nicoclem Regem hortatur, ut Veritatem ſic in ſe apparere ſinat, ut dicta ſua plus ponderis habeant, quàm aliorum ſacramenta.

PROPOSITIO: Proinde te pro tenuibus ingenii viribus de Veritate unicè amplectenda dicturum, maximè cum homo natura ad eam indagandam ſit proclivis & propenſus.

CONFIRM. I. Locus, *ducetur ab excellentia*, quam inde docebis, quod Deus *Pſal.* 30. *v.* 6. dicitur: *Deus veritatis*, & Spiritus Sanctus apud S. Ioan. *Spiritus Veritatis*, & Chriſtus ipſe ſe hoc nomine compellavit, dicens: *Ego ſum via, veritas, & vita*: atque etiam coram Præſide Pilato conteſtatus eſt, ſe ve-

Luc. 1. *v.* 6, 8 *Eſa. v.* 4. *Demoſth. interrogatus, quid Deo ſimile haberent homi.*

nes? Respondit, benignè facere, & veritatem diligere.

severitatis docendæ & divulgandæ causa in hunc mundum venisse. Eandem dignitatem docet trium juvenum corporis Regii Darii custodum certamen, in quo vicit eo usque tertii sententia, omnibus præferentis veritatem, ut omnes populi acclamarint, & dixerint: *Magna est veritas & prævalet.* Rex autem dixerit victori; *Pete si quid vis amplius, &c. proximus mihi sedebis, & cognatus meus vocaberis.*

II. Locus *à forma hominis*: quod ad imaginem Dei creatus sit, quodque tum maximè Deo similis futurus sit, cum veracissimus fuerit, nunquam aliud, quàm quod res est loquens: *Deus* enim *Veritas est.* Hinc Ethnicus etiam Pythagoras interrogatus, quidnam homines potissimum similes diis faceret, cum vera, respondebat loquuntur. Hanc etiam ob causam dices Isocratem voluisse veritatem maximè in rege esse, quod, ut is authoritate proximè ad Deum accedit, itidem virtute ad eum accedere debeat.

Ex veritate homo æstimatur ut ex unguib. leo: quia ex ea liberalem intelligemus naturam e Syr. 4. v. 30.

III. *à turpi.* Quod ergo turpissimum foret hominem Deo simillimum, hanc virtutem negligere, & sic se deformare, ut cacodæmoni fœdissimo & teterrrimo se similem efficiat, quod fit, cùm quis missa veritate mendacium sectatur, cuius malignus ille spiritus author & parens est.

IV. *à necessitate*, quæ inde evincitur, quod Spiritus sanctus passim in Verbo suo scripto vetat, arguit, & damnat omnia, quæ repugnant veritati, ut mendacia, dolos, hypocrysin, & fucos; & jubet, ut veritatem in omnibus quæramus, loquamur, & doceamus.

V. *ab effectis seu fructu multiplici.* PRIMO, quòd faciat nos veritas Deo gratissimos, juxta Proverbium: Simile gaudet simili: & mendaces tandem reddantur infames & odiosi, & cùm innotescit veritas, quæ ad tempus quidem, sed non semper potest

Tempus omnia revelat.

teſt latere. Rectè enim Pindarus, tempus omnium parentem eſſe aſſeverat, & Poëtæ veritatem filiam temporis eſſe dixerunt, quæ etiam interdum facillimè nec quæſita, aut inveſtigata, ſua vi & luce patet, ſeu, ut Menander ait, in lucem venit. SECUNDÒ quod iis maximè felicitas æterna adjudicetur, qui veritatem amant, & ab omni dolo & fuco ſint alieni (*Pſal.* 14. *v.* 1.) TERTIÒ, expugnat hæreſes, & omnes errores, hinc Tertul. *lib.* 1. *contra Marcionem:* Veritatis cuneo omnis extruditur hæreſis.

λήθη ex ἀλήθεια id eſt, oblivio q. d. carentia oblivionis, diu enim latere non poteſt.

VI. *à jucunditate.* Vnde S. Auguſtinus (lib. 2. de lib. arbit. c. 13.) *Solemus, ait, audire voces clamantium ſe beatos, ſi jaceant in roſis aliiſque floribus, vel etiam unguentis, odoratiſſimis perfruantur. Quid fragrantius, quid jucundius inſpiratione veritatis? Et dubitamus nos, cum ab illa inſpiramur, dicere beatos? &c.*

In PERORATIONE *monendi ſunt Auditores,* ut potius ſanguinem profundant, quàm veritatem ſemel agnitam deſerant.

XXIX. *VITVPERATIO BLASphemiæ.*

IN EXORDIO *recenſe*, ex c. 28. Syracidis, & c. 3. Epiſt. Jacobi quod mala creet licentia linguæ.

In PROPOSITIONE *dices*, te de uno duntaxat eius malo, de blaſphemia dicturum.

CONFIRM. I. Locus, *ab atrocitate huius peccati,* quam explicat Divina ſcriptura, cùm ait. PRIMÒ, Blaſphemiam quandam nec in hoc ſeculo, nec in futuro remitti, quod de nullo alio peccato dicitur. SECUNDÒ, nec Michaelem Archangelum auſum fuiſſe diabolo, licet digniſſimo, judicium inferre blaſphemiæ. TERTIÒ, Judæos ad auditam blaſphemiam veſtes diſcidiſſe ut Rex Ezechias audita blaſphemia Rabſacis. QUARTÒ, uxorem B. Job ne nomine quidem

Mat. 12. v. 33
B. Iudas in Epiſt. v. 9.
Eſa. 7. v. 1.
Matth. 2 6. v 65.
Act. 14 v. 13
Iob. 2. v. 10.

blasphemiæ ausam fuisse uti, sed eius contrario, dicens: *Benedic Deo, & morere*, credens eum illico expiraturum, si maledixisset. QUINTÒ, cum gravissimam blasphemis denuntiat pœnam. Lev. 24. v. 14. *Educ, &c.* SEXTÒ, cùm Exodi 20. v. 7. prohibeat *assumere nomen Domini in vanum*, multo magis prohibet illud assumere ad blasphemiam. Eandem atrocitatem docebis quatuor Rationibus. PRIMA, quia hoc crimine Deus afficitur contumelia in propria persona, & non in rebus ab ipso creatis, ut in furto, homicidio, adulterio: major enim est contumelia illata Principi, quàm subditis. SECUNDA, quia persona Dei in infinitum excedit personas etiam Regum & Pontificum. TERTIA, quia in aliis peccatis contumelia infertur Deo præter intentionem; blasphemus autem primariò intendit Dei contumeliam, volens quasi vindicare se de Deo. QUARTA, quia est peccatum prorsus diabolicum, & proprium damnatorum in inferno, unde in Apocalypsi de iis ita scribitur: *Commanducaverunt linguas suas, &c.*

Apoc. 16 v. 10.

II. Locus *ab eiusdem absurditate*. PRIMÒ, quia è diametro pugnat cum omni justitia charitateque, quam Deo debemus. Nemo siquidem tam ineptus est, qui maledicat amico suo & benefactori, cùm & bestiæ ferocissimæ minimo beneficio mansuescant. *Hic licebit excurrere in commemorationem beneficiorum, quæ consecuti sumus à Deo, atq; ita argumentari à comparatis.* Servi Regum & Principum non solùm non maledicunt dominis suis; sed nec patiuntur illos ulla injuria lacessiri ab aliis. Sic dux bellicus Regis David maledicenti Semei caput præscindere volebat. 2. Neque Turcæ suo Machumeto, neque Ethnici suis Diis, licet falsis, maledicere audent; quantò minus nos audebimus Deo vero, æterno, optimo maximo?

Vide decem peccatorum P. Lud. Granat.

2. Reg. 16. v. 10.

SECUN-

SECUNDO, *ostendes eius absurditatem ex eo*, quòd rationi naturali repugnat. Nihil enim æquè cum omni ratione pugnat, quàm amicum & benefactorem injuria afficere, ut placeas Satanæ capitali tuo & omnium fidelium hosti, cuius instinctu omnes blasphemant.

TERTIÒ, ex eo, quod nihil æquè stolidum & absurdum sit, quàm eo genere peccandi delectari, quod horret Deus & homines, quod nullam nec animæ nec corpori adfert utilitatem. Quamvis enim omnia peccata obsint animæ, plurima tamen sunt, quæ saltem corpori aliquod allevamentum, voluptatem, vel lucrum conciliant: at blasphemiæ non solum certam animæ perniciem, verum corpori etiam sæpissimè horrendum eumque subitum interitum adferunt: *atq; hoc ex Theatro Vindictæ Divinæ probabis exemplis, & eorum commemorationem concludes hac similitudine* Chrysostomi: *Vt qui lapidem sursum jaculatur, corpus cœleste non attingere, nedum lacerare potest, plagam autem suo capite excipit, cum lapis eodem, unde jaculatus est, redeat: ita qui beatam illam blasphemat substantiam, ut nunquam offendere eam potest, sic ferrum adversus animam suam acuit & parat, cum se ingratum Domino bene merenti exhibet.* *Hom. 3. contra Anomaeos.*

III. Locus *ab exemplis Sanctorum*, qui nullis incommodis vel calamitatibus passi sunt se provocari ad maledicendum Deo, vel Sanctis. Et si S. Job, neque legem Dei, neque redemptionis Christi gratiam accepisset, tamen diabolus eum tot machinis, tot fraudibus adhibitis, totque suppliciis cogere non potuit, ut labiis suis peccaret: imo neque uxoris consilium sanctũ illum virum subvertit. Eandem animi constantiam admiratur S. Chrysostomus in ægro 38. annos ad piscinam Bethsaidam sanitatem præstolante, item in Lazaro, & S. Paulo. *Vide Chrys. in Hom. quod nemo laditur, nisi à se ipso.* *Ioan. 5. v. 5. Luc. 16. Col. 1. v. 24. Rom. 5. v. 3.*

In Epilogo *hortaberis Auditores*, ut non solum ipsi, hodie fortassis tribunali Dei præsentandi, os ad blasphemiam adversus omnipotentem nunquam aperiant, & simulatque tentationem vel cogitationem blasphemiæ in animo suo exoriri sentiunt, eam confestim in ipsis principiis, tanquam ignis infernalis scintillam, excutiant; sed etiam in aliorum blasphemias graviter animadvertant. Vtcumq; enim in nostra injuria mansuetudinem exerceamus, tamen Dei injuria, quæ fit per blasphemiam, nullo modo ferenda est, Moyses; *mitissimus hominum super terram*, in suis injuriis sustinendis prædicatur, ut liquet in contumeliis à fratre & sorore ei illatis. At in vindicanda Dei injuria acerrimus fuit. Etenim cùm populus eo absente vitulum aureum fabricasset, & pro Deo suo adorasset, illam insaniam cernens, primò *tabulas Legis* à Deo acceptas, *ad radicem montis confregit:* deinde vitulum illum *combussit, & contrivit in pulverem*, quem sparsit in aquam: tum ex illo pulvere *potum filiis Israel dedit*, ut eò magis vitulum suum horrerent. Aaronem fratrem acriter objurgavit, & ad populum clamavit: *Si quis est Domini, jungatur mecum*, moxque ait: *occidat unúsquisq; fratrem suum, & amicum, & proximum suum.* Adeo vehemens Moyses fuit in vindicanda Dei injuria.

Num. 12. v. 3.

Exod. 32. 19.

XL. SALTATIONES ET CHOREAS inter Christianos non esse ferendas.

In Exordio *dices*, quòd suus honestis delectationibus & recreationibus relinquatur locus, & doctores quidam non improbent choreas moderatas in nuptiis honestis, aliisve privatis amicorum conventibus institutas.

In Propositione: Te tamen ostensurum longè securius esse, in totum ab illis abstinere; non solùm

C. Presbyter, dist. 34. exc. Laud. c. 26.

ſolùm Clericis & Religioſis(quibus lege Eccleſiaſtica vetitæ ſunt)ſed etiam ſecularibus.

CONFIRMATIONIS I. Locus *ab inhoneſto,* quòd choreæ, omneſque id genus vanæ & leves recreationes, è diametro pugnent cum hominis Chriſtiani profeſſione. Nam PRIMÒ, quilibet Chriſtianus in Baptiſmo abrenuntiat Satanæ, & omnibus pompis eius. At SS. Patres inter pompas Satanæ choreas numerant. SECUNDÒ, quia Chriſtus iis, qui diſcipuli ſui eſſe volunt, tradidit omnino contraria, luctum, fletum, &c. *Si quis vult venire poſt me, &c.* Matt.16.v.14. Luc.13.v.24. Matth.5. Luc.6. v.25 ut & Paulus (Heb.12. v.11.) & Petrus Epiſt.1. c.2.v.21.) & Joannes (Epiſt.1.c.2.v.15.) & Jacobus (c.4. v 9. fecerunt: imò hi ipſi verbo & exemplo docuerunt gaudendum & tripudiandum eſſe in adverſitatibus. Matth.5.v.11 Actor.5.v.41.2.Cor.7. v.4.1.Pet.4.v.13 Jac.1.v.1.

Scripturâ lumbis nos præcinctis eſſe volunt, mundum diligere prohibent; odiſſe illum, jubet, & mortificanda membra quæ ſunt ſupra terram & carnem crucifigendam, &c.

II. Locus *à natalibus, ſeu cauſis ſaltationum inhoneſtis,* ſunt enim genuina proles cariſſimorum peccatorũ idololatriæ, (Exod.32. v.6. gulæ & ſcortationis, idque inter eos, qui perfractis omnibus timoris Dei repagulis, ad omnem licentiam & luxum viam ſibi effreni prorſus laſcivia ſemel aperuerunt. Ebrietatem certè choreæ comitantur ſaginam ſubſequuntur.

III. Locus, *ab incommodis vel effectis.* Nam PRIMÒ, nunquam tam moderatæ eſſe poſſe videntur moraliter, ut omnes occaſiones & pericula delinquẽdi abſint. *Qui autem amat periculum,* inquit Sapiens *peribit in illo.* Quotuſquiſque enim tam cautus & circumſpectus eſſe poterit, qui in magna convivii lætitia, in mulierum puellarumque conſeſſu, vel conſpectu, vel auditu, vel oſculis, vel loquacitate, vel vanæ gloriæ aucupio, faſtu, invidia, detractione, non crebrò labatur, & peccet? Concinna profectò & operoſa ſaltatio amatoriæ ſcholæ

Syr.3.v.27. Ex minima ſcintillâ incendiũ maximum. Prov.6.27. Nunquid poteſt, &c. *Syr.9.v.4.*

eum salta-trice,&c. Chrysost. Hom. 40. in Matt. Ubi saltus lascivus, ibi diabolus,&c. Sermo, visus, incessus, detegunt quid in animo lateat. Syr. 19.

rudimentum est, & obscænarum cupiditatum faces accendit; imò est pharmacum ex omnibus venenorum speciebus auctore Satana confectum, quod semel exhaustum, intima usque tentat præcordia, Dei metum extinguit, turpibus animum affectibus succendit, sensus omnes fascinat, atque eousque intervertit, ut quasi omnes simul ad invehendum importandumque in animam peccatum conspirent: est denique mare, in quo anima plenis libidinum velis liberrimò cursu raptata circumfertur. Adhæc totus ille saltantium strepitus est ostentatio triumphantis Satanæ de totidem animabus devictis, atque sub jugum cupiditatum missis.

IV. Locus *ab exemplo Romanorum*, qui cùm adhuc Ethnici essent, saltationes summo odio prosequebantur, ut videre est apud Cicer. pro Murena, & pro Dejotaro Asiæ Rege, qui ad Cæsarem delatus est, quod in convivio saltasset.

V. *Ab exemplis* eorum, qui ob choreas pessimè perierunt, de quibus consule Theatrum Vindictæ Divinæ. Job. 21. v. 11. *Tenent tympanum,&c.* Esa. 3. v. 16. *Plaudebant,&c.*

VI. *à Comparatis*: Risus non facile gravem personam decet, ergo multo minus saltationes & pedum jactationes. Certè forma ipsa saltationum gravibus, modestis, & mente constantibus personis indecora est. Motus illi omnes, & jactatio corporis, atque gesticulatio impudens, omnino ipsi naturæ ordini repugnat.

Philip. 4. *In* EPILOGO *hortaberis Auditores*, ut cogitent quos mores postulet Christianorum professio, etiam à minima specie peccati nobis abstinendum esse,&c.

XLI. VI-

XLI. VITVPERATIO DEtractionis.

IN EXORDIO *docebis*, quàm latè fundatur Detractionis crimen, quòd maxima hominum pars propter illud condemnetur, maximè cùm regnet etiam inter Clericos & Monachos. Hinc S. Paulinus Epist. ad Celantiam: *Rarò inuenies, qui ita vitam suam irreprehensibilem exhibere velint, ut non libenter reprehendant alienam, tantaq; huius mali libido mentes hominum inuasit, ut etiam qui procul ab aliis vitiis recesserunt, in istud tamen quasi in extremum laqueum incidant.*

Contra hoc peccatum militat totus meus Libellus Germanicus qui Zungenzaum seu Frenum Linguæ inscribitur.

In PROPOSITIONE *dices*, Te quàm grave & virulentum hoc sit crimen ostensurum.

CONFIRMAT. I. LOCUS, *à causis turpibus & inhonestis huius peccati*, quarum PRIMA est, odium proximi & inuidia. SECUNDA, superbia. TERTIA, amor sui. QUARTA, odium: alii enim aliis detrahunt ex inuidia, qui aliorum lucra, ut loquitur, Hierony. *sua damna reputant*, alii ex fastu quodam. *Prov. 21. v. 1. Syr. 41. v. 15*

II. Locus *ab incommodis, seu effectis*. Nam PRIMÒ, qui charitatem proximi violat, Regno cælorum excludit. Vnde S. Paulus ait: *Nec fornicarii, nec adulteri, nec fures, nec maledici regnum Dei possidebunt. Et: detractores Deo odibiles.* SECUNDÒ, Non animam solùm, sed & corpora sæpè occidit, cùm non rarò gravissimas excitet contentiones, &c. hinc Syracides; *Susurro, & bilinguis maledictus: multos enim turbavit pacem habentes.* & Salomon; *Abominatio hominum detractor.* TERTIÒ, Contemnit legem, teste S. Iacobo, cùm ait: *Qui detrahit fratri, detrahit Legi, & Iudicat Legem.* QUARTÒ, facitut nostra, & propriam salutem negligamus, immemores dicti Christi: *Quid vides festucam, &c.* & Prouerbiorum, etiam apud Ethnicos celebratorum:

1. Cor. 6. Rom. 1. v. 3. Syr. 28. v. 15. Prov. 24. 9. Cap. 4. 5. 11. Matth. 7. 3.

γνῶθι σεαυτὸν respice manticæ, quod in tergo est, tua vineta cæde.

III. Locus, *à comparatione cum aliis peccatis.* Quòd gravius sit furto & rapina, quod eo boni nominis exstimatio, quæ ære præstantior est, tollatur. Vnde Salomon dixit: *Melius est bonum nomen, quàm diuitiæ multæ.* Et: *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi quam mille thesauri pretiosi & magni.* Imò cùm multi plus diligãt bonam famam, quàm vitam, non dubitant illud exæquare homicidio: qua de causa passim in scripturis detractorũ lingua gladio, novaculæ acutæ, armis & sagittis comparatur. Hinc August. 11. q. 3. c. nemo: *Nemo peritorũ aut prudentium putet, quòd minus sit periculum in verbis lingua mentiendo, quam manibus sanguinem fundendo.* S. Hier. in Psal. 100. ait, detractionem esse pejorẽ fornicatione, & S. Bernardus inde ejus gravitatẽ exaggerat, quòd charitati in primis adversetur. Quo enim præcepto à Deo jubemur proximos diligere, sicut nos ipsos, eodem jubemur & bene judicare, sentire, & loqui de ipsis 1. Joan. 3 v. 18. Matt. 7. v. Nam proximi mordet, ut loquitur Chrysost. carnes: *& lingua detractoris,* ut ait S. Bernardus, *est vipera ferocissima, quæ lethaliter tres inficit flatu uno: & lancea acutissima quæ tres penetrat ictu uno: & gladius anceps, imò triceps, imò crudelior est,* ut idem addit, *lancea spinis, & clavis quibus Christus confixus est, quod eo occidat se audientem, & cui detrahitur.*

Prou. 22, 1. Syr. 41. v. 15

Serm. 24. in Cant.

De triplici custodia manus, linguæ & cordis 2 Syr. 28 v. 28. Psl. 100. v. 5. Detrahentem. &c. Epist ad al. indignam Celantiam in Hier. Epist. 14. Prouerb. 4. v. 24. & 24. v. 21. Syr. 19 v. 4.

IV. Locus *ab exemplis eorum*, qui hoc peccatum studiosissimè vitarunt. S. Augustinus mensæ suæ hos versus inscripsit:

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam vetitam noverit esse sibi.

Adhæc quosdam ait Possid. de vita B. Aug. suos familiarissimos coëpiscopos, illius scripturę oblitos, & contra eam loquentes tam asperè aliquando reprehendit commotus, ut diceret, aut delendos esse illos

illos de mensa versus, aut se de media refectione ad suum cubiculum surrecturum. Qui citò &c.

V. *ab exemplis eorum*, qui ob hoc peccatum seuerè à Deo puniti sunt, de quibus consule Theatrum Vindictæ Divinæ.

In EPILOGO *hortaberis Auditores*, ut non solum non detrahant proximo, sed nec aures præbeant, ut accommodent detractoribus, ac eorum vitium, ut loquitur Paulinus, nutriant audiendo, imò ita se contra hoc vitium arment, ut apud eos nemo detrahere audeat, societatem detractorum sedulò refugiant, vel ab ea, si quando fortè in eam inciderint, illicò se separent, nec facilè eorum dictis fidē accōmodēt, imò modestè detractores corrigāt, vel commonefaciant, ut ad alium sermonē transeant.

XLII. LAVS IVSTITIÆ.

EXORDIUM *à querela*, quod hac mundi senecta sint pauci, quibus conveniat descriptio viri justi, quam justi æquique tenacissimus Rex proponit David Ps. 14. *Qui non egit dolum in lingua, nec fecit proximo suo malum, & opprobrium, non accepit adversus proximos suos, qui jurat proximo suo, & non decipit, qui pecuniam suam non dedit ad usuram, & munera super innocentem non accepit.* Ez. c. 18. v. 7. vir si fuerit &c.

PROPOSITIO & PARTITIO. Tibi deliberatum esse de laudibus Iustitiæ dicere. Evenire autem tibi quod soleriis, qui ad opipare instructam mēsam sedentes deliberant, cui primùm ferculo manus admoveant. Nam in tanta rerum laudandarū, quas Iustitia in se complectitur copia, difficillimū esse constituere, de quibus potissimum dicendum sit. Existimari tamen te, satis fore, si ejus præstantia, necessitas, & utilitas explicetur. 1. de offic. c. 28.

CONFIRMAT I. LOCUS, *à præstantia Iustitiæ*, quā S. Ambrosius his verbis proponit: *Magnus*, ait, *justi-*

iustitiæ splendor, quæ aliis potius nata, quàm sibi communitatem & societatem nostram adiuuat, excelsitatem tenet, ut suo iudicio omnia subiecta habeat, opem alijs ferat, pecuniam conferat, officia non abnuat, pericula suscipiat aliena. Quis non cuperet hanc virtutis artem tenere?

Iesai.56,19. II. *à necessitate*, quàm inde intelligimus, quòd Spiritus sanctus in Verbo suo eam mandet, & contrà iniustitiam omnem damnet. Eandem exaggerat S. August. cùm ait 2. de Ciu. Dei c. 19. 21. *Remota iustitia quid sunt regna, nisi magna latrocinia?* Et cum lib. 19 de Civ. Dei c. 21 ait, sine ea nullam posse esse Rempub. Cic. de offic. *Tanta ait, vis est justitiæ, ut illi quidem qui maleficio & scelere pascuntur, possint sine ulla particula justitiæ vivere.*

III. *Ab utilitatibus variis*, quas non reticuit Spiritus
Syr.18.v.19 S. Solomon enim ait. *Iustitia eleuat gentes. Et, Iustitia*
Deu.25,13. *firmatur solium.* Et: *Melius est parum cum iustitia,*
Prou.16,10. *quàm multi fructus cum iniquitate.* Et: *Abominatio est*
Cap.20.v.1. *Domino via impij, qui sequitur justitiam diligitur ab*
Syr.4.v.3. *eo.* Et: *Pro justitia agonizare pro anima tua, & usq; ad*
Hom.15. *mortem certa pro iustitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos.* Et Christus Matth. 5. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam.* In quæ verba sic scribit S. Chrysost. *Non dixit: Beati qui justitiam servant, sed* qui esuriunt & sitiunt justitiam, *ut non mediocriter, sed cũ omni cupiditate iustitiam teneamus. Quia enim hoc est auaritiæ proprium, neq; sic cibum desideramus & potum, ut possidere latius, induiq; pretiosius, concupiscentiam istam, quæ habendi amore flagrat, iubet in meliora converti: Deinde rursus, sensibile præmium statuẽs, ait,* quoniam ipsi saturabuntur. *Quia enim plurimos diuites facere putatur auaritia, dicit hoc esse contrarium, magisq; id præstare iustitiam, &c.* Certè si perfectè coleretur justitia, arma exederentur rubigine, aut in ligones ac vomeres conflarentur, imicitiarum ignota essent vel nomina, exularent fraus, dolus,

& uni-

& universa flagitia: eorum verò locum succederent quæcunq; mundus expertus est aurea ætate. *IV. ab exemplo tum Ethnicorum, tum Christianorum;* qui justitiam maximè coluerunt. Cambyses Rex Persarum mandavit iniqui cuiusdam judicis pellem ex corpore detrahi, eamque induci sellæ, in qua illius filius judicaturus sedere debebat, ut si cancellos justitiæ transgredi cogitaret, idem supplicium timeret. *Vide Val. Max. lib. 5. 6. 5. de justitia Ci. 3. de offi & 2. de Leg Gel li. 3 c. 8.*

In Epilogo *monebis Auditores*, ut quo rectius & diligentius se exerceant in hac virtute, constanter in anima proponãt, se nihil facturos, nisi quod veritati & virtuti sit consentaneum, & fugiant ea vitia, quibus ab exercenda justitia revocamur, avaritiam, receptionem personarum, munerum corruptelam, usuram, simoniam; ament verò sororem justitiæ pacem & concordiam.

XLIII. PARÆNESIS AD MORTIFIcatonem Passionum vel cupiditatum.

In Exordio *expones*, quid sit propriè mortificare passiones animi, quòd mortificemus eas, cum pertubationes animi, simulatque exortæ fuerint, domamus, carnis ad cibum vel potum immoderatum pronæ cupiditatem coërcemus, & judicium voluntatemq; propriam spõte subjicimus alienæ.

Propositio: Cum igitur S. Scriptura frequenter nos moneat, ut cupiditates carnis mortificemus (*Rom.* 8.13. *Col.* 3.5.) ut concupiscentiis carnis, quod idem est, nõ pareamus, (*Syr.* 18.30. *Rom.* 6.12. *Rom.* 13.14. *Gal.* 5.1. 1. *Pet.* 2. *&c.*) ut carnem affligamus,) *Mat.* 10.38. 1. *Cor.* 9.27. *Gal.* 2.19. *Gal.* 5.24.) & ut nosipsos odiamus, & abnegemus (*Luc.* 14.26. *&* 9 23.(te utilitatem & necessitatem hujus exercitii Auditoribus in memoriam revocaturum.

Confirm. I. Locus, *ab utilitate mortificationis passionum.* Nam Primò; naturam corruptam in nobis

bis quadátenus restituat. In eo enim præcipue sita erat in statu innocētiæ naturæ humanæ integritas, quòd ratio Deo, corpus verò cum omnibus suis facultatibus sentiendi, appetendiq; , subjectū erat rationi. At beneficiò mortificationis efficitur, ut passiones ad mediocritatem redigantur; & lineam rectæ rationis non excedant, quod multi Sancti in hac vita consecuti fuerunt, ut ille *Senex* apud Cassianum, *qui cum apud Alexandriam turbis infidelium circumfusus, nō solum maledictis, verum etiā gravissimis impellentium urgeretur injurijs, eiq; à subsannantibus diceretur? Quid miraculi Christus vester, quē colitis fecit? ille inquit: ut his ac majoribus si intuleritis non movear, nec offendar injuriis.* SECUNDÒ, Preces nostras reddit efficaciores. TERTIÒ, Valet ad satisfactionem pro peccatis. QUARTÒ; Prodest ad expugnandas dœmonis tentationes. Unde Christus dixit: *Hoc genus dæmoniorum*, &c. QUINTÒ, Commonet homines ad vitæ emendationē. Vnde B. Petrus, cùm hortatus fuisset fideles, ut exēplo Christi armarent se contra inordinatas carnis cupiditates, mortificationemq; Crucis Christi amplecterentur mox addit: *In quo admirantur: non concurrētibus vobis in eandem luxuriæ confusionem.* Certè. S. Johanes Baptista, verꝰ hominis mortificati typus, novo severitatis vitæ exemplo omnes Hierosolymitas, Iudæam totam, & Iordanis accolas excivit, ut confiterentur lapsus suos, vellentq; ab eo baptizari. SEXTÒ, Ad vitæ spiritualis perfectionem nullum instrumentum mediumuè aptius est affectionū mortificatione: quo enim plus eis subegeris, eò minus à perfectionis fastigio aberis, hoc est, à charitate, quæ teste, Apostolo, *est vinculū perfectionis.*

V. Triumphum virtutum in quo 15. utilitates mortificationis illustrantur pulcherrimis exemplis.

Col. 12. 6. 3.

Matth. 17. v. 20.

1. Pet. 4. v. 4

II. Locus *à necessitate mortificationis.* Nam PRIMÒ, Scriptura docet, non esse dignos Christo, nec discipulos Christi, qui non abnegant se, & tollunt crucem suam, & qui non oderunt animam, id est anima-

animales motus, qui carnem suam non crucifigunt *cum vitiis, & cõcupiscentiis*. At hæc præstari nequeunt sine mortificatione. SECUNDÒ, Quia quoties periculum est prævaricandi legem divinã vel humanam, tenemur sub peccato mortali cohibere passionem in nobis dominantem. TERTIÒ, quia Aristoteles, Plutarchus, alijque Philosophi docent, nulli mortalium aditum patere ad comprehendẽdas humanas scientias, nisi perturbationes animi compescuerit, quanto minus patebit ad divinam, imò virtus omnis, teste S. Thoma Aquinate, requirit sedatas in animo passiones, ut mãsuetudo, animum ab omni iracundia immunẽ. QUARTÒ, Quia passiones sunt omnium vitiorum fontes. Vnde B. Iacobus: *Vnde bella & lites in vobis? nonne ex concupiscentijs vestris, quæ militant in membris vestris?* Sunt ergo obstruendi per mortificationem. *Cap.4.v.1.*

III. *Ab exemplis eorum*, qui affectus suos etiam in rebus licitis coercuerunt, ut Regis Davidis, qui aquam, quam summo desiderio desiderarat, Domino profudit, ne sanguinem illorum, qui eam detulerant, bibere videretur. 2 *Reg.*23,17. & ipsius Christi Domini qui cum sub horam sextam, id est, circa meridiem, ex itinere fatigatus discipulos, emẽdorum ciborum causa in civitatem Sichar misisset, iis regressis, nihil voluit comedere. Adde, neque Gentiles deesse, qui hac virtute, mortificandi se excelluerunt. Catonem Minorem belli Imp. gravissima siti cum toto exercitu in summo cæli æstu laborantem, cum pauxillum aquæ in galea à milite oblatum esset, manu quidem eam excepisse legimus, sed mox in terrã abjecisse, ne solus solatio illo, quod aliis cõmunicare nequibat, frueretur. *Ioan.4.v.13* *Fulgos.li.4. cap.6.*

In PERORATIONE *monebis auditores*, ut tempestivè, hoc est, à prima adolescentia domandarum animi affectionum, inserendarumque virtutũ studium incipiant, ut simulatq; perturbationem aliquam *Amb.ser.13 in Ps.118.*

quam in animo exortam senserint, eam coerceant: dum enim passiones nostræ parvulæ sunt, facilè expugnantur; quo autem diutius convaluerint, ægrius, nec nisi summo adhibito studio: ut etiamsi in ortu eas compresserint, non tamen otientur; sed assiduè renascentes earum ramos resecent, & loco prauarum affectionum in animo plantent bonas: ut denique sicut dæmon, quo hominē citius præcipitem agat in flagitii voraginē, cujusque propēsiones & affectus explorat; ita ipsi in examine cōscientiæ quotidiano studiosè expendant, ad quas animi perturbationes à natura sint propēsi, & quibus cogitationibus mentes eorum sæpius agitentur. Si enim ferantur cogitationes ad honores mūdi, non dubium est in eorum cordium spirare Boream superbiæ, si ad delicias & voluptates, Austrū concupiscentiæ; si ad vindictam iracūdiæ, Typhonem. Quamprimum ergo per examen prauam aliquā inclinationē ejusmodi in se deprehenderint, ad eam domandam & expugnandam se accingant.

Ps. 136. v. 9.

Respondet fructibus arbor, causa effectu.

XIV. PARÆNESIS AD STVDIOSOS ut in studio bene inchoato perseverent, & futuram æstatem sibi quàm vtilissimam faciant.

EXORDIUM *à persona Auditorum*, quod bene ac diligenter studia exorsi sint, ac sua diligentia cùm bonos omnes, tùm præceptores ac parentes non mediocriter exhilararint.

PROPOSITIO: Proinde te statuisse eos adhortari, tum ut feruorem litterarum, quo hac studiorū renovatione procul dubio inardescunt, foveant, & in cœpto studiorum cursu persistant ac perseverent; tum ut per hanc æstatē plurimum addiscant.

CONFIRMATIONIS PRIORIS PARTIS I. Locus *ab honesto:* Honestissimum esse perseverare in bono opere: si enim honestum bonum agere, sane mul-

multo honestius erit id continuare, juxta proverbium: δὶς καὶ τρὶς τὸ καλὸν, & κόρος (satietas) οὐδεὶς τῶν καλῶν. Perseverare in bono opere usque adeò honestum est ut ab ipso demum omnia bona opera honesta dicantur: nemo tam est malus, qui non aliquando quid boni agat; inde tamen boni & honesti nomen mereri non potest.

II. *ab effectu perseverantiæ*, quod per hanc voti fiamus compotes. *Quod exemplis rerum tum animatarum tum inanimatarum confirmabis.* Homines enim & bruta ad justam ætatem non perveniunt, si statim à vitæ exordio esse desinunt: Arcum tyrones nulli evadunt artifices, qui rei discendæ molestiam constantia non contemnunt.

III. *à necessitate:* quia sine ea nemo sibi eruditionem polliceri poterit. Quemadmodum enim non una hirundo facit ver; ita nec una dies eruditionem parit.

IV. *ab exemplo Aristotelis*, qui quia 20. integros annos in una hæsit schola, sub uno præceptore Platone, princeps omnium Philosophorum evasit.

V. *à jucunditate studiorum*, quæ tanta est, ut multi eorum dulcedine capti, nec valetudinis, nec corporis rationem habeant, *quod docebis Exemplis*, *ut Euclidis Megarensis*, qui muliebri veste indutus, & pallio versicolore amictus, ut Socratem audiret, Athenas sub ipsam noctem cum capitis periculo & vitæ discrimine intrabat: eò enim proficisci, Megarensibus capitale erat: *Archimedis* qui dum in pulvere quædam describeret attentius, ne patriam quidem captam esse sensit: *S. Hieronymi*, qui nocturnis horis linguam Hebræam didicit, cum veteri lege Judæorum nemo Christianus in ea erudiri posset.

Vide Orat. Mureti. & Majoragij.

CONFIRMATIONIS II. PARTIS. Locus *ab honesto*: Quòd adolescens cùm omni tempore, tum opportuno diligentissimè se exercere debeat

esse enim aliquam prudentiæ speciem, occasionem oblatam statim arripere, quia *Fronte capillata, post est occasio calva.* Et quòd, cùm æstivo tempore omnia sint formosissima, deceat, ut & nos omni scientiæ genere nos exornemus, & ut, cùm intuemamur agros ubiq; cultos, ingenium quoque nostrum excolamus; & cum omnia vigeant, nostra quoque vigeant ingenia, ne nos soli inter formosissima deformes, inter cultissima inculti, inter vigentia & efflorentia torpere videamur.

II. *ab utili*, quod hinc plurima possint sperare commoda, quibus eruditio suos possessores exornare solet, *quod amplificabis Exemplis eorum* quos eruditio celebres reddidit & ad honores atque divitias evexit.

III. *à facili & tuto*, quod sine minoribus sumptibus & sine minori turba in quam nos hyeme cogunt hypocausta, & sine periculo ὀφθαλμίας, litteris operam navare possumus.

IV. *à jucundo*, quod id jam cum voluptate fieri possit vel deambulando, vel considendo locis amœnis.

Hesiod. ἐν ἔργ. &c. V. *ab Exemplis* opificum, agricolarum, & brutorum animantium, æstivo tempore strenuè laborantium.

Confutatio *vituperabit eos*, qui falsis rationibus persuasi, litteras contemnunt, iisque multam salutem dicunt: potissimum iis, qui se ob perfectam ætatem inter natu minores sine infamia & dedecore versari non posse existimant, *propones* versus Solonis, gloriantis se quotidie aliquid addiscentem fieri senem; & exemplum Catonis, qui senex litteras Græcas avide arripuit, &c.

In Epilogo *hortaberis studiosos*, ut pergant diligenter in litterarum studia incumbere, ut & sibi honori, & amicis utilitati, & Christianæ Reip. emolumento esse possint.

XLV. ELO-

XLV. ELOQVENTIÆ STVDIOSIS *Ciceronem assiduè esse legendum.*

EXORDIUM *à damnis*, quæ incurrit juventus, quando studia sua non instituit certo ordine & modo; nec unum aliquem authorem præ cæteris sibi proponit imitandum: Fit enim, ut dum consectantur omnia, nihil admodum capiant: aut dum errant in deligendo quem sequantur, jejuni, steriles, duri, verbosi, sine eleganti sententia evadant, ac tempus sumtusque parentum pessimè collocent.

PROPOSITIO: Quæ cum omnia caveri posse animadverterem, si Ciceronem assiduè legant studiosi, eius assiduam lectionem vobis commendabo.

CONFIRMATIO. Vtilissimè Ciceronem à studiosis lectitari ut credam, adducor his argumentis. PRIMVM, quia cerno innumeros & clariss. nostræ ætatis viros fateri, se id quicquid sunt Ciceronis lectione effectos. SECUNDUM, quia omnium propè consensu habetur præstantissimus Latinitatis auctor & fons amplissimus; ut procul dubio inde purius hauriatur, quàm ex rivulis turbatis. TERTIUM, quia abundat verbis puris, usitatis, illustribus, vitat obsoleta, aspera, impropria. QUARTUM, Sapientissimas miscet sententias, ex eoque addiscere licet copiam, brevitatem, suavitatem, acrimoniam, perspicuitatem, subtilitatem, & si qua alia conformandæ orationis virtus. Vt rectè Quintilianus ipsum summo statuerit loco, in quo multorum ac præstantium virtutes emineant; vis Demosthenis, copia Platonis, suavitas Isocratis, & quæcunque ullo in genere laus Oratoris unquam fuit: imò dicit ipsum omnium esse candidissimum, & ita apertum, ut amari possit: qui cui valde placebit, multum

Lib. 12 c. 10. Cicero in omnibus, quæ in quoque laudantur, eminentissimus. Lib. 2. c. 5.

Lib.10.c.1. multum profecisse eum Fabius idem judicat. QUINTUM, in toto Cicerone vix quidquam invenias aut sordidum, aut honestati minus consentaneum; sed ita verecundè & honestè effert id, quod quis fortè censeret minus honestum, ut etiam Christianos quosdam in hac re longissimo post se intervallo relinquat.

In PERORATIONE *monebis Auditores*, ut hunc quo nemo in omni tractandi dicendique genere plura scripsit eloquentius, nemo sermonis proprietate & elegantia, nemo verborum collatione meliore, nemo perspicuitate majore, nemo ad communem usum accommodatius, legant diligenter, & virtutes eius imitentur, atque, ut ille fecit, animum honestis & necessariis artibus variaque rerum optimatum cognitione, sine qua disertus haberi nemo potest, instruant.

XLVI. DEHORTATIO AB AVCVpanda inani gloria & laude.

Hier. ad Eustochium. IN EXORDIO *dices*, velut umbra corpus, ita gloriam ubique etiam in intimas solitudines sequi virtutem, ut eam mactet & perdat.

Matt. 6. v. 1. Constit. nov. c. 11. *In* PROPOSITIONE: Te igitur Auditores ab hoc periculoso & pernicioso humanæ gloriæ morbo, ab inani, inquam, gloriæ, dehortaturum.

CONFIRM. I. Locus *ab effectis*. Quòd nos omnibus virtutum thesauris, & beatitudine æterna exspoliet. Clarè enim Christus dixit jejunantem, orantem, vel eleemosynas dantem ut videatur ab hominibus, recepisse in hoc mundo mercedem suam, ac idcirco frustra exspectare æternam. Hac de causa B. Basilius vanam gloriam dulcem omnium spiritualium operum spoliatricem, jucundum animarum nostrarum hostem, tineam virtutum, blandissimam bonorum nostrorum deprædatricem, &c.

tricem,&c. Chryſoſtomus verò matrem gehennæ appellavit.

II. Locus *ab adjuncta eius inconſtantia & utilitate.* Quòd admodum fluxa & caduca ſit omnis humana gloria, laus, & celebritas nominis, quam ſtudio homines huius ſeculi venantur. Hom. 17. in epiſt. ad Rō.

Hinc Apoſtol. ajebat: *Mihi pro minimo eſt ab hominibus judicari, aut ab humana die*, hoc eſt, favore & exiſtimatione humana. Ipſe Chriſtus dicit: *Si ego glorifico meipſum: gloria mea nihil eſt.* Sicut enim umbra corporis, quocunque tandem colore corpus imbutum ſit, ſemper nigra eſt, imò nihil quod ſubſiſtat; ſic omnis huius ſeculi gloria, quacunque tandem ex re naſcatur, ſive ex virtute vera, ſive ex ſcientia, vel potentia, non niſi inane quid eſt, in ſola opinione conſiſtens, ſive ejus qui honorat, ſive qui honoratur. Hinc Sanct. Chryſoſtomus. *Sicut*, ait, *larva occultat vilitatem hominis uſque ad veſperam, dimiſſo autem theatro, unuſquiſque apparet quod eſt: ita ſi poſt multas tuas laudes auditas domum revertare, & ſolus ſis, omnis gloria defluxit, in forum proceſſiſti, præſentes in te convertiſti? quid amplius? nihil extinctum eſt: & evanuit tanquam fumus diffuſus. Quanta ſunt hæc quæſo ſtoliditatis? quanta dementia? Id unum itaque ſpectemus, quomodo Deus nos laudet.* Et: *Non poteſt gloriæ ſervus homo non omnium ſervus eſſe & ipſis ſervilior mancipiis: nec enim talia præcipimus ſervis noſtris qualia captivis ſuis illa, turpia & dedecore plena negotia loqui facit, & pati, &c.* 1. Cor. 4. v. 5. Ioan. 8. v. 54 Hom. 43. ad pop.

III. *ab adjuncta noſtra utilitate.* Nam PRIMÒ, terra ſumus, & in terram fortè brevi redituri. SECUNDÒ, quia quidquid laude vel gloria dignum habemus, à Deo accepimus. Hinc Paulus ait: *Quid habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti quid gloriaris? quaſi non acceperis?* Et: *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis,* 1 Cor. 4. v. 7. 2. Cor. 3. v. 5. Ioan. 25. v. 5

sed sufficientia nostra ex Deo est. Quod si ne ad cogitandum quidem bonum sufficientes sumus, quãto minus ad eloquendum & agendum. B. Bernardus: *Tibi, inquit, ô homo unde gloria putide pulvis, unde tibi de vita Sanctitate? Sed spiritus est qui sanctificat, spiritus non dico tuus, sed Dei. Et si prodigiis aut signis effulgeas, in manu tua fiunt, sed virtute Dei. An blanditur popularis favor quod verbum bonum & bene forte depromseris? sed Christus donavit os & sapientiam. Nam lingua tua quid nisi calamus scribæ? & hoc ipsum mutuo accepisti, talentum creditum est, repetendum cum usura.*

IV. *Ab exemplis eorum*, qui vanam gloriam contempserunt. Nonne Christus interdum noluit publicari miracula à se facta? Quid aliud fuit Ioannes Baptista; quàm speculum contemptus humanæ gloriæ in vita habitu, & moribus? ideo enim in solitudine omnem vitam egit, ideo nec Elias, nec Propheta, nec Messias, cùm posset, haberi voluit; sed *vox clamantis in deserto*, qua nihil vanius & fragilius excogitari potest. PAULUS & Barnabas, cùm Lystrenses ob sanatum claudum divinos honores eis deferre vellent, conscissis tunicis suis exilierunt in turbas, clamantes & dicentes: *viri quid hæc facitis?* PETRUS quoque & Ioannes, concurrente populo ad simile miraculum dixerunt: *viri Israelitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare?* De Sanct. Hilarione ita scribit Sanct. Hieronym. *Sexagesimo tertio vitæ suæ anno cernens grande Monasterium, & multitudinem fratrum secum habitantium turbasque eorum qui diversis languoribus & immundis spiritibus occupatos ad se deducebant, ita ut omni genere hominum solitudo per circuitum repleretur, flebat quotidie & incredibili desiderio conversationis antiquæ recordabatur. Interrogatus à fratribus quid haberet, cur se conficeret?*

Sine me nihil potestis facere.
Ser. 1. in Cant.
Rides puerũ si ob plumulam galero impositam sibi vehementer placeat, quanto magis ridet te Deus, si ob scientiæ, nobilitatis, vel pietatis donum immodicè te efferas.
Pater dat filio vestes ad honestatem vel necessitatem, non ut inde insolescat.

Mat. 3. v. 4.
Ioa. 1. v. 20.
Act. 14. v. 14.
Act. 3 v. 12.
Vide Speculũ Cleric.

ceret? ait, rursum ad seculum redii, & recepi mercedem meam in vita mea. En homines Palæstinæ & vicinæ provinciæ existimant me alicuius esse momenti, &c.

V. *ab exemplis eorum*, quibus vanæ gloriæ aucupium malè cessit, ut Luciferi, Adæ Protoplasti, Ezechiæ Regis, & aliorum: de quibus consule Theatrum Vindictæ Divinæ.

In EPILOGO *monebis Auditores*, ut omnes suas actiones ad gloriam Dei ipsarum spectatoris referant, & quo ad fieri potest, virtutes suas occultent & occasiones captandæ gloriæ refugiant. Sicut enim thesaurus absconditus tutior est à latronibus, & virgo domi clausa facilius castitatem servat, quàm quæ per vias vagatur; ita virtus occultata, à vana gloria & diaboli laqueis securior est. *Sicut vestem pretiosam*, inquit Chrysost. *cùm in publico ponimus, plurimos ad insidias provocamus: si verò domi recondamus, in tuto cuncta servabimus: sic si opes virtutum palam quasi venales assiduè portemus in mente, inimicum incitamus ad furtum; sin verò nemo alter id scierit, nisi quem nulla occulta latent, tutissimo in loco consistent.*

Gregor. Hom. 3. in Matt.

Lu. 10. v. 32 Attendite, &c.

XLVII. DEHORTATIO A GVLA, *seu ingluvie ventris.*

IN EXORDIO *dices*, Sacram Scripturam non semel nos hortari, ut fugiamus intemperantiam cibi & potus, ut Prov. 23. v. 20. *Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt.* Syr. 3. v. 19. *Vtere quasi homo frugi his, quæ tibi apponuntur, ne, cùm manducas multum odio habearis.* Ad Rom. 13. v. 13. *Sicut in die honestè ambulemus, non in comessationibus, & ebrietatibus, &c.*

PROPOSITIO: Te etiam auditores ab hoc vitio dehortaturum.

Pſ.5.v.11.21 &c.Va,&c. CONFIRMAT. I. Locus *ab effectu.* PRIMUS,
Pro.23.v.29 quòd provocet iram divinam: nam ob fructum
Geneſ.3.v. arboris vetitæ deguſtatum dictum eſt Evæ: *Mul-*
16.17. *tiplicabo ærumnas tuas, in dolore paries filios.* Adamo
Luc.17.v.27 verò; *Inſudore vultus tui veſceris pane.* De eorun-
Nu.11.v.31. dem filiis tempore Noe dicitur: *Edebant, bibebant*
uſq; ad diem, qua intravit Noe in Arcam, & venit Di-
luvium, & perdidit omnes. Et de filiis Iſrael, faſtidi-
entibus manna: *Adhuc carnes erant in dentibus eo-*
rum, & ecce furor Domini concitatus in populum per-
cuſſit eum plaga magna nimis. SECVNDVS, Eſt cauſa
multorum morborum. Seneca ad Lucilium: *Mul-*
tos morbos fercula multa ferunt, hinc Cic. de Senect.
Tantum cibi & potionis adhibendum eſt, ut reficiantur
vires, non opprimantur. TERTIUS, excludit gulo-
ſos beatitudine æterna, quia ad Gal.5.v.19. comeſ-
ſationes, & ebrietates numerantur inter manifeſta
opera carnis, regno cœlorum excludentia. Et
Luc 6 v.24 Chriſtus ait: *Væ vobis, qui ſaturati eſtis, quia eſurie-*
Lu.16.v.19 *tis.* Hinc dives epulatus ſplendidè, ſepultus eſt in
Gen.25.v.33 inferno. QUARTUS, privat bonis etiam externis.
Pro.21.v.17 Eſau enim, nimia ardens cupiditate edulii lenti-
culæ, primogenita fratri vendidit. Et Sapiens ait:
Qui diligit epulas in egeſtate erit: qui amat vinum &
pinguia, non ditabitur.

II. Locus *à fragilitate omnium Sanctorum ab orbe*
Syr. 19. *condito.* Adam & Eva, eorumque poſteri ad duo
Operarius &c. Pro.23. annorum millia victitarunt arborum fructibus &
Vacantes, terræ oleribus. Populus Iſraeliticus totos 40. an-
&c. Nu.11. nos manna & aqua vixit, morte punitus ſimulat-
v.34. 3.Reg. que carnes concupivit; unde & ſepulchra eorum
19 v.6. dicta ſunt ſepulchra concupiſcentiæ. Eliæ Pro-
4Re.4.v.39 phetæ ſub quercu laſſo per Angelũ mittitur pran-
dium, collyrida panis, & vas aquæ. Eliſæus filios
Dan.24.v. Prophetarum invitat ad prandium herbarũ agre-
35. ſtium. Danieli in lacum leonum mittitur meſſorũ
Dan.1.v.12. prandium, *ut arbitror*, inquit Hieron. *ruſticanum.*

Ananias, Misael, Azarias in Babylone captivi, contempta Regis mensa leguminibus vescuntur, aquamque bibunt & pulchriores fiunt, &c. *Plura Exempla in speculo bonorum Ecclesiast.*

In EPILOGO *monebis Auditores*, ut in omnibus cibis semper vitent satietatem, seu tantum cibi sumant, quantum ad vires corporis, pro ratione status & officii quod exercent, comparandas fuerit satis: & si consueverunt largiori cibo potuq; se reficere, invocato divino auxilio pravam consuetudinem paulatim melioris beneficio expugnẽt, certum etiam tempus comedendi, ut prandii, cœnæ, observent, & lautitiem, seu laboriosum eduliorum apparatum devitent.

XLVIII. DEHORTATIO A VITIOSO amore sui, quo quis duntaxat studet suis commodis, nulla ratione habita vel divinæ gloriæ, vel alterius finis honesti.

EXORDIUM *ducetur* à Propheta Apostoli Pauli: *in novissimis diebus erunt homines seipsos amantes.*

In PROPOSITIONE *dices*: Cùm isthoc vaticinium S. Pauli in hac mundi senecta videamus esse impletum, deliberatum tibi esse Auditores à vitioso hoc amore dehortari.

CONFIRMA. I. LOCUS *ab effectis vel incommodis.* Nam PRIMÒ, esse eum radicem, fontem, ac seminarium omnium vitiorum, indicat S. Paulus, cum prædictæ prophetiæ statim subjungit: *cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obediẽtes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinẽtes, &c. & voluptatũ amatores magis quàm Dei.* SECUNDÒ, Valde humanam mentem excæcat, vel, (ut loquitur S. Greg. *Ho. 4. in Ezech.*) vehementer claudit oculum cordis, & idcirco nõ facilè agnoscitur, maximè in excellentibus virtutum operibus.

Col.3.v.5. II. Locus, *ab adjuncta impietate in Deum*, cum sit speciesIdololatriæ: si enim *avaritia est servitus*, ut loquitur Paulus, *simulachrorum*, eò quod avarus pecuniam suam, dum ea uti non audet, quasi statuam in arca defixam colit & odorat: si quoque Phil.3.v.19. gulosorum & ebriosorum, teste eodem, *Deus venter est*, eò quòd neglectus veri Dei mandatis, cuticulæ tantùm curandæ operam dare videntur, quanto magis amor sui suæq; cupiditatis explendæ desiderium, erit idolorum servitus, ex quo & avaritia & gula, cæteræque vitiorum capitalium pestes originem suam ducunt.

In CONFUTAT. *dices*, Te non diffiteri, difficile esse omnem inordinatum sui amorem exscindere, sed Christum, cum dixisset (Matt.16.v.24.) *qui vult venire post me, abneget semetipsum*, mox adiecisse: *Et tollat crucem suam*, ut indicaret labore opus esse, & securim ad hanc vitiorum radicē ponendam, crucē autem nobis non Christi, sed nostram esse ferēdā, *ut carnem nostram crucifigamus cū concupiscentijs ejus*, Ga.5.v.24. sicut crucifixit Paulus, 1.Cor.6. *Castigo*, &c. Galat. 6. *Et mihi mundus*, &c. Si autem hæc crucicula nobis sit onerosa, cogitandum nobis esse, nos duce Christo crucifixo, viam crucis & mortificationis ingredi, qui dixit: *Iugum meum suave est, & onus meum leue*, Matth.11.v.30. ideo enim addit: *Et sequatur me.*

In PERORATIONE *hortaberis Auditores*, ut omni studio hunc fontem vitiorum obstruere, hanc ra-
1 Cor.10,11. dicem funditus exstirpare contendant. Quòd quò
Col.3.v.17. ipsis sit faciliùs, *dices*, in matutina oratione ipsis apud animum suum esse constituendū & proponēdum, se omnia ad gloriam Dei, non ad commodū suum esse facturos, juxta hoc consiliū Apostoli: *Sive manducatis, sive bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*. &: *omne quodcunq; facitis*, &c. ita enim fore, ut non solum amorem illum propriū,

qua-

quasi domesticum latronem, conficiant; sed etiam operibus, alioquin adiaphoris, ut est opus edendi & bibendi, si in gratia Dei sint, promereantur augmentum gratiæ & gloriæ.

XLIX. *LAUS TIMORIS DOMINI, Optimi Studiosorum Moderatoris ac Pædagogi.*

EXORDIUM *à periculis eorum qui laxam habent conscientiam*, quòd non solum lethalia peccata, ut aquam hauriant: sed venalia etiam parvipendant, cum tamē nullum tam pusillum sit peccatū, cujus non Deus rationem sit exacturus, & quod, si hic non acta sit ejus pœnitentia, in purgatorio postea diris suppliciis non sit luendum.

PROPOSITIO: Te igitur Auditores ad optimū laxæ conscientiæ remedium ad Timorem Dei, invitaturum.

CONFIRM. I. Locus *à dignitate*, quæ patet ex iis Spiritus S. oraculis, quæ quosuis timentes Deum pronūciant Beatos: (*Psal*. 111. *v*. 1. *Prov*. 28. *v*. 34. *Syr*. 15. *v* 25. 34. *v*. 17.) & ex iis, quæ Timorem Deū anteferunt aliis donis Spiritus Sancti. (*Syr*. 10. v. 27. 23. v. 37. 35. 34. v. 27.) Adhæc ex iis quæ in eo initium, progressum, & perfectionē Sapientiæ constituunt. *Prou*. 1. v. 7. *Iob*. 28. v. 28. *Syr*. 1. v. 20. 12. v. 13. (Atq; *hic licebit excurrere in nobilitatem sapientiæ*, quam B. Iob expressit *c*. 28. v. 12. *&* Salo. *Prov*. 3. v. 13. *& seq*. 8. v. 11. *Sap*. 6. v. 13. 7. *Syr*. 1. v. 4. 37. deinde *Es*. 11. v. 2. Timor Domini inter septem Spiritus Sancti dona, quæ supra Christum conquiērunt, numeratur: quæ septē dona S. Aug. & Greg. non semel conferunt cū septem Beatitudinibus à Christo traditis: ac donum quidem Timoris cum prima beatitudine. *Cōferes* hoc donum cum reliquis omnibus bonis fortunæ, corporis, & animi. Hæc enim cum pleraque flu-

Vid Orat. 19. P. Delry de Timore Dei in opere Mariano.

fluxa sint & incerta, *Timor* tamen *Domini*, ut ait propheta *manet in aeternum*.

II. *à necessitate*, quam crebris monitis mandatisq; Utrumque Testamentũ indubitatum reddit (*Deut.* 6.*v.*13.10.*v.*12.*Ios.*24.*versi.*14.*Ps.*2.*v.*11.33.*v.*10.*Proverb.*3.*v.*7.4.*v.*20. *Syr.*12.*v.*13.7.*v.* 31. *Malab.*1.*v.*4.*Matth.*10.*v.*28.1.*Pet.*2.*v.*17.*Apoc.*14.*v.*7. Eandem coroborant ea Scripturae testimonia, quae negant Timore Domini destitutis aditum ad gratiam & salutem (*Syr.*1.*v.*28.) quae passim arguunt improbos metus divini expertes esse. *Deu.* 25.*v.*28.*Iob.*6.*v.*14.*Ps.*13.*v* 2.35.*v.*2.*Syr.*23.*v.*27.*Malach* 3.*v.*3.)

Hanc spiritualium fructuum copiam suppeditat nobis divina Scriptura.

III. *à multiplici fructu.* PRIMÒ, odit malum. *Prov.* 8.v.13. SECUNDÒ, expellit peccatũ, vel arcet à peccato, (*Syr.*1.*v.*27.) TERTIO, inserit studium placendi Deo. (*Syr.*2.v.19.(QUARTÒ, convertit ad vitam meliorem. (*Syr.* 7.*Isa.*2.6. QUINTÒ, est initium sapientiae & pietatis. (*Iob.*27.*Psalm.* 110. *Prov* 1.*Syr.*1.*v.*25.) SEXTÒ, est initium fidei & charitatis (*Syr.* 25.v.16.) SEPTIMÒ est causa observationis mandatorum Dei, & bonorum operum. (*Syr.*2.*v.* 21,15.v.1. OCTAVÒ, est radius constantiae in tentationibus. (*Prov.*14.v.26. NONÒ conciliat erga nos posterosq; nostros fauorem & misericordiam Dei. (*Psalm.*10.*v.*2.17.*Psalm.*117. *v.*4. *Luc.*1. *v.*50.*Syr.*10. *v.*23.*Iob.*4.*v.*23.) DECIMÒ, dat copiam & affluentiam bonorum temporaliũ (*Ps.*33.*v.*10. 110. *v.*1. *Prou.*10. v.27.v.40.27.) VNDECIMÒ, verum cordis gaudium, *Syr.*1.v.11. DVODECIMÒ, fiduciam de felici exitu ex hac vita. (*Prou* 21.v.17.*Syr.*IV.19. DECIMOTERTIÒ custodit innocentiam, castitatem, atque adeò omnes virtutes. Hinc S. Ephrem (Ser. de Patiẽt. *Timor*, ait, *Dei velut gladius anceps est, omnem concupiscentiam prauam excidens.* S. Cyprian. *in epist.* 1. vocat Timorem Dei innocentiae custodem: Sanctus Hier. quaest.127. custodem virtutum. DECIMOQVARTÒ, promeretur, retinet, & recuperat

(te-

(teste Sancto Bernardo *Ser. 55. in Cantica*) gratiam. *Hic licebit digredi* in Exemplum Abrahæ, qui, quia ducem omnium rectè factorum ab Orbe condito Domini Timorem fuisse firmiter sibi persuadebat, eò usq; processit, ut poti9 quàm illum negligeret, paternas manus charissimi filii sanguine aspergere vellet. *Monstrabis autem* eum fuisse filium, quem à Deo promissum acceperat, per quem se suum nomen ad posteros dimissurum didicerat. *Et amplificabis* amorem parentum, quo in filios ferri consueverunt, illumq; comparatione facta longè maximum in eo fuisse *ostendes*. Sed quid? à Deo iubetur illum mactare. *Hic per Apostrophen Abrahamum interrogabis*, quo tum animo fuerit, cùm hæc in mandatis acceperat, *& simul recensebis* causas, quæ illum tam truci facto poterant absterrere: sed cum Domini Timor vicit, quid non boni est consecutum? & filium incolumem, & rerum omnium affluentiam, & apud omnium terrarum ætas memoriam accepit sempiternam.

In EPILOGO *monendi sunt Auditores*, ut semper præ oculis habeant Divinam Majestatem, & meditentur Novissima, maximè Iudicium atque infernum: hac enim ratione salutarem hunc poterunt haurire Dei Timorem.

L. *PARAENESIS AD LARGAS ET frequentes Eleemosynas.*

EXORDIUM *duces à dicto S. Chrysostomi*, qui Hom. 43. in 1 ad Cor. inter cætera ait: *Paremus B. Paulo, constituentes nostris in ædibus arculam pauperibus, quæ eo in loco, ubi quisque orare solitus est, reponatur: ita ut eleemosynam primum quotiès accesseris oraturus imponas, & deinde orationem proferas. Vt verò ad orationem illotis manibus venire nolles, sic neque sine eleemosyna accedas. In hac arcula adversus diabolum armaturam habes repositam, hac orationem tuam penetrantem efficis, domum sanctam reddis, in*

hac conclusas habes regias dapes. Ea propter ad lectum deponetur illa, & sic absque phantasiis transquillè noctē transiges, &c.

In PROPOSITIONE *dices*, te Auditores ad profusas & frequentes Eleēmosynas incitaturum.

Vide Viridarium Virtutū P. Busæi & meam Cynosuram Clericorum in pia œconomia patrimonij Christi. Matt. 5. v. 45. Ca. 29. v. 21. In impertienda pauperi eleemosyna Dei Vices tenes, & es quasi Deus.

CONFIRMA. I. LOCUS, *à dignitate & præstantia Eleemosynæ*, aut misericordiæ, quam Spiritus S. in S. Litteris declaravit, cum eā non semel prætulit Sacrificio. (*Prov.* 21. v. 3. *Matth* 9. 13.) & Apostol. bis eam comparauit hostiis. (*Phil.* 4. v. 18. *Heb.* 13. v. 16.) Adhæc, cum Christus asserit ea nos fieri quasi similes Deo, cum aliquot operibus misericordiæ enumeratis, causam, cur ea exercere debeamus, reddit his verbis: *Vt sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos.* S. Leo, ser. de quad. *Nihil, ait, est dignius, quàm ut homo sit sui authoris imitator, & secundum modum propriæ facultatis divini sit operis executor* Adhæc, quod dam9 Pauperi, damus Christo, vel Deo. Matth 25. v. 40. *Quam diu fecistis uni,* &c, Chrys. Ho. 89. in Matth. *Certè si ipsum Christum nunc videretis, non dubitaret unusquisq; vestrum universam substantiam in eum erogare.* Hinc Christus ipse persæpe declaravit se eleemosynam sub specie pauperis accepisse, ut patet ex vita S. Martini, in vita B. Greg. Pontificis, & apud Greg. Hom. 34. in Evang. de Monacho Martyrio, qui, Christum in forma leprosi in humeros sustulit: imò in extremo die Judicii Christus dicet: *Esuriui, &c.* Marc. 23.

Greg. Naz. Orat de pauperum amore. Gregor. Nyss. lib. de Beatitud.

II. LOCUS *à necessitate* summa, quam exponunt S. litteræ, dum indicant eam esse à Domino præceptā. PRIMÒ *generatim*: quia Syr. ait c. 17. v. 12. *Vnicuique mandauit Deus de proximo suo*, & Christus, Matth. 7. 12. *Omnia quacunq; vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* *Et c.* 22. *v.* 39. *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Et S. Ioañ. Epist. 1. c. 3. v. 18. *Filioli non diligamus verbo, neque lingua? sed opere, &*

veri-

veritate. SECUNDÒ *speciatim:* quia Deut. 15. v. 1. ait Dominus: *Ego præcipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno & pauperi.* Tobiæ 4. v. 8. *Quomodo potueris, ita esto misericors, si multum tibi fuerit abundanter tribue; si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.*

Adhæc Scriptura dicit eleemosynā pauperibus deberi, eosq; defraudari, si ipsis denegetur. Syr. 4. v. 1. *Eleemosynā pauperis ne defraudes,* &c. *redde debitum tuum, & responde illi pacificè in mansuetudine.*

TERTIÒ, quia si opera misericordiæ nō essent in S. litteris præcepta, nō damnarentur immisericordes in extremo Iudicio ob eorum negligentiam. His enim à Iudice supremo dicetur: *Discedite,* &c. Matth. 25. v. 41. Vnde S. Iacobus c. 2, 13. *Iudicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam.* *In ignē ilūm illum qui paratus est diabolo. &c.*

QUARTÒ, quia per eorum negligentiam alienatur à nobis Deus. Prov. 21. *Qui obturat aurem suā ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur,* Nam, ut ait S. Amb. ser. 81. *Non est maj9 crimen habenti tollere, quā cum abundas indigentibus denegare.*

QUINTÒ, quia cum eorum negligentia non potest consistere charitas nostra erga Deū & proximum. 1. Ioan. 3. *Qui habuerit substantiā hujus mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo:*

SEXTÒ, quia divites opes superfluas naturæ & statui suo ac suorum sine peccato retinere nō possunt. Christus; *Non potestis Deo servire, & Māmona:* (hoc est cōgregare, & otiosas custodire opes.) *Qui habebit duos tunicas, det non habenti: & qui escas habet* (dupliciter) *similiter faciat quod super est,* (vltra necessitatem adest,) *date Eleemosynam.* *Matt. 6. Luc. 3. & 1.*

Lucæ 12. diues quidam, cū haberet bona plurima; cogitare cœpit ubinā ea recōdere posset, dictum autem illi est; *Stulte, hac nocte repetam à te animam tuam,* *Hom. 7. in 50. Hom. 12.*

tuam, & quæ parasti cujus erunt? hunc locum tractans S.Aug.scribit,divitem illũ non ob aliud peccatum fuisse damnatũ, nisi quia superflua retinebat.Illud quod sequitur:*Sic est omnis qui sibi thesaurizat*,&c.significat sic perituros omnes, qui studẽt augendis opibus non necessariis.Hinc Paulus monet Timotheum,ut præcipiat divitibus facilè tribuere,& ea re sibi thesaurizare bonum fundamentum in futurum,&c.Lucæ 16. alius dives non aliũ ob causam,teste Augustino,damnatus est,nisi quia superfluas opes in superfluo cultu & deliciis insumebat,cùm eas pauperib9 distribuere debuisset.Luc.18. *Facilius est camelum per foramẽ acus transire quã divitem* (superflua non erogantem (*intrare in regnum* Dei. S. Iacobus c.5. divites eos damnat, qui superflua recondũt, & ipsis hoc nomine insultat cum ait: *Agite,plorate,ululãtes in miseriis vestris, quæ advenient vobis. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt & vestimenta vestra à tineis comesta sunt. Aurum & argentũ æruginavit,& ærugo eorum in testimonium vobis erit,& manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis vobis in iram novissimis diebus*, &c.

1.Tim.6.

Hom.7.50. Ho.Supervacuas opes nõ communes facis pauperibus.

S.Ambrosius.*Cur tu,ait,abundas,ille verò mendicat? nisi ut tu bona dispensationis merita consequaris, ille verè patientiæ bravijs decoretur: Nonne spoliator es qui quæ dispensanda accepisti,propria reputas:Est panis,quem tu tenes famelici , tunica quam in conclavi conservas,nudi;calceus,qui apud te marcessit,discalceati,argentum,quod possides inhumatum,indigentis: quocirca tot pauperibus iniuriam facis,quot dare valeres.*

In illud Luc.12. **Destruam horrea.**

S.Chrysost. *Non adhoc accepisti, ut in delicias absumeres,sed ut in eleemosynam erogares. Nunquid enim tua possides.Res pauperum tibi sunt credita, sive ex laboribus iustis sive ex hæreditate paterna possideas.* S. August.*superflua diviti,necessaria sunt pauperi,aliena retinet qui ista tenet.* Et: *Defert tibi Deus honorem. & quasi*

Hom.34. ad pop. Antioch.

In Ps. 147.

& quasi dicit tibi. Prior de communi tolle quòd sufficit necessitatibus domus tuæ, quod reliquum est da Christo. Et quicquid excepto victu mediocri & vestitu rationabili, superfuerit, non luxuriæ reservetur, sed in Thesauro cælesti per eleemosynam pauperũ reponatur: quidquid enim Deus nobis plusquam opus est dederit, non nobis specialiter dedit, sed per nos alijs erogandum transmisit: quod si non dederimus, res alienas inuasimus. Hom. 8. l. 50. Hom. serm. ne 219. Similia. Beda super 11. Lucæ.

Septimò, quia omnia quæ habemus à Deo accepimus, ac ea in pauperibus compensanda tenemus. *Atq; hæc amplifica* enumeratione præcipuorũ Dei beneficiorum, & corporalium, & spiritualium.

III. Locus *à multiplici fructu Eleemosynæ.* Tam enim magni variiq; sunt eius fructus, ut D. Chrysostomus integra Homilia, ad pop. Ant. habita, conatus sit demonstrare eam esse artem omnium quæstuosissimam. Hom. 33. Luc. 6. v. 38. Date &c. 2. Cor v. 6. Qui pace, &c.

Primò, mirum in modum auget bona terrena, seu bonorum temporalium proventum. Prou. 28. ve. 27. *Qui dat pauperibus, nunquàm egebit.* cap. 19. v. 17. *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis.* Hinc nonnulli in Scripturis leguntur crebris eleemosynis locupletiores facti, ut Iob. Tobias, vidua Sareptana Prophetæ altrix. Ideoq; S. Basilius comparat opes seu divitias aquis puteorum, quæ quò crebrius hauriuntur, eò puriores & copiosiores fluunt seu scaturiunt: si verò immotæ maneant, cõputrefiunt, atque decrescunt. 1. Ti 4. v. 8. Pietas &c. Vide triumphũ seu præmia Virtutũ. 3. Reg. 17. Orat ad D. Amb. Orat. &c. Amb. Orat. 81. Aqua stativa citò vermes facit

Secundò, Conciliat magnam apud Deum fiduciam. Tobias: *Fiducia,* inquit *magna erit coram sũmo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.* Heb. 10. *Vinctis compassi estis, nolite itaq; amittere confidentiam vestram.*

Tertiò, Præparat, & disponit hominem ad gratiam justificationis, si fiat ab eo, qui pœnitentiam agere incipit. Hinc Angelus Raphael: *Eleemosyna* Cap. 4.

Tob.12.8. *est qua purgat peccata, & facit inuenire misericordiã, &*
Cap.3.3. *vitam æternam.* Et Syr. *Sicut aqua extinguit ignem: i-*
Luc.11.41. *ta eleemosyna extinguit peccatum.* Et Christus: *Date*
Li. de ra. *eleemosynam, & ecce omnia mũda sunt vobis.* S. Aug.
dest. Sãctor. probat ex 10. Act. Cornelium per eleemosynas im-
cap.7. petrasse à Deo gratiam fidei Christianæ & iustifica-
Da.4.24. tionis perfectæ. Daniel ait Nabuchodonosori. *Pec-*
cata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas miseri-
cordijs pauperum: forsitan ignoscet Deus delictis tuis. V-
sus est Daniel voculo dubitandi *forsitan*, ut indica-
ret eleemosyna non redimi peccatum ex justitia,
sed ex gratia; & ideò hominem tantum disponi
ad Iustificationem, & congruo illam mereri, ut in-
dicat S. Hieronymus in hunc locum.

Ser.30. *Majora di-cit serm.30. ho.33. ad pop. Ant. hæc intellige de Eleemosynis per charitatem informatis.*

QUARTÒ, satisfacit pro peccato, hoc est, pro pœ-
na temporali peccatis debita. Tob.4. *Eleemosyna ab*
omni peccato, & à morte liberat, & non patitur animã
ire in tenebras: à morte spirituali. S. Ambrosius: *Quã-*
uis pollutus, quamvis multis criminibus circumseptus si
eleemosynam feceris, innocens esse capisti: abstergit enim
quod avaritia polluebat, &c. S. Chrysost. *Eleemosyna*
ex mortis manibus eripit & lampades nostras non sinit
extingui nec sordidis indutos vestibus in nuptiis videri;
sed lavat, & nive mundiores reddit: si namq; fuerint
peccata nostra ut coccinum, velut nix dealbabuntur.
Nec sinit nos eò decidere, ubi dives ille, nec audire ver-
ba tremenda. Sed in Abrahæ sinum deducit. Hæc Chri-
Isai.1. Discedite à me maledicti, &c. *sti adstat tribunali, non tantum patrocinans, sed &*
ipsi persuadens Iudici ut reo patrocinium præstet, & pro
eo sententiam ferat, & licet millies coronat, & victorem
Isai.1.h.25. *promulgat.* Et: *Non est peccatum quod non possit pur-*
Act. in c.58. Esa. Amb. *gare eleemosyna, quodue non possit extinguere, omne*
ser.52. *peccatum infra illam stat.* S. Cyprianus: *Cùm dixisset*
(Esaias) *eos* (Judæos) *nec si orationibus jejunijsq; u-*
terentur, satisfacere pro delictis posse, nec si in cilicio &
cinere volueremur, iram Dei posse lenire in novissima
tamen parte, demonstrans solis eleemosynis Deum posse
pla-

placari, addidit dicens: Frange esurienti panem. Comparant etiam SS. Patres eleemosynas ex pœnitentia procedentes, vel cum ea (ut fructus) conjunctas, cum Baptismo. Ut enim is culpam & pœnam tollit, ita ut si quis mox à Baptismo moriatur, nihil sit ei periculi à gehenna, vel purgatorio: sic hæ (culpa jam per pœnitentiam remissa) pro pœna temporali satisfaciunt, imò ejusmodi eleemosynæ in eo sunt indulgentiores, ut loquitur S. Ambr. Baptismate, quod Baptismus semel duntaxat, eleemosynæ sæpius peccata dimittunt.

QUINTÒ, à justo, & ex vera charitate facta meretur vitam æternam. Tob. 12. v. 9. *Qui faciunt eleemosynam & judicium, saturabuntur vita.* Ps. 40. v. 1. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* Matt. 19. *Si vis perfectus esse, vēde omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo. c. 25. Possidete paratum vobis regnū, &c. Esurivi enim,* &c. Aug. lib. 1. contra adversarium Legis & Prophetarum, cap. 16. *Pro esca temporali non ablata, sed non data, æternum & horrendum supplicium comminatur: per paruum est enim quod eleemosynis datur; sed cum piè datur æternum inde meritum comparatur.* Chrys. de pœnit. Hom. 5. *Hic modico justitia emitur, scilicet pro panis fragmento, pro calice aquæ frigidæ. Amen dico vobis, inquit spiritualis mercatura doctar, non perdet mercedem suam.* S. Ambr. *Quid homini pecunia sua, nisi viaticum*: id est, dispensandæ divitiæ ut parent viam in cœlum. Tabernaculi (quod vitam æternam præfigurabat, & Sancta Sanctorum dicebatur) portæ ex ligno oliuæ, quæ misericordiam significat, fieri debuerunt, portæ verò inferorum ferreæ describuntur, ut intelligamus per misericordiam aditum patefieri ad cœlum; inhumanitatem ad gehennam.

Epist. 64.
3. Reg. 6.
Heb. 9.
Ps. 106.
Iac. 1.
Iudicium, c. &c.

SEXTÒ, Impetrat subsidium precum ab iis, quib9 gratis confertur, illiq; vel gratiam conversionis,

vel donum perseverantiæ, vel incrementum gratiæ & gloriæ impetrant benefactoribus; Syr. 19. v.15. *Conclude eleemosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit*, &c. Matt. 10, v. 41. *Qui recipit iustũ in nomine iusti mercedẽ iusti accipiet*. subaudi, quam justus impetrabit orando pro illo. Et Luc. 16. v. 9. *Facite vobis amicos de mãmona iniquitatis ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*. Sicut Petrꝰ Tabitham corporaliter mortuam ad preces viduarum, quæ ab ea eleemosynas acceperant, excitavit; ita Deus sępè spiritualiter mortuos excitat ad preces pauperum, qui pro benefactoribus suis orant.

Meritorum ipsius particeps erit.
Act. 9.

SEPTIMÒ, Gratiam impetrat, si frequentetur, feliciter ex hac vita excedẽdi. Tob. v. 11. *Eleemosyna à morte, &c.* &c. Psal. 41. v. 2. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eũ Dominus. Dominus conseruet eum & vivificet eum & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum ejus. Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius.* S. Aug. l. 30. Hõ. 39. *Securus moritur, cum quo ambulat patrimonium, immortale horreum, in quo debitorem fecit Dominum, dum alterũ pascit dando.* Chysost. docet neminem à cæli ianitoribus repelli, qui eleemosynæ symbolum ostenderit.

IV. Locus *ab inconstantia rebus terrenis adjuncto*: cũ enim omnium rerum sit vicissitudo, *dices* nos posse in eandem inopiæ calamitatem delabi, aliorumq; beneficia etiam implorare. Lactant. l. 6. de vero cultu: *Quid*, ait, *dubitas benè collocare id, quod tibi forsitan eripiet aut unum latrocinium, aut existens repẽte proscriptio, aut hostilis aliqua direptio? Quid verere fluxum & fragile bonum facere sempiternum, aut thesauros tuos custodi Deo credere, ubi non furem prædonemq; timeas, non rubiginem, non tyrannum? Qui apud Deum dives est, pauper esse nunquam potest.*

Hom. 36. ad pop. Ant.
1. Cor. 16. v.
Hom. 43. in
Vide Chrys. 1. Ad Cor.
Tob. 4. v. 7.
Prov. 3, v. 9.

Syr. 34. 24. *In Epilogo repetitione facta præcipuorum agumentorum*

rum monebis Auditores , ut quotidie aliquid, licet modicum sit, in Vsum pauperum seponant, & ex bonis, non alienis, vel furto partis; sed ex propriis supervacaneis, imò interdum etiam ex necessariis animo lubenti (Tob.4.v 9.) & hilari (Syr.35.v.11.c. 4.v.8.2.Cor.9.v.7.) item liberaliter (Tob.4.v.9. 2. Cor.9.v.6.) & usque ad finem vitæ constãter dent eleemosynas. *Luc.20.v.3* *2.Cor.8.v.3.*

LI. PARENAESIS AD FREQVENTAtionem sacræ communionis, seu S.S. Eucharistiæ.

EXORDIUM *duces à querela*, quòd adeò pietatis studium apud multos refrixerit, ut rarò ad cõmunionem accedant.

PROPOSITIO: Te igitur Auditores ad sacræ Communionis frequentationem incitaturum. *Vide R. P. Busæi Viri. virt.*

CONFIRM. I. Locus *à dignitate & excellentiâ Communionis S. Eucharistiæ*, quæ non minor est, quàm ipsiusmet Christi Dei & hominis, qui in illa sumitur, Conditoris cæli & terræ, & totius humani generis vindicis Majestas, qua certè nec esse nec excogitari sublimior potest, ut pote immẽsa & infinita. Quare Divina Scriptura in veteri Testamẽto eam nobilissimis quibusque FIGURIS adumbrauit, & præsignificauit. Et PRIMÒ quidem typo *panis & uini* à Melchisedec Rege Salem Dei summi Sacerdote Abraham Patriarchæ oblati. Deinde *panũ propositionis*, qui solùm à puris & sanctificatis comedi poterant. Item *panis Primitiarum (Leu.8.v.7.)* demum *panis Angelici*, quo Elias Propheta roboratus 40. diebus ambulavit usque ad montem Dei Oreb. (3. Reg. 9.vers. 8. SECUNDA Figura fuit *Agnus Paschalis* (Exod.12.v.3. à quo Christus Ioan, 1. dicitur *Agnus, qui tollit peccata mundi*, ideoq; Christus post Agnum Paschalẽ manducatũ in cœna hoc Sacramẽtum instituit. TERTIA Figu- *Ge.14.19. Heb.2.v.1. Exod. 40. v.22. 1.Reg.28.6.*

ra fuit *sanguis Testamenti*, quo Moyses aspergebat populum. QUARTA, *Manna*, teste Christo. Ioan. v. 48. *In novo Testamento.* (Ioan. 6. v. 50. 54. 57. Christus Eucharistiæ dignitatem ex *quatuor* ejus nobilissimis effectibus demonstrat. PRIMUS est quòd sit, *panis verus & vivus de cœlo descendens.* SECUNDUS, quòd præbeat *vitam æternã.* TERTIUS, quod vim habeat excitandi à mortuis. QUARTUS, quòd beneficio illius Christ9 sit in nobis, & nos in Christo. S. Paulus, Cor. II. v. 27. insinuat ejus dignitatẽ ex gravitate pœnæ, quæ manet indignè communicantes quod quasi denuo Christum prodant, & crucifigant, & ex probatione ad sumptionem ejus requisita, quę potissimum diligenti examine conscientiæ & exomologesi peccatorum cum dolore Sacerdoti facta perficitur. Eandem dignitatem variis elogiis exprimunt SS. Patres: Pauli discipulus Dionysius Areopagita, *lib. de Eccles. Heir. c. 3.* Eucharistiam vocat *omnium Sacramentorum consummationem, divinissimum & sacrosanctum Sacramentum* : *sacrosancta & augustissima mysteria.* S. Martialis (*Epist. ad Burdigalenses c. 3. v. 4*) vocat *Communionem Dei vivi, mensam divinam et escam in fide perfecta totã cælestem*, S. Cyprianus, *lib. de cœna Domini. Cibum in cõsumptibilem.* Optatus Mileuit. *Pignus salutis æternæ tutelam fidei, & spem resurrectionis.*

II. Locus *ab immensis & admirabilibus sacræ Communionis utilitatibus & fructibus.* Ejus enim beneficio non de rivulo, sed fonte omnium charismatum, & donorum cælestium participamus.

Ioa 6. v. 57. 1. Cor. 6. 57. Qui adhæret, &c. *Cath. 4. Chrysost.*

PRIMÒ, per illam intimè conjungimur Christo animo & corpore, qui non in substantiam nostram mutatur, sed nos quoddammodo in ejus naturam cõvertimur, ut rectè post S. Communionem peractam dici queamus Christophori, ut S. Cyrillus Hierosf. docet.

SE-

SECUNDÒ, Ejus vi quotidianas animi sordes facilè eluimus, vulneribusq; inflictis medemur. *Hom.46. in Ioan.*

TERTIÒ, Valet ad coercendos pravos animi motus & perturbationes, & ut Ioan. Cass. docet, *Collat.22.c.6.* ad cavendas corporis pollutiones aliasque dæmonum illusiones.

QUARTÒ, Præservat à lapsu in graviora peccata. S. Bern. *Duo,* inquit, *illud Sacramentum operatur in nobis, ut & sensum minuat in minimis & in gravioribus peccatis tollat omnino consensum. Si quis vestrum non tam sæpe, modo non tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, aut cæterorum huiusmodi, gratias agat Corpori & Sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo, & gaudeat quòd pessimum hulcus accedat ad sanitaem.* Quo fit ut qui diutius à Communione abstinent facilè in lethalia crimina labantur. *Ser. de Bapt. in Cæna Domini habito.*

QUINTÒ, Valet ad expugnandas omnes tentationes dæmonis, mundi, & carnis. Vnde Chrysost. Hom.45. in Ioan. *Hic mysticus Sanguis dæmones procul pellit, Angelos, & Angelorum Dominum ad nos allicit: dæmones enim cùm Dominicum Sanguinem in nobis vident, in fugam vertuntur, Angeli autem concurrunt.* *Cyril. Alex. lib.3. in Ioa. cap.39. Chrysost. li. 24. in epist. ad Cor.*

SEXTÒ, Majorem Apud Deum gratiam (unde & nomenclaturam accepit) conciliat. Si enim *qui mãducat*, Christi *carnem & bibit* ejus *sanguinem, vitam æternam,* multo magis habet gratiam.

SEPTIMÒ; Vehementer accendit in nobis amorem Dei, & ardua quæque pro Christo perferenda nos inflammat. Qua de caussa, cùm olim à Tyrannis fideles ad tormenta & cædem propter Christiani nominis confessionem vulgo raperentur, ne illi fortè dolorum acerbitate victi in salutari certamine succumberent, vetus in ecclesia Catholica mos fuit, ut iis ab Episcopis Dominici Corporis, & Sanguinis Sacramenta præberentur. *Ioa.6. v.53. Vide Cypr. epist 54.12. Chrysost. Hom.61. ad pop. Ant. Tã-*

quam Leones, ait, ignē spirantes ab illa mensa recedamus, facti diabolo terribiles, &c.

Octavò, Magnam adfert voluptatem & consolationem spiritus piè communicantibus.

Nonò, Antidotum est præsentissimum ad perfectionē vitæ Christianæ & religiosæ consequendā, quæ consistit in perfecta abnegatione sui, mortificatione passionum, & vero contemptu mundi.

Decimò, Est viaticum nostræ peregrinationis, vel peregrinantium ad cælestem patriam, & ad montem cæli ascendentium, ideoque Agnus Paschalis, Exodi 12. manducabatur à Judæis, habitū peregrinorum præ se ferentibus, cum baculis, calceis, &c. & Elias Propheta sub cinericei panis fortitudine ambulavit usque ad montem Dei Horeb. Quare in Concilio Nicæno aliisq; , jam olim mādatum est, ut nemini morti proximo hoc viaticum negetur.

3. Reg. 19, 8.

II. Locus *à testimonijs Divinis, SS. Patrum, & vetustissima Ecclesia.* S. Lucas de primorum Christianorum à S. Petro conversorum more ita scribit: *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationib9*: (ubi Syrus interpres habet, in fractione Eucharistiæ: (& paulò post subjicit: *Quotidie quoq; perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem*, &c. Syrus vertit, frangentes munus benedictum.) Piæ huic consuetudini quotidie cōmunicādi deinde accessit præceptū summi Pōtificis Anacleti. Qua de causa diu in Ecclesia mos viguit, ut sacerdos, peracto Sacrificio, cū Eucharistiam sumsisset, ad populum præsentē conversus, fideles ad sacram mensam invitaret. Adhæc, quòd admodum salutare & fructuosum sit, sæpius per annū iterare sacram Synaxin, omnes SS. patres, & Theologi ad hoc usq; æuū constanter docuerunt. S. Ignatius Martyr, Apostolorū discipulus, in ep. ad Ephesios: *Date*, inquit, *operā, ut crebrius congregemini ad Eucharistiam, & gloriam Dei. Quanto enim sæpius in idem loci conuenitis,*

Act. 2. v. 41 Vide Baro. tom. 1. Gratian. de Consecra. d. 2 peracta.

Dio. Areop. de Eccl. Hie. c. 3: 7. 2

tis,labefactantur vires Satanæ, & ignita illius ad peccandum jacula trita resiliunt. S.Hilarius: *Si non sunt tanta peccata, ut excommunicetur quis non se debet à medicina Corporis & sanguinis Domini parare, unde timendum est; ne diu abstractus à Corpore Christi, alienus remaneat à salute: qui peccare consueverit, communicare non desinat.* Sanct. Ambros. lib. 5. de Sacram. cap. 4. *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, accipe quotidie quod quotidie tibi prosit. Sic vive, ut quotidie merearis accipere: qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere.* Et: *quotiescunque effunditur Sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debeo semper accipere: quia semper pecco debeo semper capere medicinam.*

Apud Gratian. de Consecr. d. 2.

Ead. August. serm. 18. de Verb. Dom.

In Epilogo *excitabit Auditores*, ut ingens in se excitent desiderium cibum illum cœlestem, SS. Eucharistiam (ad æternam animæ salutem tam salutarem) prævia pœnitentia creberrimè usurpandi: *Excitati*, ut cum S. Chrysostomo loquar, *incensi, ac ferventes omnes accedant. Nam si Iudæi stantes, calceati & baculos in manibus habentes cum festinatione comedant, quantò magis nobis vigilandum est? Non videtis quanta infantes animi alacritate mamillas arripiunt? qua passione papillis infigunt labia? non minore cupiditate nos quoq; ad hanc mensam, & ad huius calicis spiritualem accedamus papillam, imò verò majore desiderio quasi lactantes pueri gratiam Christi fugamus, unus sit nobis dolor, una mœstitia, si hoc alimento spirituali privamur.* Hæc Chrys.

Lib. 4. c. 6. Vide P. Christoph. Madridium de frequenti Communione & Baron. tom. 1. h. 83. in Matth.

LII. PARÆNESIS AD CVSTODIAM bonæ famæ.

IN Exordio *dices*, hominem duplici ex capite teneri rationem habere bonæ suæ famæ: tum, quia tenetur operam dare virtuti, ex qua sola bonitas famæ promanat: tum, quia tenetur non dare

ſcandalum proximo; ſed bonum exemplum. Vnde S. Paulus providebat *bona; non tantum coram Deo, ſed etiam coram hominibus*, ne per illum nomen Dei blaſphemaretur in gentibus.

Ro.12. v.17. *In* PROPOSITIONE; Te igitur Auditores ad ſtudium bonæ famæ invitaturum.

Pro.22. v.1. *In Eccleſ. c. 7. v.2.* CONFIRMATIONIS I. Locus *à præſtantia bonæ famæ*, quam docet Salomon cùm ait: *Super aurum & argentum gratia bona*: Et: *Melius eſt nomen bonum, quàm unguenta pretioſa.* Chaldæus Paraphra-

Syr.41. v.15. ſtes addit, *quibus ungebantur capita Regum & Sacerdotum.* Et: *Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi quàm mille theſauri pretioſi & magni. Bonæ vitæ numerus dierum: bonum autem nomen permanebit in ævum.* Quibus extremis verbis indicat, bonam vitam, ex virtutis legibus actam, licet brevis ſit temporis, immortale & perpetuum nomen parere. Si autem in Repub. aliqua nomen & famam obtinuiſſe apud homines præclarius eſt & melius, quàm multas conſecutum eſſe opes, multo magis divitiis anteferendum eſt, ſi quis apud Deum & Sanctos bonum nomen obtinuit.

Prov. 15. v. 30.4. *de Ponto, Eleg.2.* II. Locus *à fructibus.* PRIMUS, magis magisque excitat ad ſolidum virtutis ſtudium, vel, ut Salomon loquitur *impinguat oſſa.* Hinc Ovid *Laudataq; virtus creſcit, &c.*

SECUNDUS, Nihil æquè hominem provehit ad honores & dignitates, atq; exiſtimatio bona, ex virtutum ſtudio conciliata: contra nihil æquè etiam optimos viros de excelſo gradu præcipites agit, quàm nota infamiæ, quantumvis à malevolis iniquè aſperſa. Greg. Naxianz. epiſt. ad Vitalianum: *Siniſtra fama bonos etiam viros ſæpe perculit humiq; proſtravit.*

TERTIUS, Virtutes ex quibus orta eſt, reddit illuſtriores.

QUARTUS, Latiſſimè inſtar lucis ſpargitur. Hunc

Hunc fructum S. Paulus typo boni odoris vitæ Christianorum ob oculos ponit. 2.Cor.2.v.4

In EPILOGO ut caveant *hortaberis Auditores,* omnes occasiones scandalorum, vel pravarum suspicionum, & bonam studeant colligere & cōservare famam bonis operibus & vita piè sanctèque acta: virtutem enim, non secus atque umbra corpus, sequitur bona fama, honor, & gloria. Vnde Agesilaus Rex rogatus, qua ratione potissimum quis assequi posset, ut apud homines honestā haberet famam: *Si loquatur,* inquit, *quæ sunt optima, & faciat quæ sunt honestissima.* Et Socrates expedita & compendiaria via eos ad gloriam pervenire dicebat, qui id agerent, ut quales videri vellent tales etiam essent. Rom.2.v.10 Phil.2.v.15. Val.li.7.c.2.

LIII. PARÆNESIS AD GRATIArum actionem Deo debitam.

IN EXORDIO *dices,* neminem Deo, omnium rerum auctori & principio, dignam gratiarum actionem rependere posse, cùm *dignum munus,* ut loquitur Greg. Naz. *offerre Deo vix ipsi quoq; Angeli possint, illi inquam primi, intellectuales, & puri, supernaq; gloria spectatores ac testes:* & nos *si quotidie* (ut ait S. Chrys. in Mat. post enumerata aliquot Dei beneficia) *pro eo qui nos tam mirificè amat, moriamur, condignas referre gratias immò verò minimum quid debiti reddere nequaquam possimus.* Orat. 2. in Pasch. Hom. 26.

In PROPOSITIONE, Te tamen Auditores, ut pro virili Deo semper gratias agant, adhortaturum.

CONFIRMAT. I. LOCUS *à dignitate ac nobilitate huius virtutis,* quam vel hinc deprehendere licet, quod ad religionem, moralium virtutum præstantissimā, pertineat, & quod circa nobilissimum objectum, Deum eiusq; beneficia, quorum nullum est exiguum, ut loquitur S. Chrysost. versetur. Atque hac de causa in divinis Scripturis

passim gratiarum actio inter honorifica officia Deo delata numeratur, (ut 1. *Esdræ.* 12. *v.* 17. *Esaiæ* 51. *v.* 3. *Apoc.* 7. *vers.* 12.) & in iisdem Sacrificium laudis appellatur, & omnibus veteris Legis Sacrificiis antefertur, ut docet S. August. *contra adversarium Legis & Proph. lib.* 1. *c.* 8. Item nobilissimum Ecclesiæ Christianæ Sacramentum & Sacrificium, quod cum gratiarum actione à Christo ipso institutum est, Eucharistia, hoc est gratiarum actio appellatur, & S. Paulus *in priore Epist. ad Tim.* postremum locum inter rationum formas hoc est, dignissimum, gratiarum actioni assignavit.

Chrys. hom. 26. *in Matt. Cassian. Collat.* 9. *col.* 14. *&* 15.

II. Locus *à necessitate huius virtutis*, quam divina oracula nobis commendant. Nam, ut liquet ex Levitico, peculiare Sacrificium pro gratiarum actione cum suis ritibus decretum est. Et Apostolus crebrò ad eam hortatur, ut *ad Ephes.* 5. *vers.* 4. *&* 20 *ad Philip.* 4. *v.* 6. *ad Colos.* 3. *v.* 15. 1. *ad Thes c.* 5. *v.* 17. 2. *ad Thes.* 1. *v* 3. 1. *ad Sim.* 2. *v.* 1. Denique suo exemplo in gratiis agendis Deo est creberrimus per omnes epistolas: Ita & Christus ipse, *Matth.* 15. *v.* 26. *Marc.* 8. *v.* 14. *Luc.* 17. 18. *v.* 22. *Ioan.* 6. *v.* 11. Sanct. Ambr. serm. 42. *Si accipientes*, ait, *divina munera taciti immemores fuerimus, tanquam ingrati & indigni eorum subministratione fraudabimur.*

III. *ab utilitate*: quia gratias agendo Deo, potius accipimus aliquid ab illo, quàm quod aliquid ei demus. *Ei qui omnia (*inquit Nazianz orat. de pauperum amore*) elargitus est, universas opes datis*: *nunquam Dei liberalitatem & munificentiam vinces, quamvis omnium tuarum facultatum jacturam feceris, quamvis te etiam facultatibus adjunxeris. Nam hoc quoq; ipsum accipere est, Deo aliquid donare.* S. Chrysost. Hom. 28. in Matth. *Nos hominum beneficia recordantes*, ait, *vehementer eorum amore succendimur: multo magis beneficiorum in nos Dei memores studiosiores erimus ad ipsius mandata servanda.* Et

expo-

exponens verba illa Davidis Psal.7.v.18. *Confitebor Domino, &c. Deo, ait, magna cura est, ut in virtute crescamus: nihil autem æquè facit in virtute crescere atq; cum Deo assiduè versari & colloqui, eiq; perpetuò gratias agere & psallere.*

IV. *à contrario*, quòd gratitudo apud gentiles etiã in summa vituperatione fuerit. Vnde Sen. *lib.3.de benefic.c.1.* ab hac sentẽtia inchoavit: *Non referre beneficiis gratiam & est turpe, & apud omnes habetur.*

V. *ab adjuncta æquitate:* quia magna & multa in nos extant Dei beneficia. Vnde S. Chrysost. *hom. 27.in Genesin: Demus*, inquit, *& nos operam ut gratiarum actiones pro virili Domino offeramus pro donis quæ ab eo pridem nobis præstita, & ut majora inde consequamur, & non obliviscamur Dei beneficia, in nos collata sed semper ea in mente nostra versemus, ut ad continuam gratiarum actionem mentem nostram compellant, tametsi tot sint, ut mens nostra non sufficiat ad comprehendendum & enumerandum magnam quæ nobis contingit, illorum ubertatem. Quomodo enim quis cogitare sufficeret ea, quæ in nos jam sunt collata, quæ item promissa, quæ & quotidie conferuntur? Hic licet digredi* in laudem beneficii Redemptionis nostræ per Christum, quod *obstupescens tonitrui filius*, ait S. Chrysost. hom. 27. in Gen. *consideransque charitatis divinæ excellentiam, quam erga genus nostrum declaravit, clamabat, & dicebat: Sic enim dilexit Deus mundum, &c.* Ioa.3.v.16.

VI. *ab exemplo brutorum animantium, ut Canum,* (Amb.6.Hexameri,) quæ pro beneficiis quodammodo gratias agunt: unde patet homines ingratos etiam naturæ reluctari.

In PERORATIONE *monebis Auditores*, ut beneficia Dei quæ omnibus hominibus sunt communia, reputent sibi solis præstita; uti S. Paulus mortem Christi, quæ pro universo expensa est mundo, sibi soli præstitam dicit ad Gal.2. v.20.&c. ut cum de- Bern. ser.13. in Cant.

bita

Ps.144. v.1. *incidet in ineffabile beneficiorum pelagus, videbitq;*
Ps.34. v.28. *quot nominibus sit Deo obnoxius.*

III. *ab utilitate laudum divinarum*, quam id attestatur, quòd Deus non exigat à nobis laudes ullas, nisi ob commodum nostrum: ipse enim, ut loquitur David, *bonorum nostrorum non eget.*

In PERORATIONE *monebis Auditores*, ut amore Dei inflammati, perpetuò laudent Deum cum Davide, qui dixit: *Benedicam Domino in omni tempore, semper laus ejus in ore meo*, ut laudent eum in omnibus prosperis & adversis, beneficiis & pœnis, & ut, cùm non possunt Deum laudare verbis & factis, vitaque sancta, laudare saltem voluntate & corde conentur.

LV. ENCOMIVM HVMILITATIS.

EXORDIUM *ducatur* ab illustri hac sententia S. Augustini; *Sicut*, ait, *Rhetor ille nobilissimus, cùm interrogatus esset, quid ei primùm videretur in Eloquentiæ præceptis observari oportere, pronuntiationem dicitur respondisse: cum quæreretur quid secundo, eandem pronuntiationem, quid tertiò nihil aliud quam pronuntiationem dixisse: sic si interrogares, & quoties interrogares de præceptis Christianæ Religionis nihil me aliud respondere, nisi humilitatem liberet, etsi forte alia dicere necessitas cogeret.*

PROPOSITIO: Te igitur Auditoribus in memoriam revocaturum, quanta sit virtus humilitatis, idq; eo libentius, quòd non dubites eos huius virtutis esse alumnos & cultores.

Matt.5. v.5. I. CONFIRM. LOCUS, *sit præstantia & dignitas*
Ca.11. v.29. *huius virtutis*, quam inde cognoscimus, quòd
Hier. epi.29. Christus cœlestem suam doctrinā in monte disci-
& 14. pulis traditā, ab ea exorsus sit, & quòd illius solius & mansuetudinis professus sit se esse doctorem. Hinc enim veteres Patres humilitatem faciunt propriam & primam Christianorum virtutem.

II. *eius-*

II. *ejusdem necessitas*, quam non obscurè indicavit Christus, cùm ad quæstionem discipulorum, quis major esset in regno cœlorum, advocato parvulo, respondit: *Amen dico vobis, nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Eadem insinuant SS. Patres, cùm eam faciunt fundamentum, firmamentum, custodem, caput, radicem, & originem omnium virtutum. Certè absque eius beneficio ad virtutum perfectionem nequit perveniri, imò sine ea reliquæ virtutes subsistere non queunt. Hinc S. Gregor. in 3. Psal. Pœnit. *Qui sine humilitate virtutes congregat, quasi in ventum pulverem portat.* & Hom. 7. in Evangel. *Si qualibet bona adsint opera, nulla sunt, nisi ex humilitate condiantur. Miranda quippe actio cum elatione, non elevat, sed gravat.* Adhæc constat inter pretiosa Dei dona numerari Virginitatem perpetuam: & tamen S Bern. ait Hom. 1. super Missus est: *Laudabilis virginitas, sed magis necessaria humilitas, illa consulitur, ista præcipitur. Sine humilitate, audeo dicere, nec virginitas Mariæ placuisset.* Mat. 18. v. 3.

III. Eius *multiplex utilitas.* PRIMA, quòd una hæc præ cæteris Deo grata sit, & ab eo veniam peccatorum atque gratiam impetret. Hinc David Psalm. 101. v. 18. *Respexit in orationem humilium, & non sprevit precem eorum,* Psalm. 112. v. 6. *Humilia respicit in cœlo & in terra.* Psal. 50. v. 19. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* & Syr. 35. vers. 21. *Oratio humiliantis se penetrabit nubes.* & Esa. 6. v. 2. *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu & trementem sermones meos?* Et B. Virgo Maria, *quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles.* Et Jacob. c. 4. v. 7. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Inde S. August. (lib. 3. de Doctr. Chr. c. 23.) *Nulla ferè pagina est sanctorum Librorum in qua non* Lu. 1. v. 48. 6

Ps.144. v.1. *incidet in ineffabile beneficiorum pelagus, videbitq;*
Ps.34. v.28. *quot nominibus sit Deo obnoxius.*

III. *ab utilitate laudum divinarum*, quam id attestatur, quòd Deus non exigat à nobis laudes ullas, nisi ob commodum nostrum: ipse enim, ut loquitur David, *bonorum nostrorum non eget.*

In PERORATIONE *monebis Auditores*, ut amore Dei inflammati, perpetuò laudent Deum cum Davide, qui dixit: *Benedicam Domino in omni tempore, semper laus ejus in ore meo,* ut laudent eum in omnibus prosperis & adversis, beneficiis & pœnis, & ut, cùm non possunt Deum laudare verbis & factis, vitaque sancta, laudare saltem voluntate & corde conentur.

LV. ENCOMIVM HVMILITATIS.

EXORDIUM *ducatur* ab illustri hac sententia S. Augustini; *Sicut*, ait, *Rhetor ille nobilissimus, cùm interrogatus esset, quid ei primùm videretur in Eloquentiæ præceptis observari oportere, pronuntiationem dicitur respondisse: cum quæreretur quid secundò, eandem pronuntiationem, quid tertiò nihil aliud quam pronuntiationem dixisse: sic si interrogares, & quoties interrogares de præceptis Christianæ Religionis nihil me aliud respondere, nisi humilitatem liberet, et si forte alia dicere necessitas cogeret.*

PROPOSITIO: Te igitur Auditoribus in memoriam revocaturum, quanta sit virtus humilitatis, idq; eo libentius, quòd non dubites eos huius virtutis esse alumnos & cultores.

Matt.5.v.5. Ca.11.v.29. Hier.epi.29. & 14. I. CONFIRM. LOCUS, *sit præstantia & dignitas huius virtutis*, quam inde cognoscimus, quòd Christus cœlestem suam doctrinã in monte discipulis traditã, ab ea exorsus sit, & quòd illius solius & mansuetudinis professus sit se esse doctorem. Hinc enim veteres Patres humilitatem faciunt propriam & primam Christianorum virtutem.

II. *eim-*

II. *ejusdem necessitas*, quam non obscurè indicavit Christus, cùm ad quæstionem discipulorum, quis major esset in regno cœlorum, advocato parvulo, respondit: *Amen dico vobis, nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Eadem insinuant SS. Patres, cùm eam faciunt fundamentum, firmamentum, custodem, caput, radicem, & originem omnium virtutum. Certè absque eius beneficio ad virtutum perfectionem nequit perveniri, imò sine ea reliquæ virtutes subsistere non queunt. Hinc S. Gregor. in 3. Psal. Pœnit. *Qui sine humilitate virtutes congregat, quasi in ventum pulverem portat.* & Hom. 7. in Evangel. *Si qualibet bona adsint opera, nulla sunt, nisi ex humilitate condiantur. Miranda quippe actio cum elatione, non elevat, sed gravat.* Adhæc constat inter pretiosa Dei dona numerari Virginitatem perpetuam: & tamen S Bern. ait Hom. 1. super Missus est: *Laudabilis virginitas, sed magis necessaria humilitas, illa consulitur, ista præcipitur. Sine humilitate, audeo dicere, nec virginitas Mariæ placuisset.* Mat. 18. v. 3.

III. Eius *multiplex utilitas.* PRIMA, quòd una hæc præ cæteris Deo grata sit, & ab eo veniam peccatorum atque gratiam impetret. Hinc David Psalm. 101. v. 18. *Respexit in orationem humilium, & non sprevit precem eorum.* Psalm. 112. v. 6. *Humilia respicit in cœlo & in terra.* Psal. 50. v. 19. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* & Syr. 35. vers. 21. *Oratio humiliantis se penetrabit nubes.* & Esa. 6. v. 2. *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu & trementem sermones meos?* Et B. Virgo Maria, *quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles.* Et Jacob. c. 4. v. 7. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Inde S. August. (lib. 3. de Doctr. Chr. c. 23.) *Nulla ferè pagina est sanctorum Librorum in qua non* Lu. 1. v. 48. 6

Ps.144.v.1. *incidet in ineffabile beneficiorum pelagus, videbitq;*
Ps.34.v.28. *quot nominibus sit Deo obnoxius.*

III. *ab utilitate laudum divinarum*, quam id attestatur, quòd Deus non exigat à nobis laudes ullas, nisi ob commodum nostrum: ipse enim, ut loquitur David, *bonorum nostrorum non eget.*

In PERORATIONE *monebis Auditores*, ut amore Dei inflammati, perpetuò laudent Deum cum Davide, qui dixit: *Benedicam Domino in omni tempore, semper laus ejus in ore meo,* ut laudent eum in omnibus prosperis & adversis, beneficiis & pœnis, & ut, cùm non possunt Deum laudare verbis & factis, vitaque sancta, laudare saltem voluntate & corde conentur.

LV. ENCOMIVM HVMILITATIS.

EXORDIUM *ducatur* ab illustri hac sententia S. Augustini; *Sicut*, ait, *Rhetor ille nobilissimus, cùm interrogatus esset, quid ei primùm videretur in Eloquentiæ præceptis observari oportere, pronuntiationem dicitur respondisse: cum quæreretur quid secundò, eandem pronuntiationem, quid tertiò nihil aliud quam pronuntiationem dixisse: sic si interrogares, & quoties interrogares de præceptis Christianæ Religionis nihil me aliud respondere, nisi humilitatem liberet, etsi forte alia dicere necessitas cogeret.*

PROPOSITIO: Te igitur Auditoribus in memoriam revocaturum, quanta sit virtus humilitatis, idq; eo libentius, quòd non dubites eos huius virtutis esse alumnos & cultores.

Matt.5.v.5. I. CONFIRM. LOCUS, *sit præstantia & dignitas*
Ca.11.v.29. *huius virtutis*, quam inde cognoscimus, quòd
Hier.epi.29. Christus cœlestem suam doctrinā in monte disci-
& 14. pulis traditā, ab ea exorsus sit, & quòd illius solius & mansuetudinis professus sit se esse doctorem. Hinc enim veteres Patres humilitatem faciunt propriam & primam Christianorum virtutem.

II. *eius-*

II. *ejusdem necessitas*, quam non obscurè indicavit Christus, cùm ad quæstionem discipulorum, quis major esset in regno cœlorum, advocato parvulo, respondit: *Amen dico vobis, nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Mat.18.v.3. Eadem insinuant SS. Patres, cùm eam faciunt fundamentum, firmamentum, custodem, caput, radicem, & originem omnium virtutum. Certè absque eius beneficio ad virtutum perfectionem nequit perveniri, imò sine ea reliquæ virtutes subsistere non queunt. Hinc S. Gregor. in 3. Psal. Pœnit. *Qui sine humilitate virtutes congregat, quasi in ventum pulverem portat.* & Hom.7. in Evangel. *Si qualibet bona adsint opera, nulla sunt, nisi ex humilitate condiantur. Miranda quippe actio cum elatione, non elevat, sed gravat.* Adhæc constat inter pretiosa Dei dona numerari Virginitatem perpetuam: & tamen S Bern. ait Hom.1. super Missus est: *Laudabilis virginitas, sed magis necessaria humilitas, illa consulitur, ista præcipitur. Sine humilitate, audeo dicere, nec virginitas Mariæ placuisset.*

III. Eius *multiplex utilitas.* PRIMA, quòd una hæc præ cæteris Deo grata sit, & ab eo veniam peccatorum atque gratiam impetret. Hinc David Psalm. 101. v. 18. *Respexit in orationem humilium, & non sprevit precem eorum.* Psalm. 112. v. 6. *Humilia respicit in cœlo & in terra.* Psal. 50. v. 19. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* & Syr. 35. vers. 21. *Oratio humiliantis se penetrabit nubes.* & Esa. 6. v. 2. *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu & trementem sermones meos?* Et B. Virgo Maria, *quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles.* Lu.1.v.48.& Et Jacob. c.4. v.7. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Inde S. August. (lib. 3. de Doctr. Chr. c. 23.) *Nulla ferè pagina est sanctorum Librorum in qua non*

Ps.144.v.1. Ps.34.v.28. *incidet in ineffabile beneficiorum pelagus, videbitq; quot nominibus sit Deo obnoxius.*

III. *ab utilitate laudum divinarum*, quam id attestatur, quòd Deus non exigat à nobis laudes ullas, nisi ob commodum nostrum: ipse enim, ut loquitur David, *bonorum nostrorum non eget.*

In PERORATIONE *monebis Auditores*, ut amore Dei inflammati, perpetuò laudent Deum cum Davide, qui dixit: *Benedicam Domino in omni tempore, semper laus ejus in ore meo*, ut laudent eum in omnibus prosperis & adversis, beneficiis & pœnis, & ut, cùm non possunt Deum laudare verbis & factis, vitaque sancta, laudare saltem voluntate & corde conentur.

LV. ENCOMIVM HVMILITATIS.

EXORDIUM *ducatur* ab illustri hac sententia S. Augustini; *Sicut*, ait, *Rhetor ille nobilissimus, cùm interrogatus esset, quid ei primùm videretur in Eloquentiæ præceptis observari oportere, pronuntiationem dicitur respondisse: cum quæreretur quid secundò, eandem pronuntiationem, quid tertiò nihil aliud quam pronuntiationem dixisse: sic si interrogares, & quoties interrogares de præceptis Christianæ Religionis nihil me aliud respondere, nisi humilitatem liberet, etsi forte alia dicere necessitas cogeret.*

PROPOSITIO: Te igitur Auditoribus in memoriam revocaturum, quanta sit virtus humilitatis, idq; eo libentius, quòd non dubites eos huius virtutis esse alumnos & cultores.

Matt.5.v.5. Ca.11.v.29. Hier.epi.29. & 14. I. CONFIRM. LOCUS, *sit præstantia & dignitas huius virtutis*, quam inde cognoscimus, quòd Christus cœlestem suam doctrinā in monte discipulis traditā, ab ea exorsus sit, & quòd illius solius & mansuetudinis professus sit se esse doctorem. Hinc enim veteres Patres humilitatem faciunt propriam & primam Christianorum virtutem.

II. *eius-*

II. *ejusdem necessitas*, quam non obscurè indicavit Christus, cùm ad quæstionem discipulorum, quis major esset in regno cœlorum, advocato parvulo, respondit: *Amen dico vobis, nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Eadem insinuant SS. Patres, cùm eam faciunt fundamentum, firmamentum, custodem, caput, radicem, & originem omnium virtutum. Certè absque eius beneficio ad virtutum perfectionem nequit perveniri, imò sine ea reliquæ virtutes subsistere non queunt. Hinc S. Gregor. in 3. Psal. Pœnit. *Qui sine humilitate virtutes congregat, quasi in ventum pulverem portat.* & Hom. 7. in Evangel. *Si qualibet bona adsint opera, nulla sunt, nisi ex humilitate condiantur. Miranda quippe actio cum elatione, non elevat, sed gravat.* Adhæc constat inter pretiosa Dei dona numerari Virginitatem perpetuam: & tamen S Bern. ait Hom. 1. super Missus est: *Laudabilis virginitas, sed magis necessaria humilitas, illa consulitur, ista præcipitur. Sine humilitate, audeo dicere, nec virginitas Mariæ placuisset.* Mat. 18. v. 3.

III. Eius *multiplex utilitas.* PRIMA, quòd una hæc præ cæteris Deo grata sit, & ab eo veniam peccatorum atque gratiam impetret. Hinc David Psalm. 101. v. 18. *Respexit in orationem humilium, & non sprevit precem eorum.* Psalm. 112. v. 6. *Humilia respicit in cœlo & in terra.* Psal. 50. v. 19. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* & Syr. 35. vers. 21. *Oratio humiliantis se penetrabit nubes.* & Esa. 6. v. 2. *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu & trementem sermones meos?* Et B. Virgo Maria, *quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles.* Et Jacob. c. 4. v. 7. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Inde S. August. (lib. 3. de Doctr. Chr. c. 23.) *Nulla ferè pagina est sanctorum Librorum in qua non* Lu. 1. v. 48. 5

passim gratiarum actio inter honorifica officia Deo delata numeratur, (ut 1. *Esdræ*. 12. *v*. 17. *Esaia* 51. *v*. 3. *Apoc*. 7. *vers*. 12.) & in iisdem Sacrificium laudis appellatur, & omnibus veteris Legis Sacrificiis antefertur, ut docet S. August. *contra adversarium Legis & Proph. lib*. 1. *c*. 8. Item nobilissimum Ecclesiæ Christianæ Sacramentum & Sacrificium, quod cum gratiarum actione à Christo ipso institutum est, Eucharistia, hoc est gratiarum actio appellatur, & S. Paulus *in priore Epist. ad Tim.* postremum locum inter rationum formas hoc est, dignissimum, gratiarum actioni assignavit.

Chrys. hom. 26. in Matt. Cassian. Collat. 9, col. 14. & 15.

II. Locus *à necessitate huius virtutis*, quam divina oracula nobis commendant. Nam, ut liquet ex Levitico, peculiare Sacrificium pro gratiarum actione cum suis ritibus decretum est. Et Apostolus crebrò ad eam hortatur, ut *ad Ephes*. 5. *vers*. 4. & 20 *ad Philip*. 4. *v*. 6. *ad Colos*. 3. *v*. 15. 1. *ad Thes c*. 5. *v*. 17. 2. *ad Thes*. 1. *v* 3. 1. *ad Tim*. 2. *v*. 1. Denique suo exemplo in gratiis agendis Deo est creberrimus per omnes epistolas: Ita & Christus ipse, *Matth*. 15. *v*. 26. *Marc*. 8. *v*. 14. *Luc*. 17. 18. *v*. 22. *Ioan*. 6. *v*. 11. Sanct. Ambr. serm. 42. *Si accipientes*, ait, *divina munera taciti immemores fuerimus, tanquam ingrati & indigni eorum subministratione fraudabimur*.

III. *ab utilitate*: quia gratias agendo Deo, potius accipimus aliquid ab illo, quàm quod aliquid ei demus. *Ei qui omnia* (inquit Nazianz orat. de pauperum amore) *elargitus est, universas opes datis; nunquam Dei liberalitatem & munificentiam vinces, quamvis omnium tuarum facultatum jacturam feceris, quamvis te etiam facultatibus adjunxeris. Nam hoc quoq; ipsum accipere est, Deo aliquid donare*. S. Chrysost. Hom. 28. in Matth. *Nos hominum beneficia recordantes*, ait, *vehementer eorum amore succendimur: multo magis beneficiorum in nos Dei memores studiosiores erimus ad ipsius mandata servanda*. Et

expo-

exponens verba illa Davidis Psal.7.v.18. *Confitebor Domino, &c. Deo*, ait, *magna cura est, ut in virtute crescamus: nihil autem æquè facit in virtute crescere atque cum Deo assiduè versari & colloqui, eique perpetuò gratias agere & psallere.*

IV. *à contrario*, quòd gratitudo apud gentiles etiã in summa vituperatione fuerit. Vnde Sen. *lib.3.de benefic.c.1.* ab hac sentẽtia inchoavit: *Non referre beneficiis gratiam & est turpe, & apud omnes habetur.*

V. *ab adjuncta æquitate:* quia magna & multa in nos extant Dei beneficia. Vnde S. Chrysost. *hom. 27. in Genesin: Demus*, inquit, *& nos operam ut gratiarum actiones pro virili Domino offeramus pro donis quæ ab eo pridem nobis præstita, & ut majora inde consequamur, & non obliviscamur Dei beneficia, in nos collata sed semper ea in mente nostra versemus, ut ad continuam gratiarum actionem mentem nostram compellant, tametsi tot sint, ut mens nostra non sufficiat ad comprehendendum & enumerandum magnam quæ nobis contingit, illorum ubertatem. Quomodo enim quis cogitare sufficeret ea, quæ in nos jam sunt collata, quæ item promissa, quæ & quotidie conferuntur? Hic licet digredi* in laudem beneficii Redemptionis nostræ per Christum, quod *obstupescens tonitrui filius*, ait S. Chrysost. hom. 27. in Gen. *considransque charitatis divinæ excellentiam, quam erga genus nostrum declaravit, clamabat, & dicebat: Sic enim dilexit Deus mundum, &c.* *Ioa.3.v.16.*

VI. *ab exemplo brutorum animantium, ut Canum*, (Amb.6. Hexameri,) quæ pro beneficiis quodammodo gratias agunt: unde patet homines ingratos etiam naturæ reluctari.

In PERORATIONE *monebis Auditores*, ut beneficia Dei quæ omnibus hominibus sunt communia, reputent sibi solis præstita; uti S. Paulus mortem Christi, quæ pro universo expensa est mundo, sibi soli præstitam dicit ad Gal.2. v.20. &c. ut cum de- *Bern. ser.13. in Cant.*

bita

bita humilitate, simplicitate, & sinceritate Deo semper etiam in adversis gratias agant, imò certa tempora quotidie sibi describant, quib⁹ Deo gratias agere consuescant, cùm nulla hora sit, nullum momentum, quo non beneficio Dei utamur.

LIV. PARÆNESIS AD LAVDATIOnem, seu laudem Dei.

EXORDIUM, iis de rebus apud ingenuos Adolescentes crebrius tractandum est, quæ ad hujus vitæ curriculum felicius decurrendum conducunt, quæq; non mediocriter nobis in ea lucta servire possunt, quam cum infensissimis hostibus nostræ salutis nullo non tempore gerimus.

PROPOSITIO: Inter illa cùm non in postremis sit collocanda laudatio divina, te Auditores ad eam invitaturum.

CONFIRMAT. I. Locus, *ab excellentia & dignitate divinæ laudationis*, quæ inde patet PRIMÒ, quod sit primarius actus virtutis Religionis, quæ principatum obtinet inter omnes virtutes morales, eò quod propinquius, quàm aliæ, respiciat Deum. *Nam Deum laudare est*, ut ait S. Chrysost. *amplissimas Dei virtutes enarrare & deprædicare, ut illius bonitas majestasq; mortalibus innotescat, utque ab omnibus divinus ipsi cultus deferatur*: ideoque quotidie in Oratione Dominica dicimus: *Sanctificetur nomen tuum.* Quantumcunque enim ab homine Angelove instituatur laudatio, longè impar & inferior est excellentia & majestate Dei, teste Syr. cap. 43. v. 31. SECUNDÒ, Quia Spiritus Sanct. hunc laudationis cultum non obscurè prætulit omnibus Veteris Testamenti Sacrificiis, Psalm. 49. v. 9. Psal. 115. v. 17. Psal. 68. v. 31. TERTIÒ, quia propria Angelorum, omniumque Beatorum, in omnem æternitatem Deum collaudantium: quos spiritu plenus Rex David Psal. 148. hortatur

ad laudandum Deum, ut quod agunt, agere pergant. S. Aug. putat Angelis præceptum, ut Deum continenter laudent: quia cum David dixisset: *Laudate eum omnes Angeli eius*, subdit: *præceptum posuit, & non præteribit.* Ps. 20. 65. 12. 116.

II. *à necessitate laudandi & extollendi divini Nominis*, quam satis ostendunt crebræ Divinæ Scripturæ formulæ præceptis expressæ, maximè in Psalmis. *Amplifica hoc à Minori*: In Scriptura tum à Psalte Regio, tum à Babiloniis pueris, tum ab aliis, etiam rationis & sensus expertes creaturæ provocantur ad laudandum Deum: (non quod ipsæ vel corde, vel lingua, vel factis vel vita sancta Deum benedicant & glorificent; sed quòd sua pulchritudine, ordine & numero testentur Conditoris sui potentiam & majèstatem, ac ita ad agnoscendum verum Deum colendumque inflamment:) multo ergo magis homo ad laudes illas adstringitur. *Turpe enim fuerit*, inquit S. Chrysost. *ut homo, qui est compos rationis, & omnibus, quæ videntur, præstantior, sit creatura in laudibus inferior: non solùm autem turpe, verum etiam absurdum. Quomodo autem non absurdum, siquidem ipsa quotidiè atq; adeò singulis horis emittit Domino glorificationem. Cœli enim inquit, enarrant gloriam Dei, &c.* Psal. 144. In Ps. 110. Ps. 18. v. 1.

Adhæc eadem Scriptura docet nos, ob præterita, præsentia, & futura Dei beneficia, omnia debere Deo. Cum Regius Psaltes Psal. 148. hortatus esset & Angelos & homines, & cœlos ad laudandum Deũ, causam subjicit: *quia ipse dixit & facta sunt, &c.* cùm Psalm. 135. omnia ferè beneficia collata Veteris Testamenti Patribus recensentur, vicies sexies repetit: *Quoniam in æternum misericordia ejus.* Hic *licebit excurrere* in enumerationem & commendationem præcipuorum Dei beneficiorum, quæ *si quis singula*, ut inquit S. Chrysost. *enumeret* Apo. 4. v. 10 Vide Ducem peccatorum P. Lud. Grã In Psa. 144. Psal. 15. v. 2.

Ps.144.v.1. *incidet in ineffabile beneficiorum pelagus, videbitq; Ps.34.v.28. quot nominibus sit Deo obnoxius.*

III. *ab utilitate laudum divinarum*, quam id attestatur, quòd Deus non exigat à nobis laudes ullas, nisi ob commodum nostrum: ipse enim, ut loquitur David, *bonorum nostrorum non eget.*

In PERORATIONE *monebis Auditores*, ut amore Dei inflammati, perpetuò laudent Deum cum Davide, qui dixit: *Beneditam Domino in omni tempore, semper laus ejus in ore meo*, ut laudent eum in omnibus prosperis & adversis, beneficiis & pœnis, & ut, cùm non possunt Deum laudare verbis & factis, vitaque sancta, laudare saltem voluntate & corde conentur.

LV. ENCOMIVM HVMILITATIS.

EXORDIUM *ducatur* ab illustri hac sententia S. Augustini; *Sicut*, ait, *Rhetor ille nobilissimus, cùm interrogatus esset, quid ei primùm videretur in Eloquentiæ præceptis observari oportere, pronuntiationem dicitur respondisse: cum quæreretur quid secundo, eandem pronuntiationem, quid tertiò nihil aliud quam pronuntiationem dixisse: sic si interrogares, & quoties interrogares de præceptis Christianæ Religionis nihil me aliud respondere, nisi humilitatem liberet, etsi forte alia dicere necessitas cogeret.*

PROPOSITIO: Te igitur Auditoribus in memoriam revocaturum, quanta sit virtus humilitatis, idq; eo libentius, quòd non dubites eos huius virtutis esse alumnos & cultores.

Matt.5.v.5. Ca.11.v.29. Hier.epi.29. & 14. I. CONFIRM. LOCUS, *sit præstantia & dignitas huius virtutis*, quam inde cognoscimus, quòd Christus cœlestem suam doctrinã in monte discipulis traditã, ab ea exorsus sit, & quòd illius solius & mansuetudinis professus sit se esse doctorem. Hinc enim veteres Patres humilitatem faciunt propriam & primam Christianorum virtutem.

II. *eius-*

II. *ejusdem necessitas*, quam non obscurè indicavit Christus, cùm ad quæstionem discipulorum, quis major esset in regno cœlorum, advocato parvulo, respondit: *Amen dico vobis, nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Eadem insinuant SS. Patres, cùm eam faciunt fundamentum, firmamentum, custodem, caput, radicem, & originem omnium virtutum. Certè absque eius beneficio ad virtutum perfectionem nequit perveniri, imò sine ea reliquæ virtutes subsistere non queunt. Hinc S. Gregor. in 3. Psal. Pœnit. *Qui sine humilitate virtutes congregat, quasi in ventum pulverem portat.* & Hom.7. in Evangel. *Si qualibet bona adsint opera, nulla sunt, nisi ex humilitate condiantur. Miranda quippe actio cum elatione, non elevat, sed gravat.* Adhæc constat inter pretiosa Dei dona numerari Virginitatem perpetuam: & tamen S Bern. ait Hom.1. super Missus est: *Laudabilis virginitas, sed magis necessaria humilitas, illa consulitur, ista præcipitur. Sine humilitate, audeo dicere, nec virginitas Mariæ placuisset.* Mat.18.v.3.

III. Eius *multiplex utilitas.* PRIMA, quòd una hæc præ cæteris Deo grata sit, & ab eo veniam peccatorum atque gratiam impetret. Hinc David Psalm. 101. v. 18. *Respexit in orationem humilium, & non sprevit precem eorum.* Psalm. 112. v. 6. *Humilia respicit in cœlo & in terra.* Psal. 50. v. 19. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* & Syr. 35. vers. 21. *Oratio humiliantis se penetrabit nubes.* & Esa. 6. v. 2. *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu & trementem sermones meos?* Et B. Virgo Maria, *quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles.* Et Jacob. c.4. v.7. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Inde S. August. (lib. 3. de Doctr. Chr. c. 23.) *Nulla ferè pagina est sanctorum Librorum in qua non* Luc.1.v.48.

ſonet quod Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.

Secunda, Quod mereatur vitam æternam. Hinc Job.c.22. v.29. *Qui humiliatus fuerit; erit in gloria; & qui inclinaverit oculos, ipſe ſalvabitur.* Et Chriſtus Matth. 5. v. 2. *Beati Pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* & Luc. 14. v. 11. *Quiſe humiliat exaltabitur*: quæ ſententia ſæpius in Evangelio repetitur. Vnde Apoſtolus ad Phil. 2. v.8. cum dixiſſet, Chriſtum ſeipſum humiliaſſe uſque ad mortem crucis, mox ſubjecit: *Propter quod Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.*

Tertia, Quod mentem noſtram clarius illuſtret ad percipiendas res divinas, juxta illud Salom. Prov.11.v.2. *Vbi eſt humilitas, ibi eſt Sapientia*: & Chriſti (Matth.11.v.25. *Confitebor tibi Pater, quia abſcondiſti, &c.*

Quarta, Valet ad frangendas & expugnandas omnes dæmonis tentationes & machinationes: quia dæmon per ſuperbiam fœlicitate æterna excidit. Vnde Chriſtus diſcipulis gloriantibus de ejectione dæmonum, eis in memoriam revocavit cauſam lapſus eorum, dicens: *Vidi Satanam ſicut*
Luc.10.v.18 *fulgur de cœlo cadentem.* S. Antonius Eremita, teſte S. Athanaſio, dicere ſolebat, dæmonem nil pejus odiſſe, quàm humilem & Dei amantem: idemque cùm per viſum mundum laqueis plenum ſpectaſſet, Dominumque rogaſſet, quæ ratio evadendi eſſet, reſponſum accepit, evadi per humilitatem.

Quinta, Eſt ſignum præſentia ſpiritus Sancti,
Lib.35.Mor. 6.ult. imò & teſte Gregorio, electionis, æternæ, juxta il-
Luc. 17. v. 10. cum feceris, &c. lud Eſaiæ ult.v.2. *Super quem requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem & quietum?*

In Peroratione *incitabis Auditores*, ut ſtrenuè pergant in hac ſe exercere virtute, ſe ſemper Deo ſubjiciant, nunquam ulli hominum antepo-

ponant,

ponant, eò submissius absq; omni dolo ac fuco ex corde se gerant, quò ad majorem honorem evecti sunt: non solùm sermone actioneq; externa se deprimant, sed revera in animo humiliter de se suisque meritis sentire, & virtutes suas, quò melius eas conservent, occultare discant.

LVI. PARÆNESIS AD OBEDIENTIAM.

EXORDIUM *ducetur à χρεία & egregio dicto Pauli Æmilij*, qui apud Plutarchum ad Persem Regem Macedonum jam captivum, *Virtus*, inquit, *magnam conciliat vel apud hostes reverentiam afflictis*: Hoc *Primo inductione aliquot exemplorum singularium confirmabitur*. Sic enim Brutum ferunt virtutis causa vulgo charum, amicis dilectum fuisse, admirationi optimo cuique, odio venisse ne hostibus quidem. Cum Scipio Africanus in exilium voluntarium cessisset, prædones quidam eum salutatum venerunt, ut tantum virum intuerentur, dextramq; illius fide & victoriis præstantem contingerent. Tiberius Gracchus, cùm Censor Romæ fuisset, & bis Consul, duosque triumphos reportasset, dignitatem tamen quæsivit ex virtute majorem. Agesilaus interrogatus, quomodo quis maximè probaretur apud homines, respondit, si dicat optimè, & faciat honestissimè. *Deinde à genere ad speciem descendendo*, etsi tanta vis sit omnium virtutum, ut non solum probos, sed improbos etiam ad se amandum alliciant; tamen cum primis eam in obedientia virtutum matre elucere docebitur, propterea quòd (ut ait Greg. in Moral.) sola obedientia virtus sit, quæ cæteras virtutes menti inserit, insertasq; custodit.

PROPOSITIO. Tibi igitur certum ac deliberatum esse ad hanc virtutem tam salutarem, tam necessariam omnes excitare & inflammare.

CONFIRMATIONIS I. ARGUMENTUM, *à causa efficiente, seu auctore*, quòd huius virtutis auctor Deus sit, & divinus in homine Spiritus. Hinc enim homini suam largitur gratiam, ut bene agere possit, quam homo deinde exercere debet, ut aliquando cum fœnore reddere queat, & exaudire exoptatissimam illam vocem Dei sui: *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Cùm ergo homo tantum in hac virtute exercenda habeat adjutorem, non debet suam quatulamcunq; opellam negare, sed libentissimè ducem suum & adjutorem sequi, ne accepta gratia rursum ei auferatur, & detur utenti, quemadmodum futurum ipsa veritas testatur. Hinc est, quòd hac virtute præditos in primis legamus, qui singulari Dei gratia donati fuerunt. *Noe* (quem Ecclesiasticus cap. 44. perfectum & justum inventum esse asserit) promptè obedivit Deo in omnibus, quæ ei instante universa cluvione terrarum facienda præcepit. Genes. 7. *Abraham* gravia Dei præcepta diversa, abscissa omni mora, implere paratus fuit, suavissimam patriam dereliquit, & ad filii immolationem, (quem admirabili amore prosequebatur) tanquam ad exquisitarum epularum convivium invitatus properavit. *Christus* huic uni curæ incubuit, hoc tanquam jucundissimo cibo animum ab immensis laboribus recreavit, hoc unum negotium suscepit, ut Patri obediret, & opus compleret, ad quod efficiendum missus erat. Vnde B. Bern. *Mementote fratres Christi, qui ne perderet obedientiam, voluit perdere vitam, Apostoli* continuò relictis, &c. Matth. 4. Marc. 1. Luc. 5.

2. Pet. 21. *Gen. 22.* *Iosephi 1. Antiq. Iud. c. 14.* *Matth. 26.* *Marc. 14.* *Luc. 22.* *Ioan. 4. 5. 14* *Philip. 2.*

1. Reg. 15. v. 22. II. *ab adjuncta dignitate & præstantia Obedientiæ*, quam ostendunt verba Samuelis Prophetæ ad Regem Saul. *Melior est obedientia quàm victima, &c.*

Quæ

Quæ verba expendens S.Greg. *Obedientia*, inquit, *victimis jure præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò voluntas propria mactatur. Tanto igitur quisque Deum citius placat, quanto ante ejus oculos repressa arbitrij sui superbia, gladio præcepti se immolat, &c.* Quia ergo victimis & sacrificiis excellit, & cum aliæ virtutes morales propter Deum aliqua alia solùm bona contemnant: ipsa verò propter Deum propriam contemnat voluntatem, admodum eam nobilem & præstantem esse oportet.

III. *à necessitate*, quam ubique Divina Scriptura inculcat.

PRIMÒ, Cùm docet Deo esse obediendum. ejusque leges observandas. a.

SECUNDÒ, Cùm docet obediendum superioribus hominibus. b.

TERTIÒ, Cùm inobedientibus comminatur gravem pœnam. c.

IV. *Ab effectis, seu commodis.* Nam maximum eius esse fructum facilè colligitur ex verbis Pauli ad Heb.13.v.17. *Obedite Præpositis, &c.* Si enim non expedit nobis, ut Præpositi gementes nobis imperent, quando ægrè obedimus; è contrario certè expedit maximè, ut promptè pareamus.

PRIMO, est mater custosque virtutum, (ut eam appellat August.) quia inobedientia fuit parens omnium vitiorum Hinc B.Greg. *Obedientia virtutes cæteras menti inserit, insertasq; custodit.*

SECUNDÒ, valet ad vincendum seipsum, omnesque cupiditates, nec non dæmonum machinationes. Hinc Salomon: *Vir obediens loquetur victorias*; & Greg. *Victima sunt obsequia obedientium: quia cum hominibus pro Deo subjicimur, superbos spiritus superamus. Cæteris quidem virtutibus dæmones impugnamus, per obedientiam vincimus. Victores ergo sunt qui obediunt: quia cùm voluntatem suam aliis*

(a) 1.Reg.15. Ier.35.v.3. Act.5.v.29
(b) Deu.17.v.10. Matt.23.v.3. Heb.3.v.17. 1.Pe.2.v.13
(c) Isa.1.v.20. Deu.17.v.2.c.21.v.18. 2.Th.3.v.2.
Lib.35 Mor c.12. Prov.21.v.28.
Lib: 4. Reg. c.4.

perfectè subjiciunt, ipsi lapsis per inobedientiam Angelis dominantur.

TERTIÒ, Facit nos gratos Deo (Gen.22. v.16.) ait Deus ad obedientem Abraham: *Quia, &c.*, & exaudiri orationes nostras apud Deum. Hinc Greg. *Si obedientes fuerimus Præpositis nostris, obediet Deus orationibus nostris.* & Aug. *Citius exauditur una oratio obedientis, quam decem millia contemptoris.* 1. Joan.3. *Si cor, &c.* Heb. *Exauditus, &c.*

Lib. de opere Monach.

QUARTÒ, Obedienti obediunt & Creator & creaturæ. Jos.19. Sol, imò & ipse Deus Josue obedivit, Exod.14. mare Moysi.

Vide Theatrum Vindictæ Divinæ. Num.16.

His oppones effecta inobedientiæ. Certè nunquam impunè evaserunt, qui extiterunt contra magistratum rebelles. Cùm Dathan, Abiron, & Core adversus Moysen turbas excitarent, non vulgari Deus inobedientiam illorum ultus est supplicio; sed hiatu terræ sic absorberi fecit, ut nullum extaret omnium illorum vestigium. Inobediens filius Davidis Absalon ut perierit, dum adversa parenti signa temerarius inferret, videre est, 1.Reg.24. Quid Adamum & Evam ex illa sacrorum hortorum amœnitate exturbavit? Inobedientia, seu quod dicto audientes non fuissent.

Protasin comparationis inductione prolixa expolies.

V. ARGUMENTUM *à comparatis.* Si videamus æterno divinæ mentis imperio cœlum, terram, maria, universamq; mundi fabricam regi, nec eam legem transgredi, quā à principio ipsi naturæ totius Rector imposuit; multo certè magis nos, quorū gratia hæc omnia, quæ cernim⁹, effecta sunt, illi obedire debemus; vel quia soli in omni mundo, quē intuemur oculis, numē illius, quoad fas est, mente concipimus; vel quia divinis ab illo munerib⁹ ornati & instructi sumus; vel quia voti compotes esse non possumus nisi nos totos ad dictum illius imperium adjunxerimus; vel postremò quòd ad ejus obedientiam fœdere sanctissimo astricti & alligati sumus.

Apes

Apes obediunt Regi suo, grues duci suo, oves pastori, mare influentiæ lunæ, globi cœlestes primo mobili, omnia deniq; inferiora superioribus parent; & solus homo superbus obedire recusaret? Ambrosius in Hexa. *Non mediocris pudor est imperio Dei insensibilia elementa parere, & homines non obedire.*

Vide Hier. epist. 4. Nota quomodo natura & ratio doceat esse parendũ.

Iterum à comparatis. Romani non eos milites probabant, qui sine gravi causa in pericula furenter irruebant; sed qui locum sibi assignatum constanti animo retinebant Neq; eos, qui laudis inanis studio ordinem turbabant; sed qui, ne quidquam contra jussum Imperatoris efficerent, manus, cum signum receptui dabatur, ab hoste etiam perculso & abjecto continebant. Qui igitur Imperatoris injussu dimicabant, temeritatem illam extremo supplicio luebant, usque adeò ut Manlius Torquatus, vir fortiss. & Imperator optimus, militaris disciplinæ sanciendæ gratia, filium, singulari virtute præditum, securi feriri jusserit, quia parentis injussu hostem, à quo fuerat ad pugnandum provocatus, occiderat. Is igitur illis optimus miles habebatur, qui optimè parere didicerat. Obediendo assequebatur, ut aliis imperaret. Itaq; ordinatim alias atq; alias præfecturas obtinebat, quib⁹ indigni ptotsus habebantut, qui præfectorũ imperium non eadem alacritate conficiebant. Sic autem multi ad summum tandem imperiũ, quamvis essent infimo loco nati, perveniebant.

Spartanorum pueri, etsi ad aram Dianæ sic verberibus acciperentur, ut multus è visceribus sanguis exiret, nonnunquam etiam ad necem, tamen eorum non modò nemo exclamavit unquam, sed ne ingemuit quidem. *Cic. Tuscul. 2.*

Apodosis comparat. Si Ethnici obedientiam coluerunt diligentissimè, multò magis nos qui Christiani & sumus, & esse volum⁹, eam colere debemus,

à pronuntiatis divinis, ad Roman.13. ad Ephes. 6. ad Col.3 ad Heb.13.

Quintil. l.2. Orat. Instit. c.10. Vt cera igne calefacta facilè flectitur, sic igne divini amoris, qui sunt incensi, facilè obediunt. Vide Arist. 8. Pol. 6.15.6.7.

EPILOGUS *repetet præcipua argumenta, cum exhortatione* ad obediendum Deo & hominibus: *Parentibus*, quorum ope in hanc lucem editi & labore liberaliter sumus educati: *Præceptoribus*, quos Ethnicus scriptor à discipulis non minoris quàm ipsa studia faciendos esse ait gravissimè; ego Christianos, fidos, verosque præceptores, qui vitam ac mores non minus quàm ingenium excolunt, Angelorum instar habendos affirmo constantissimè: *Omnibus* deniq; qui dignitate ac potestate quadam, sive in Politicis, sive in Ecclesiasticis Magistratibus gerendis præcellunt.

LVII. ENCOMIVM MVSICÆ.

EXORDIUM, *à causa, qua ad Musicam artem commendandam inductus es:* Si ipsa pro se apud vos Musica loqui vellet, Auditores, vosque ejus præclaram aut potius divinã vocem humanis auribus audire posseris, non vereret, ut quemadmodum eius aliquando alumnus feras etiã atq; agrestes bestias ipsius beneficio traxit & nemora; ita etiam ipsa non vos solùm, qui, omni humanitate exculti estis atque expoliti, sed quoscunque alios, quamvis immanes & barbaros, ad se audiendum allicere posset, ut nemo esset ex omnibus, tum qui non erigeret aures, animumque attenderet; tum cui non summam illa admirationem cum pari assensione conjunctam commoveret. Sed quoniam aspectabilis illius species, sive quorundam infensa sceleri, qui eius integritatẽ ac sanctitatẽ ab honesta detorquẽtes oblectatione animi, in depravatos quosdam usus impuramq; consuetudinẽ convertunt, sive propriũ illum suum & sibi convenientẽ adepta locum, ad cœleste domiciliũ evolavit, nec desunt tamen præcipiti homines audacia, qui in procrea-

procreatricem illam virtutum & artium contumeliosè invehuntur, nec verentur se tam immamani parricidio inquinare: dabis hanc veniam justo dolori meo, mater sanctissima, si quemadmodum fideles catuli pugnantem dominam, quam morsu nequeunt ac dentibus, latratu saltem adjuvare conantur & cursu: sic tuum ipse decus, & ornamentum, quod multis esse videtur ad lacerandum expositum, si non gravi & ornata oratione, certè tamen grata & egregia voluntatate defendam. Quanquam necesse prorsus non erat eorum quicquam respondere obtrectionibus, quorum & contemnendum omnino judicium, & irridenda prorsus oratio videtur. Quid enim aut eorum judicium te formidem, qui, ut ægroti stupore sensus in ciborum sapore falluntur, sic mentis stupiditate non rectè possunt de rerum vi & natura judicare? aut eorum quid metuam orationem, qui Musicæ quod deesse ad laudem & ad gloriam quomodo possint docere non video? An dicent, ei deesse *antiquitatem*? quæ, ut omittam cœlestia in ipsius prope nascentis mundi incunabulis cum mortalibus apparuit. An *dignitatem*? qua divinæ humanæque laudes summa cum voluptate celebrantur, eamque ob causam in cælum videtur ascita. An *utilitatem*? quæ una homines docuit deponere mœrorem, & fractas animi ac corporis vires restaurare.

Propositio: Audite verò, Adolescentes optimi, audite commilitonem vestrum de *Musica antiquitate, dignitate,* ac *utilitate* differentem simpliciter atque brevissimè. Neque enim faciendum est, ut nostra speciosa magis ac magnifica, quàm solida ac vera fuisse videatur oratio.

Confirm. I. Argum. *ab antiquitate.* Atque ut à vetustate potissimum exordiar, legite veterum historias, percurrite annales, evoluite diligenter

rerum antiquarum omnia monumenta, nullam profectò post homines natos scientiam, nullam artem, sive inscriptam libris, sive insculptam lucẽ animis ante eam fuisse reperietis, qua primi illi parentes, humani generis principes, aut votis suscipiendis, aut gratiis agendis bonorum omnium authorem Deum venerabantur.

Gen. 4.

Certè *Tubalem* Lamechi filium, qui ex Caini stirpe ab Adamo septimus fuit, patrem fuisse accepimus *cithara canentiũ & organo*: ex quo facilis conjectura est, ante eum fuisse alios, qui assa, ut antiqui loquebantur, voce, id est, sine fidibus & tibiis cecinissent.

Moyses in antiquissimo suo historiarum Libro, cujus quot sunt verba, totidem videntur esse oracula, cùm instinctu omnia scripserit afflatuque divino, is, inquam *Moyses*, quem Aegyptiacarũ omnium artium disciplinis accepimus fuisse instructissimum, ante se præclarum illud Dei donum, Musicam, inquam, extitisse, expertissimè indicavit: Nã cum saluum atq; incolumem trajecisset populũ, quem suæ habebat fidei commissum, & jam cuncti aquas, hinc & illinc, ut planam aperirent transeuntibus viam, conglobatas novo illo & inusitato prodigio, pedibus peragrassent, iisdem extinctam aquis atque opertum hostium omnem vidissent exercitum, nihil prius habuit aut antiquius, quàm ut, convocato unum quasi in chorum, innumerabilium virorum agmine, rerum omniũ moderatori & admirabilium effectori Deo insignem illam gloriosissimamq; victoriam suavissimo concentu musico, & grandi quodam ac magnifico carmine gratularetur. Quod virorum exẽplum secutæ altera ex parte fœminæ illud ipsum carmen, verborum sonum pulsu æris modulantes, incredibili voluptate cecinerunt.

Cultores Musices. Etiam ethnici musicã sacris & publicis caremonÿs exhibebãt: in deorũ enim pulvinaribꝰ & epulis magistratuum fides pracinebãt.

II. *à dignitate*, quia usus ejus tam in Dei populo, quàm inter Ethnicos viguit. Reges, Patriarchæ,

& Prophetæ usi sunt ea ad laudandum Deum, ad agendas Deo gratias, ad beneficia ejusdem celebranda; & posteritati commendanda. Vbi sunt ea *Moyses, David, Salomon, Esaias.* David etiam Musicos ordinavit ad laudandum Deum, cùm arca deduceretur Hierosolymam. 2. *Par.* 15. & doctores 280. constituit, qui erudiebant canticum Domini. 1. *Par.* 15. adhæc majestate ac dignitate omnes artes antecellit ars illa, quæ apud veteres tantum studii & venerationis erat assecuta; ut nemo citra hujus cognitionem satis liberaliter eruditus haberetur. *Themistocles*, &c. 1. *Tusc.* ideo olim nobilium filii æquè Musicam ac Grammaticam discere consueverunt. *Arcades* in ea non solùm pueros, sed etiam adolescentes & iuvenes usque ad annum 30. exercebant, homines alioqui valdè austeri. Apud *Græcos Osiris*, aut *Dionysius*, (eundem enim virum duplici hoc nomine intelligi permulti è Græcis voluerunt) cũ exercitũ duceret, essetque in eo mirus quidam lepos & amor jucunditatis, suis in castris egregias quasdam virgines, quas Musas postea nominarunt, habuit perfectas in Musicis, omniq; rerum scientia & suavitate cantandi Rex ille sapientissimus à tanto illo armorum strepitu, ac turbarum sono avocabat animum interdum eum ut relaxaret, & honestissima voluptate frueretur.

Luc 9. 2. *Reg.* 6. *Gen.* 5.

Musica cognitio apud Græcos stãtà laudi ducebatur, ut cõtra ignoratio probro verteretur.

III. *Ab utilitatibus*, quæ ex mirabilibus ejus effectis colliguntur. Nam PRIMÒ, hoc Dei dono Spiritus S. utitur ad animos hominũ cælesti quadam virtute imbuendos, magna ipsis tradendo mysteria, ut in Psalmis. SECUNDÒ, fugat dæmonẽ. 1. *Reg.* 6. TERTIÒ, suscitat Spiritum Domini ad prophetandum in Prophetis. 4 *Reg.* 3. Elisæus vaticinaturus Psalten vocat. Sic prophetabant filii Prophetarũ psallendo, cantando, choros ducendo. QUARTÒ, Etiam alienigenæ gentes, veri Dei cultũ ignorantes, Musicam à Deo hominũ generi ideò datam esse

esse cessent, ut ea & defatigatam naturam recrearet, & mores mitiores & magis compositos redderet, & denique affectus moderaretur, sic enim divinus ille Plato *in Timæo*, quem Cicero in Geometria & Musica præstantissimum fuisse asserit, quique, ut & reliqui authores classici, vix ac ne vix quidem, ab eo, qui Musicam non didicit, intelligi potest, & Aristoteles *lib.3. Polit.* disertè testantur. Neque solum Musica ad mœrorem sedandum, mores mitigandos, affectus leniendos & concitandos plurimum valet; sed etiam ad fallendum labores. Hinc Ludovicus Vives ait: *Musica hominibus à Deo data est non lasciviæ vel deliciarum causa; sed ut labores assiduos, asperitatem vitæ, austeriores mores hac quasi dulcedine molliant, ac contemperent.* Imò Musica est prope domina & moderatrix animorum, quos movet, sedat, intendit, remittit, perturbat, tranquillat, incitat, reflectit prout utuntur Musici, aut incitatione modorum, aut tarditate cantus. Quod docuit Pythagoras in iis adolescentibus, qui cùm instructi tibiis, & stimulati vino, jamjamq; mulieris fores effringerent, admonuit tibicinem Spondeum ut caneret, eorumque petulantiam hac ratione repressit. Sic & Antigenides cùm certo modo inflasset tibias, compulit Alexandrum quasi actum furore, anhelantem cædē, Martemque spirantem surgere è cœna, arma poscere, equum ascendere; cum rursus alio cecinisset modo, cōfecto veluti bello, partaque victoria, desilire ex equo, arma ponere, redire ad hilaritatem cōvivii.

D. Iacob. tristes psallere jubet. Virg. Ecl.4, Hinc. &c.

Equi in bello tubarum clangore arrecti stare loco nesciūt, ac in certamē ruere ardēt.

IV. *à jucunditate*, de qua consule Macrobium (in Somnium Scipionis) & Antonium Maioragium, Orat. de Musica.

In EPILOGO *monebis studiosos*, ut diligentem quidem huic arti navent operam, sed diebus duntaxat lusionum: ut ea ipsis sit, non ἔργον, sed πάρεργον:

γον: ἥδυσμα, in ſtudiis, non ἔδεσμα: condimentum, & jucundum πώδδημα δαίτ☉, non quotidianum pabulum ac nutrimentum.

LVIII. DE SANCTIS Angelis.

EXORDIUM *ducetur à circumſtantia temporis.* Ante aliquot ſeptimanas propoſuit Eccleſia Dei meditandam doctrinam de Sanctis Angelis, & celebravit φιλανθρωπίαν Dei, qui tam præſtantes humano generi cuſtodes à principio addidit, ut eorum miniſterio adverſus furores Satanæ, & multiplicia pericula vitæ defendatur genus humanũ. Decet igitur & nos, qui in ſtudiis litterarum verſamur, hoc beneficium miniſterii Angelorum recolere, cùm Eccleſiæ & Scholarum una & conſentiens vox eſſe debeat.

Vel ab Exẽplo Ethnicorum, qui cũ ſoleant iis honores decernere, qui Rem. ab hoſtibus defenderunt, multo magis decet eorum nomẽ celebre reddere, qui non ſolum Chriſti Rẽp. ab hoſtibus defendunt, ſed & animas ab æterno interitu liberant. Oppoſita juxta ſepoſita magis eluceſcunt.

PARTITIO. Dicã igitur primò de officiis Angelorum in Eccleſia; tum quid in Rebuſp. agant; ultimò quantas res in œconomiis gerant, pro virili exponere conabor, quibus abſolutis finem dicendi faciam.

CONFIRMATIONIS. I. Pars *docebit*, quantas res pro ſalute Eccleſiæ gerant Angeli, quæ, ut clarius conſpici poſſint, primum OPERA MALORUM SPIRITVUM, quæ in perniciem Eccleſiæ moliuntur conſiderabis. Duæ proprietates tribuuntur Diabolo à Filio Dei, quòd ſit mendax, & homicida. Eſt certè artificioſiſſimus pater mendaciorum, quæ tanta audacia, atque ideò venuſta veritatis ſpecie ſparſit, ut ea animis hominum haud difficulter inſerat: quod ubi perfecit, ſemel concepto veneno miſeras animas in æternũ præcipitat exitium. *Amplifica hoc conſequentibus effectis.* Hinc tanta falſarum opinionum & impiorum dogmatum ſeges ut penè arenam maris citius numeres, quàm omnes temporum ſectas, ſeu pravas de Religione ſent

Singulis momentis quaerit, si quem suis praestigiis circumventum, ad aeternas, nulloque tempore finiendas perducere possit poenas.

ſententias oratione comprehendere queas. *Periculum illuſtra comparatione.* Quare quanto anima præſtantior eſt corpore, tanto graviorem ſciamus eſſe hoſtem, qui non corporibus ſolùm; ſed & animabus æternum exitium machinatur. *Illuſtrentur hæc exemplis*, inter quæ eminet hiſtoria primorum Parentum, eos quàm inſidioſè excepetit, *diligenter expone*, & quanta calamitas, & quam triſtis ruina generis humani lapſum eorum conſecuta ſit, *indica.*

Amplificabis hoſtis inſignem audaciam, cum pari potentia conjunctam, quòd non dubitaverit ipſum filium Dei aggredi partim inſidiis, partim manifeſta vi Matth. 4. ubi caluminosè citat Scripturam. *Conclude ex maiore.* Si Chriſtum aggredi non eſt veritus, multò minus parcet nobis.

Psalm. 94.

Huc refer Parabolam *ex c.* 13. *Matth.* de inimico ſeminante zizania, & verba ipſius ex c. 18. lib. Paral. *Ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum,* Hanc vim ſuam in omnibus Pſeudodoctoribus oſtendit, quod *comprobabis Exemplis*: Statim poſt Aſcenſionem Chriſti, vivente adhuc Ioanne Apoſtolo excitavit Ebionem, Cerinthum. Item S. Paulo Apoſtolo aſſiduum certamen fuit cum Pſeudo Apoſtolis. Paulò poſt excitavit Arrium, Manichæos, Donatiſtas, Pelagianos. His temporibus furores Sectariorum noti ſunt.

Exaggeratione hic ſignifica, hinc etiam eſſe portentoſam illam multitudinem Deorum apud Ethnicos excæcatos. *Tum deſcende ad alteram Diaboli proprietatem.* Quia cernit Diabolus, ſe mendacio non penitus delere Eccleſiam poſſe, rem aperto Marte aggreditur, & ſummos quoſque gubernatores odio Eccleſiæ inflammat, ut eam ferro & igni perſequantur. *Probabis exemplis*; Abel occiditur à Cain, populus Iſrael in Ægypto, & in Iudæa premitur, Prophetæ occiduntur, Apoſtoli eorumq; auditores,

ret, partim male mulctati, partim interfecti sunt. *Adde caussam finalem huius furoris*: ut Ecclesia funditus deleatur, ne sit semen aliquod sanctum Deum rectè invocans & celebrans. Non enim sui emolumenti caussa furit in genus humanum; sed gratis malitiosus est, ut duntaxat odium suum, quod adversus Deũ semel concepit, quoquo modo expleat, & multos ex hominibus habeat æternorum cruciatuum socios: posteáquam enim ipse regno beatititudinis excidit, hominibus æternam beatitudinem invidet.

Opera Angelorum, quibus Ecclesiæ serviunt, & damna à malis Spiritibus ei allata propulsant, *tractabu per antithesin*. Sunt enim veraces, amantes constantissimè veram de Deo doctrinam, ejus propagationem magno studio adiuuant, ac nostra salute mirice lætantur.

Huc *refer exempla ex Historia Evangelica desumpta*: Quomodo nuntiaverit Angelus Conceptionem Christi, & docuerit Josephum Mariam concepisse de Spiritu sancto: quomodo Christi Nativitatem pastoribus revelarint Angeli, eamque lætissimo cantico celebrarint: quomodo curam egerint nati infantis, ne ab Herode interficeretur. Itẽ quomodo Resurrectionem, & Ascensionem Christi ad cælos discipulis & mulierculis indicarint, *Adde Epiphonema*: ita præstantissimi Spiritus non dubitant sua voce concionari generi humano de præcipuis articulis nostræ Fidei, ut multos habeant æternæ beatitudinis socios.

Accede ad considerationem beneficiorum corporalium. Hostibus Ecclesiæ acriter resistunt, eamq; contra manifestam vim defendunt: Ps. 34. *Castra* &c. *Proba exemplis* 4. Reg. 6. Angeli Elisæum Syrorũ multitudine circumdatum defendunt, & ministro ei9 aperiuntur oculi, vi videat montem plenum equorum & curruum, qui Angeli fuerunt. Itẽ Angelus mo-

monet magos, ne redeant ad Herodem, Act. 5. educit Apostolos ex carcere Act. 12. liberat è carcere D. Petrum. Nec desunt nostra ætate exempla.

Vide Triumphum seu præmia Virtutum.

Post hac congerie quadam amplifica conatus Diaboli in turbando ordine Politico. Quoties enim instinctu ejus horrida bella mota sunt, quæ vastationes Imperiorum conjunctas habent? quoties imbellis multitudo puerorum, virginum, mulierum, senũ, turmis equitum immissis conculcata ac trucidata est quoties seditiones horrendæ motæ; quoties in obsidionibus decimati exercitus? quoties obsessi urbes inflammârunt, & in ignem se conjecerunt? *Adde* unam atque alteram veterem historiam, maximè memorabilem; item recentem aliquam, ut seditionem rusticorum, vel bellum Germanicum, in quo multa horrenda à peregrinis militib9 commissa sunt.

Piis ac sapientibus Magistratibus Diabolus, caussas dissensionum seminat, excitat malos consiliarios, & inquieta ingenia, ut publicam tranquillitatem turbet, nulla sit hominum consociatio, & deletis Imperiis ac turbatis Rebuspublicis, non sit locus Ecclesiæ.

Ab antithesi expone OPERA BONORVM ANGELORUM *in ordine Politico conservando, eaque declara exemplis,* Dan. 10. narrat Angelus, se restitisse Diabolo in aula Regis Persici, ne turbaret Imperium. 4 Reg. 10. Angelus Domini interficit exercitum Assyriorum, qui venerat adversus Ezechiam. *Adde brevem admonitionem,* ut cogitent singuli, se in his regionibus divina misericordia præsidio Angelorum defensos esse, & ut petant porrò custodiam Angelorum, qui Diaboli furores reprimant.

Quibus insidiis & fraudibus conetur Diabolus turbare ordinẽ Oeconomicũ *sic expone.* Multis machinis conjuges oppugnat; variis & vanis curis & cogitationibus de victu, de periculis sibi & toti fami-

miliæ impendentibus conatur adigere ad desperationem; seminat odia, discordias, rixas; obruit contumeliis,& calumniis, &c. Adhæc tanta ejus est rabies adversus miseram & imbecillem puerorum ætatem, ut singulis propemodum horis nova consilia in eorum perniciem meditetur: nunc præcipitat ex alto pueros, nunc aquis immergit, nũc igne lædit, nunc ruina alicujus molis obruit, nunc alio instrumento periculoso sauciat: & hoc agit, ut non ipsos liberos duntaxat tragico casu tollat è medio sed ipsos etiam parentes luctu & mœrore extinguat. Quanto ipsam familiam furore incitet ad impietatem, mendacia, & contumaciã erga dominos, quibus cũ familia, veluti cum viperis, assiduo luctandum est, *præteritione quadam tractabis.*

A contrario describe bonorum Angelorum curam pro statu œconomico. Pro conservatione hujus grad9 vitæ ἀσφαλοῦς bellum gerunt Angeli cum Diabolis. Rem enim œconomicã omnib. modis promovẽt, insidias Diaboli aut antevertunt, aut evertunt, cõjuges, liberos, & familiam adversus omnia pericula defendunt. *Confirma testimonijs Scripturæ* Ps.93. *Angelis suis*, &c Ps.33. *Angelus Domini in circuitu timentium Deum. Adde Exempla SS.* Patres veteris Testamenti sæpe cũ magnis familiis vagantes per loca periculosa defensi sunt ab Angelis, ut *Iacob* cum tota familia præsidio Angelorum munitus fratri Esau irato venit obviam, ac ab eo non inhumaniter excipitur. In historia *Tobiæ* illustria sunt Exẽmpla, quomodo Angeli curent pios conjuges, & eorum liberos, & multa incommoda domestica partim tollãt, partim mitigẽt *Agar* in deserto cõsolationem accepit ab Angelo. Præcipuè verò Angeli amant & fovent teneram puerorum ætatem, propterea quòd ea ætas nõ ira horrẽdis inquinata est sceleribus quantis grandior ætas contaminatur. *Proba à testimono parentum*, qui verè fatentur,

Vide libellũ de Sodalitate Angelica.

Vident faciẽ Patris &c.

fieri non posse, ut vel unum infantem educent sine singulari Angelorũ præsidio. *Item à testimonio piorum*, qui mirandam ex periculis liberationem consueverunt attribuere & ascribere præsentiæ Angeli.

Hic descende in vicinum locum de assidua cura Angegelorum, quæ agmen scholasticum tuentur. Et hic commemorabis furores, & insidias Diaboli adversus hunc cœtum, cùm sciat Scholas esse fontem horum trium Ordinum in vita, Ecclesiastici, Politici, & Oeconomici. Turbato igitur & infecto hoc fonte, non erit ei difficile reliquos gradus vitæ insigniter labefactare.

E contrario amplificabis studium Angelorum in hoc cœtu defendẽdo. Quoties enim eripiũt studiosos ex locis periculosis, veluti ex quodam incẽdio? quoties ex pravo sodalitio, veluti lue quadã latè grassante, eos retrahunt? Nam cum in cœtu scholastico plurimos labores generi humano salutares esse possunt, veluti pædagogi eos sectantur, deducunt in scholas, reducunt, assident ipsis, & Diabolorum furores arcent.

Comproba dicto S. Augustini: *Magna cura & vigilanti studio adsunt nobis Angeli omnibus horis & locis, succurrentes & providentes necessitatibus nostris, sollicitè discurrentes inter nos & ad te, Domine gemitus nostros, & suspiria referentes: ambulant enim nobiscum in omnibus viis nostris, intrant & exeunt nobiscum, attentè considerantes quã pie quam honestè in medio, pravæ nationis conversemur, quantoq; timore serviamus, & exultemus tibi in lætitia cordis nostri. Adiuuant laborantes, protegunt quiescentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes, congaudent gaudentibus, compatiuntur patientibus.*

In CONFUTATIONE *respondebis huic Objectioni:* Quærat aliquis, qui fiat, quòd non omne malum depellant Angeli à cervicibus piorũ? id fit, partim

quia nostris peccatis eos abigimus, partim Dei concessu, qui suo certo consilio vult premi Ecclesiam, ut exerceatur fides, invocatio, patientia, & similes virtutes. *Hic digredere ad explicationem doctrinæ, quomodo sancti Angeli retineantur*. Retinentur vera animi pietate, & honesta morum gubernatione, hoc est, cùm ipsorum exemplo Deum rectè agnoscere, invocare & celebrare discimus, eum amamus, & veneramur, & ingens hoc Dei beneficium, quòd Angelos custodes donavit, grata mente celebramus: contra repelluntur & amittũtur impietate, blasphemiis, otio, impuritate sermonis & morum, tyrannide, & injustitia, & tum eorum in locum succedunt Diaboli.

PERORATIO *constabit adhortatione ad considerationẽ immensa misoricordiæ Dei & amoris, quo complexus humanum genus tam præstantes custodes ei addidit.* PRIMÒ, ut considerent genus humanum Deo curæ esse. SECUNDÒ, ut considerent nostram imbecillitatem, & potentiam Diaboli. TERTIÒ, ut considerent magna beneficia, quæ singulis momentis nobis præstant Angeli, dum defendunt Ecclesiam, Politiam, Oeconomiam, & cœtum Scholasticum. QUARTÒ, ut ament virtutes, & studeant retinere hos castissimos & fidelissimos custodes: *Ad extremum gratias ages Domino Deo*, quòd ministerio Angelorum hactenus nos defendit, *& precaberis eundem*, ut deinceps præsidio Angelorum nos defendere dignetur.

LIX. ELOGIUM AGRICULTURÆ.

INITIUM *huic Orationi dabis, si doceas*, olim consuetum fuisse Romanis, (qui certè inter priscas gentes optimè de rebus statuerunt semper, & judicarunt,) ut si virum bonum laudare vellent, cum *Vide Orat. Majoragii Praef. 7.*

bonum

bonum agricolam, bonumque colonum appellarent, cujus testem laudabis alterum Latinæ linguæ solem Varronem. Iidem gentium domitores consueverunt ipsis suis manibus triumphalibus colere agros, spargere semina disponere arbores, & arua metiri, quibus metati fuerant castra, quibꝰ gladios, pila, omneque bellicum instrumentum gloriosè pertractârant.

In PROPOSITIONE *pollicebéris*. Te de laudibus Agriculturæ breviter dicturum.

CONFIRMAT. I. LOCUS *rei dignitatem docebit à vetustate*. Etenim vita rustica urbanam præcessit longo temporis interuallo: ante urbes siquidem fuêre rura & rusticani ante urbanos. Certè Adamus, cùm sibi cum conjuge in mundi primordio consuisset femoralia, tum statim post abiit ad agros colendos, quò Dei jussu erat amandatus. Illustrissimus quisq; apud antiquos pastor fuit, aut agricola. Quid *Abel*, quid *Abraham Isaac, Moyses, Iacob*? Cum exactis Regibus Romæ publicum consilium cogebatur, à villis in urbem accersebãtur principes viri, unde viatoribus & accensis indita nomina, qui viam inirent, ut accirent Senatores in Senatum. *L. Quintius Cincinnatus*, ab aratro ad Dictaturam vocatus est. Cumque esset Consul designatus, inventus est ab illis, qui eum ad hunc Magistratum suscipiendum accersebant, tenere stivam. *C. Marius* primò agricola, postea miles, postremò Consul & Imperator præstantissimus populi Romani fuit. *Attilius Calatinus* ex agro quem serebat sua manu (unde *Seranus* cognominatus est) ad dictaturam vocatus est. *Cato Censorius*, omnium bonarum artium cognitione præstans, agri instruendi fuit studiosissimus. *Abdolominus* inter sulcos cùm versaretur, Regiæ Majestatis insignia abs Tyriis oblata suscepit. Denique à rebus rusticis sibi imposuerunt nomina

Columella. Cicero in Catone Maiore pro Roscio Amerino Dionys. Halicar. l. 14. Antiq.

Fa-

Fabii Lentuli, Cicerones, Pisones, & multi sunt Locupletes dicti, quòd locos, seu agros frugibus plenos possiderent.

II. Locus *proponet utilitatem Agriculturæ*, cujus hæc signa habeto, cætera ex Libello de senectute petituus. *Explicabis*, PRIMÒ, victum, quē agri, vineta, horti, pascua, piscinæ, vel etiā rivuli, qui prata interfluunt, hominibus præstāt. SECUNDÒ, *Probabis commoda agricultura ex sacris Literis*, quæ dicunt, Prov 28.c. *Qui operatur terram suam replebitur panibus*. Neq; solùm ad ipsos colonos spectat hæc utilitas sed ad universam Rempubl. ea quoq; diffunditur. Hinc Jure Civili constitutum est, ut vel tempore belli nulla molestia premantur, neque ab agris suis depellantur coloni. Taceo cæteras immunitates, quæ per leges tribuuntur agricolis. *Virg. O fortunatos nimium &c.*

III. Locus *docebit ejus jucunditatem*, de qua consule Catonem Majorem. *recensebis* autem eas præsertim voluptates, quas Vere Aestateq; percipiunt rustici, testemque cita Horatium: *Diodorus Siculus lib. 8.*

Beatus ille qui procul negotiis,
Vt prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis,
Solutus omni fœnore.

PERORATIO *perstringet* milites, agricolarum vexatores, & omnes eos, qui importunè contemnunt vitam rusticam. Non ita sentire *dices* nobiles Germaniæ, qui ruri penè omnes habitant. Non ita sensisse Maximilianum Rom Imp. Etenim Ænipontiū ingressus cùm videret in curia hæc carmina lapidi incisa:

Da Adam hackt vnd Eva Span/
Welcher war do ein Edelman. *Insbruck in Austria.*

Quando Adā fodiebat humū, & filū Eva trahebat,
Quis vir tum clarus nobilitate fuit?

Quid egit? num se eo versu contemptū putauit? Haudquaquam, imo se agricolis similē professus,

omnem nobilitatem Deo acceptam referebat, ut & quoscunq; sciret sibi à populo attribui honores: nam in hunc modum subjecit:

Jch bin ein Mann wie Jederman/
Nur das mir Gott der Ehren gan.
Sum reliquis par ipse viris; mihi favit honores,
Qui sola terrarum torquet ab axe Deus.

LX. DETESTATIO SIMONIÆ.

IN EXORDIO *dices* eos Simoniaca labe esse infectos, qui exemplo Simonis Magi Rem spiritualem, ut gratiam, Sacramentum Ordinis vel Ecclesiasticum beneficium, pecunia emunt, vel vendunt.

PROPOSITIO: Te Auditoribus hujus vitii fœditatem & incommoda in memoriam revocaturum.

CONFIRM. I. Locus *ab inhonesto*, quòd turpe sit Christianum Christi Legem non observare. At Christus Apostolis demandavit, ut prædicandi
Mat. 10. 8. miraculaq; patrandi munus nullo accepto pretio
Matth. 21. obirent. *Grati*, inquiens, *accepistis, gratis date*. Vnde
Ioa. 2. v. 14. & omnes vendentes & emẽtes Templo ejecit, &c.

Ad hæc SS. Patres in Simonis Magi, hujus vitii autoris & parentis, facto, quod describit S. Lucas,
Eph. 5. v. 5. Act 8. v. 9. quatuor notarunt flagitia. PRIMUM, tur-
Tract. 20. in pis lucri, seu avaritiæ, quæ teste Apostolo *est idolo-*
cap. 2. *rum servitus. Ideo* enim *volebat emere Spiritum san-*
Ioan. *ctum*, inquit B. Augustinus *quia vendere volebat Spi-*
Hæres. 21. *ritum sanctum, & multas pecunias*, ut loquitur Epi-
In Ps. 130. phanius, *cumulare ac lucrari*. SECUNDUM ambitionis: *quoniam*, inquit S Aug. *in mirabilibus ingredi volebat super se, propterea plus illum delectavit potentia Apostolorum, quàm justitia Christianorum, ubi vidit per manus impositionem Apostolorum, & per orationes eorum, Deum dare Spiritum sanctum.* TERTIUM, Sacrilegii: quia, ut D. Petrus ei objecit, donũ Dei existimavit pecunia possideri posse, hoc est, re pro fana sacratissimam, imò divinam gratiam, rem omni-

omnino cum pecuniæ mercede pugnantẽ. QUARTUM, Hæreseos: quia disertè asserit B. Petrus eum existimasse donum Dei pecunia posse possideri, quæ opinatio si pertinax sit, hæretica est. B. Gregor. indicat hanc hæresin omnium fuisse primam in Ecclesia. *Hæc est*, inquit, *hæresis, quæ ipsa nascentis Ecclesiæ rudimẽta tentavit, & ante alias hæresis prima apparuit.* Paschalis Papa apud Gratianum asserit, *omnia crimina ad comparationem Simoniacæ labis quasi pro nihilo reputari.* Tãta hujus vitii est gravitas & turpitudo. C.pat.19.7.

II. Locus à *deterrimis fructibus Simoniacæ labis.* Nã PRIMÒ, extrema fœditate animam hominis conspurcat: quam describit B. Ambros. dum agit de Episcopo Simoniacè ordinato, hisce verbis: *Oculis quidem carnalibus videtur quasi Episcopus magnus, at divinis obtutib. videtur leprosus magnus. Per pecuniam acquisivit indebitum Ordinem, & Deum perdidit in interiore homine. Caro suscepit dignitatem & anima perdidit honestatem. Caro ancilla domina facta est anima, & anima quæ erat domina facta est famula carni. Caro dominatur populis, & anima servit dæmoni, carni Sacerdotium comparavit & animæ detrimẽtum paravit. Quod dedit ut ordinaretur Episcopus aurum fuit, & quod perdidit anima fuit. Cum alium ordinaret quod accepit, pecunia fuit, & quod dedit lepra fuit. Hæc sunt mercimonia iniquorum in perniciem eorum,* &c. Li. de dign. Sacerd.c.5.

SECUNDÒ, Hęc labes sua cõtagione plures solet inficere; ad minimũ duos, ementem & vendentẽ.

TERTIÒ, Universum Ordinem Ecclesiastĩcum in summum adducit contemptum, & à fundamentis evertit. Hinc S. Greg. ad Brunichildem Francorũ Reginam inter cætera scribit: *Ubi dona superna gratiæ venalia judicantur, ad Dei servitium non vita quæritur, sed magis contra Deum pecuniæ fœnerantur.* Li.7.Epist. 8.

Syn. Oecum. Chalcedon. & Synod. 6.

III. Locus *à gravibus pœnis*; quas in Simoniacos Apostoli Summi Pontifices, & plurima Episcoporum Concilia partim Oecumenica, partim Provincialia decreverunt. Apostolorum Coriphæus B. Petrus primum Simoniæ parentē damnatione æterna dignum pronunciavit, cùm dixit. *Pecunia tua tecum sit in perditionem*, ut interpreatus est post B. Gregorium Vener. Beda. Deinde fulmine Excommunicationis a fidelium cœtu, cui per Baptismum jam insertus erat, cum separavit, cum ait: *Non est tibi pars, neq; sors in sermone isto, vel, in fide ista*, ut legunt S. Ambros. & August. nec dissentit textus Syriacus. Atque hæc est PRIMA POENA, quam in Simoniacos Ecclesiæ, ejusque Præsules fulminarunt. Excommunicationis latæ sententiæ. SECUNDA, Suspensio ab Ordine per Simoniam suscepto. TERTIA, Restitutio pretii dati, & spiritualis rei resignatio, cum potest resignari. QUARTA, infamia. QUINTA, inhabilitas ad Beneficium Simoniacè acceptum, SEXTA, privatio omnium Beneficiorum, etiam justè acquisitorum, & ad omnia inhabilitas.

Act. 8. v. 20. 4. Mor. c. 6. Beda in Actam c. 19. Luc. Tract. 6. in Ioan.

Vide Cantonem Apostolica.

IV *ab Exemplis eorum*, qui ob res sacras emptas vēditasve divinitus olim in veteris vel novi Testamenti scriptura puniti leguntur, *item eorum* qui ob Episcopatus, aliasue dignitates Ecclesiasticas pretio comparatas, vel distractas puniti leguntur in Historia Ecclesiastica.

De his cōsule Theatrum Vindictæ Divinæ.

In EPILOGO *monebis Auditores*, ut cum propter avaritiam hoc crimen præcipuè incurratur, firmiter proponant, se nullam in ulla remunerationem quæsituros, & ut (cum etiam superbia honorumque cupiditas multos stimulet, ad aucupandos pecunia Episcopatus, aliasque Prælaturas Ecclesiasticas) humiles sint, & gloriam humanam contemnant.

LXI. IN

LXI. IN LVXVM VESTIVM.

IN Exordio *breviter demonſtrabis*, quàm longè lateque ſuperbia ſuos fines, cum magno ſalutis mortalium detrimento, propagare con tur: neq; enim duntaxat Regum palatiis contineri ſe patitur, ſed ruſticorum caſas & opificum officinas etiam invadit, maximè ea, quæ in veſtibus exornandis eſt occupata.

Propositio: Te quantopere veſtium luxus fugiendus ſit, demonſtraturum.

Confirmationis I. Locus *ab inhoneſto.* Turpe eſt Chriſtiani hominis nomen præ ſe ferre, & non ea imitari, in quibus ſe exercuiſſe primos fidei noſtræ præcones, atque adeò ipſum Chriſtum, aſſertorem totius humani generis, confirmant ſacrarum litterarum monumenta. Rectè enim ait Cypr. de habitu Virginum: *Si non eſt major domino ſervus, & liberatori debet obſequium liberatus, qui eſſe cupimus Chriſtiani, debemus quod Chriſtus fecit & docuit, imitari? Scriptum eſt enim* (1. Joan. 2. 8.) *&c. Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet quomodo ille ambulavit, & ipſe ambulare.* At illi ſe exercuerunt in humilitate, paupertate & vanæ gloriæ contemptu, nec vana veſtium cura fuerunt occupati. Imò quod Chriſtus luxum veſtium damnavit, utilitatem verò probavit, declarat B. Gregor. his verbis: *Sunt nonnulli, qui cultum ſubtilium pretioſarumq; veſtium non putant eſſe peccatum, quod ſi culpa non eſſet, nequaquam ſermo Dei tam vigilanter exprimeret, quòd dives, qui torquebatur apud inferos, byſſo & purpura indutus fuiſſet. Nemo quippe veſtimenta pretioſa, niſi ad inanem gloriam quærit, ut honorabilior cæteris eſſe videatur, &c.* Et: *Si abjectio ſubtilis indumenti virtus non eſſet, Evangeliſta vigilanter de Ioanne non diceret: Erat indutus pilis camelorum.* Certè hic luxus repugnat non ſolùm Chriſti exemplo, ſed & aliorum fideli-

Hom. 4. in Evang.

Matt. 3. v. 4. Eſt. 14. v. 16

fidelium Veteris & Novi Testamenti. Nonne enim Deus Adamum & Evam pelliceis induit vestimentis? Nonne Regina Hester dicebat ad Dominum: *Tu nosti quòd oderim insigne capitis mei*, hoc est diadema, *& tanta ducam immunditia, velut pannum menstruatæ*. Nonne B. Joannis Baptistæ exemplum imitati sunt, qui apud Apostolum *circumierunt in melotis & pellibus caprinis, egentes, &c.* Sic etiam Paulus primus Eremita, Antonius, Arsenius, Macarii, Hilarion, Pachomius, & innumerabiles alii, vilissimo habitu fuerunt contenti, quo nonnunquam etiam ditissimos homines ad sui imitationem permoverunt.

Heb.11.v.37.

Adhæc æquè turpe est gloriari in vestitu, atque gloriari de stigmate ob furtum fronti inusto, cum vestitus sit signum & monumentũ inobedientiæ, & prævaricationis nostræ in Adamo Protoplaste.

II. Locus *ab incommodis*. Nam PRIMÒ, luxu vestiũ gaudens, non cognoscit seipsum, seu ostendit, quam parum memor sit antiqui illius, oraculi, γνῶθι σεαυτόν. Si enim intelligeret corpus suum esse saccum stercorum, cloacam sordium, cibum vermium, & stagnum infra supraq; fœtores exhalans, illud vermium operibus & sericis exornare non studeret. *Andreas S. Bernardi* frater, cum aliquando amborum soror exquisito culta ornatu ad fores Monasterii Claræ vallensis venire ausa fuisset, eam *stercus involutum* appellavit, quo convitio illa perculsa, tandem & cultui, & mundo, Sanctimonialis facta renuntiavit.

Sur.in Aug.

SECUNDÒ, Curiositas vestium est indicium deformitatis mentium, & perversorum morum, in primis superbiæ, vanæ gloriæ, luxuriæ, & causa scandali aliorum. Hinc Syracides: *Amictus corporis, & risus dentium, & incessus hominis enuntiant de eo.* Apostolus cùm pretiosas vestes mulieribus interdixisset, subjecit: *sed quod decet mulieres, promittentes*

Ca.19.v.27.
1.Ti.2.v.1.
Epist.27.

tentes pietatem per opera bona. Quid enim sobriè vestita aliud promittit, quàm castitatem? compta verò aliud, quam impudicitiam. S. Hieron. de Paula Romana scribit: *Se vidisse fœminam aliquam comptiorem, contractione frontis & vultus tristitia arguebat errantem, dicens munditiam corporis atque vestitus animæ esse immunditiam.* Cyprianus de habitu Virginum: *Si*, ait, *tu te sumptuosius comas, & per publicum notabiliter incedas, oculos in te juventutis ill. cias, suspiria adolescentum post te trahas, concupiscendi libidinem nutrias, peccandi fomenta succendas, ut etsi ipsa non pereas, alios tamen perdas, & velut gladium te & venenum videntibus prabeas, excusari non potes, quasi mente casta sis, & pudica. Redarguit te cultus improb. & impudicus ornatus.* Apud Suetonium celebratur hoc *Augusti* Ethnici *Cæsaris* dictum: *Vestitus insignis ac mollis superbia vexillum est nidusq; luxuria.*

TERTIÒ, Cultu hoc corporis mulieres in primis maximam faciunt jacturam temporis, de quibus jam olim Comicus: *Dum poliuntur, dum comuntur, annus est.*

III. Locus *ab exemplo Ethnicorum*, qui sola naturali ratione ducti, hunc luxum detestati sunt. *Octavianus Augustus* simplici amictu utebatur, & licentiorem in filia sua *Iulia* reprehendit. *Severum Imp.* cùm quidam viliore amictu contentū admirarentur, hoc responso factum suum defendit: *Imperatoria majestas virtute constat, non corporis cultu.* Ælianus auctor est. *Lacedæmoniorum* Ephoros seu summos Magistratus quotidie obire solitos ad inspectionem vestium, ne quid à decenti ornatu alienum usurpetur. Eosdem *Lacedæmonios* laudat Clemens Alex. quòd solis meretricibus permitterent floridas vestes & aureum mundum gestare. Similiter Athenæus ex Plutarcho testatur, apud Syracusanos cautum fuisse ne mulieres auro ornaren-

De Nonno Episcopo Heliopolitano, & S. Pelagia vide Vituperationem Pigritiæ. 2. Satur. c. 5.

ornarentur, nec floridas vestes gestârent, nec purpureos haberent contextus, nisi fortè publica esset meretrix. Hinc *Dionysius Syracusanus* Junior, cùm singulos maleficos gravissimis afficeret suppliciis, his tamen facilè ignoscebat, qui vestium & ornamentorum fures essent, quò facilius Syracusani à luxu abstinerent. Oppia lege apud Romanos interdictum erat, ne mulieres versicoloribus induerentur vestimentis.

Consule Theatrũ Vindictæ Divinæ. IV. *ab exemplis eorum*, qui ob luxum divinitùs puniti sunt, & pœnis, quas S. Scriptura huic vitio minatur. *Isa. 3. v. 24. & Iac. 5. v. 1.*

PERORATIO *excitabit Auditores* ut se Christianos meminerint, vestitu honesto, seu quo corpus obtegant, & contra injurias cœli muniant, sine contenti, & animæ potius salutem, quam corporis succum seu vestium nitorem curent.

LXII DETESTATIO VINDICATIONIS *injuriæ, seu potius, Adhortatio ad Patientiam Injuriarum.*

IN EXORDIO *explicabis*, quàm seriò accuratè, & sæpè Christus doctrinam de non vindicanda injuria nobis inculcet. PRIMÒ, enim Beatos pronunciat eos, qui iniquè contumeliis oppetuntur, gaudereque & exultare jubet, ob copiosam mercedem illis paratam in cœlis. SECUNDÒ Comminatione judicii & gehennæ deterret ab illatione injuriæ, ira, & verbis probrosis. TERTIÒ Injuriam facienti negat aditum ad Altare suum, Sacramentorumque beneficium, nisi prius reconciliatus fuerit fratri. QUARTÒ, Non vult à se gratiam vel remissionem peccatorum postulari in Oratione Dominica, nisi prius fratri remissa sit injuria, idque ex corde. QUINTÒ, vult, ut una injuria accepta, parati simus ad majorem: v. c. cæsa una maxilla ad obvertendam aliam: tunica vi erepta, ad offeren-

Matth. 5. v. 12. 22.

Matt. 18. v. 35.

offerendum & pallium, quando ita gloria Dei charitasve postulat. SEXTÒ, Ut auctorem injuriæ, licet inimicum diligamus: idque non verbis, sed factis, orando pro illo, & benefaciendo, non secus ac Deus nos diligit, pluendo super justos & injustos. SEPTIMÒ, Id faciamus nec nostri cōmodi, nec gloriæ humanæ more Ethnicorū, captandæ causâ; sed propter Dei gloriam & animæ salutem, *alioquin, inquit, mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cœlis est.* Matt.6.v.1. OCTAVÒ, Indicat hoc ad perfectionem suæ doctrinæ & Christianæ Religionis in primis pertinere: nam concludit: *Estote ergo vos perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est.* Matth.5. v.48.

PROPOSITIO: Te etiam Auditores ad hoc Christi præceptum de non vindicando, observandum incitaturum.

CONFIRMAT. I. Locus *à necessitate hujus præcepti.* Monet enim sacra Scriptura Deo relinquendam omnium injuriarum ultionem. *Deut.32.v.31. ad Rom.12.v.19. Luc.18 v.7.* & prohibet omnem injuriæ vindicationem *Lev.19 v.18. Prov.20.v.22 ad Rom.12 v.17. 1. ad Thess.5 v.15.*

II. ab utilitatibus hujus præcepti. Nam PRIMÒ patientia mitigat iram injuriam inferentis. Prov.15 *Responsio mollis frangit iram.* Et cap.25.v.15. *Lingua mollis confringit duritiam:* Sicut enim ignis materia subtracta extinguitur: ita maledicentis ira alterius patientia compescitur. Unde B. Paulus: *Vince, inquit, in bono malum. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus*, hoc est, charitatis ignem in eo excitabis, & ex inimico amicum facies. Ro.12.v.21. Exemplum habemus *Ioannis Eleemosynarii*, Patriarchæ Alexandrini; cui cum consanguineus juvenis questus esset de gravibus injuriis à caupone sibi illatis, fingens se commoveri, respondit, se facturum rem, quam tota Alexandria miretur; Sur.Tom.1.

moxq;

moxq; vocato ad se vectigalium magistro, ei jubet, ut nihil amplius vectigalis à caupone exigeret, quod factum non solum tota Alexandria suspexit, sed etiam caupo deinceps Antistitem cum suo cognato omni officio coluit.

Aug. 1. de Civ. Dei c. 6. Vir. 6. Æn. Parcere subjectis. SECUNDÒ, Hac modestia tollitur occasio majoris turbationis & bellorum. Hinc legimus Romanorum Remp. ignoscendo potius, quàm persequendo hostium injurias crevisse: qui enim ignoscit injuriis, auctor est concordiæ qua civitates cōstituuntur, & conservantur: qui verò eas persequitur, est causa discordiæ.

TERTIÒ, Nihil æquè ædificat proximum, atq; injuriarum tolerantia.

QUARTÒ, Per hanc tolerantiam amolimur à nobis notam impotentis, imò muliebris animi: muliebre enim est, convitium convitio mox repellere. *Qui cito movetur injuria*, ait B. Ambr. *facit se dignum videri contumelia, dum vult indignus videri.* 1. de Off. c. 6. Ælian. l. 12. Aristoteles Alexandro magno, natura iracundo, consilium dedit, ut omnibus se superiorem æstimans, maledicta contemneret. Sed hoc erat uno vitio aliud curare, & iracundiæ superbiam substituere: Christianus verò maledicta contemnere debet; non quasi convitiatore melior, sed quasi maledicto fortior. Convitia enim per se nullam vim habent, sed quemadmodum tela, si in corpus durum incidant, repercussa cadunt, non penetrant. Talis erat apud B. Gre. *Abbas Stephanus*, cujus cum ager ad messem paratus ab improbo vicino succensus esset, & alius, ut hoc nunciaret, ad eum accurrens diceret: *Væ væ Pater Stephane, quid tibi contigit, totus enim tuus ager incendio absumptus est*, è vestigio respondit. *Imo væ væ frater, quid illi contigit, qui hoc fecit? me enim certè parvo, seipsum maximo damno mulctavit.* Talis B. *Cyprianus*, qui lecta jussu Proconsulis tabella, in qua hæc senten-

tia

tia erat: *Cyprianum gladio mactari placet*, respondit: *Deo gratias*, & mox speculatori 25. aureos numerari jussit. Talis *B.P.Ignatius*, Societatis Jesu parens, de quo sic scribit Ribadeneira. *Romæ anno 1549. Religiosus quidam eruditus, ex amico inimicus factus, invidia exstimulante graviter in Ignatium exarsit, qui etiam jactare cœpit omnes nostræ Societatis homines, qui in Hispania essent igni se traditurum, idq; Ignatio, qui suis verbis renuntiaret, misit. Cui Ignatius per eundem scripto ita respondit: Tu quidem quotquot nostri in Hispania sunt cremandos te curaturum dicis: ego verò id dico, & opto ut & tu charitate flagres, & amici tui ac necessarii non solum qui in Hispania, sed qui in universo orbe terrarum sunt, Spiritus sancti igne inflamentur, & ardeant.*

QUINTÒ, Calumniæ & maledicta sæpè cedunt in profectum spiritualem ejus, in quem conjiciuntur, ut cum exprobratur aliquod vitium emendatione dignum. Sic, teste B. August. B. Monica *Lib. 9. Confess. c. 8.* ejus mater, *cum à suis coætaneis adhuc parvula meribibula vocaretur, hoc convitio excitata, illud vitium tota postea ætate correxit.* Eadem de causa Philip. Rex Macedonum lætabatur sibi infestos esse Athe- *Plut. lib. de utilitate capienda ab inimicis.* nienses, eò quòd ex eorum criminationibus in suorum vitiorum notitiam veniret, & ut illos mendaces redderet, ea corrigebat.

SEXTÒ, Ex doctrina habemus occasionem nos propius Christo Domino conformandi. Nam ipse ait: *Si paterfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus.* *Matth. 10. v. 24.* Et S. Joannes. *Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare.* *1. Ioa. 2. v. 6.*

III. *ab incommodis iræ, & cupiditatis vindictæ.* Nam qui iræ obtemperat: PRIMÒ, Æterna privatur patria, & corona gloriæ. SECUNDÒ, Minister fit & instrumentum diaboli. TERTIÒ, Occidit animam suam, similis illi, qui ut asinum occidat,

scipsum

ſeipſum perimit: & illi, qui ob immenſa debita, quæ diſſolvere non poteſt, conjectus in carcerem, oblatam ab alio ſolutionem magno faſtu recuſat, nam per eum, qui nobis injuriam facit, debitum, quo Deo obſtringebamur, tollitur, modò patiēter injuriam feramus. QUARTÒ, vindictam petens, oſtendit Deo, quomodo cupiat ab ipſo ſecum agi.

IV. *Ab exemplo incredibilis patientiæ* DEI, quod Chriſtus ipſe omnibus imitandum proponit: *Orate*, inquiens, *pro perſequentibus & calumniantibus vos, ut ſitis filii Patris veſtri, qui in cœlis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos.*

V. *ab exemplo patientiæ* CHRISTI DOMINI quod imitandum proponit B. Petrus: *Chriſtus*, inquiens, *paſſus eſt pro nobis*, vobis *relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus, qui peccatum non fecit nec inventus eſt dolus in ore ejus: qui cum malediceretur, non maledicebat; cùm pateretur, non comminabatur, &c.*

De Bono patient Ge 44 v.1. In Exodo David 1 Reg 2. 2. Re.16 Iob.2. Act.7.v.59. Col.5.v.24. Rom.5. v.3.

VI. *ab Exemplis* SANCTORUM, Joſeph *venundatus*, ait Cyprianus *à fratribus, & relegatus, non tantum patienter ignoſcit, ſed & gratuita frumenta venientibus largitur & clementer impartit.* Moyſes *ab ingrato & perfido populo contemnitur frequenter, & penè lapidatur, & tamen lenis & patiens pro eiſdem Deum deprecatur, &c.* S. *Stephanus Protomartyr* pro inimicis oravit. S. *Apoſtolus Paulus* in paſſionibus ſuis gaudebat, & in tribulationibus gloriabatur. Caſſianus refert (Col 2. cap. 13.) ſenem quendam, cùm apud Alexandriam à turbis infidelium maledictis & graviſſimis urgeretur injuriis, eique à ſubſannatoribus diceretur, quid miraculi Chriſtus feciſſet? reſpondiſſe, ut his ac majoribus, ſi intuleritis, non movear, nec offendar injuriis.

Vide Thea-

VII. *ab exemplis eorum*, qui graviter à Deo puniti

nitisunt in hoc seculo, propterea quod offensam obstinatè condonare noluerunt.

VIII. *ab Exemplis* ETHNICORUM. *Homo quidam*, ait Basilius (Hom. de legendis libris gentilium) *in foro Periclem probris omnibus incessebat, is autem minimè curare visus, toto ferè die sustinuit. Deinde vesperi jam discedentem cum lumine comitatus est. M. Catonem*, ait Seneca, *in balneo quidam percussit imprudens. Quis enim illi faceret injuriam? Postea satisfacienti Cato, non memini*, inquit, *percussum me, melius putavit non agnoscere, quàm ignoscere. Ducebatur Athenis*, inquit idem Seneca, *ad supplicium Aristides, cui quisquis occurrebat dejiciebat oculos, & ingemiscebat, non tanquam in hominem justum, sed tanquam in ipsam justitiam animadverteretur: inventus est tamen qui faciem ejus inspueret. Poterat ob hoc molestè ferre, quod sciebat neminem id ausurum purioris. At ille absterfa facie, & subridens, ait comitanti se Magistratui: Admone istum ne postea tam improbè oscitet.*

trū Vindictæ Divinæ.
Lib. 2. de Ira
In Consolat. ad Helvi.

In EPILOGO *instituês Apostrophen ad vindictæ cupidum, præscribens ipsi remedia contra injuriæ vindicationem seu vindictæ cupiditatem.* Tu igitur quisquis es, cui quisquam intulit injuriam.

I. Cogita, nihil esse tam imbecillis projectique animi, quàm vindictâ lætari, & quanto sit fortius, & generosius, alienam stultitiam contemnere, quam imitari. Quò turpior igitur est qui nocuit, hoc magis cave, ne fias illi similis. Magna certè est vesania, ut alienam improbitatem ulciscaris, te fieri improbiorem. Si contempseris contumeliam, intelligent omnes indigno factam; sin commoveare jam inferentis causam feceris meliorem, Aug. ait: *Quanto honestius est, ut homo nos vincat alius, quam vitium proprium? &c.*

Abigail iratum David dulcib. verbis placavit. Sagitta in duriob. resultāt Basil.

II. Reputa, acceptum incommodum vindicta non tolli, sed propagari, & in te reciprocari, non

fine malo fœtore, quis enim erit finis mutuarum injuriarum, si suum quisque dolorem perrexerit vindicta retaliare? crescunt utrinq; inimici, incrudescit dolor, qui quò est inveteratior, hoc est insanabilior. At lenitate tolerantiaque sanatur nonnunquam etiam is qui fecit injuriam, & ad se reversus ex inimico fit certissimus amicus.

Solũ peccatũ lædit hominem.

Chrysost. 1 *Qui in iram prorumpit, graviter est læsus, sed per impatientiã suam.*

Diog. *Isti me irrident at ego non irrideor.*

III. Considera hominem homini non posse nocere si velit nisi in his, quæ ad ipsum hominem magnopere non pertinent. Nam vera animi bona solus Deus potest eripere, quod non facit, nisi ingratis; solus potest largiri, quod non facit, immitibus & ferocibus. Nulli nocet injuria, nisi suo auctori: nemo læditur, nisi à semetipso.

IV. Tuum incommodum extenua, & alienam injuriam eleva, his fermè modis: læsit, sed facilè fecit, resarcietur, puer est, rerum imperitus, alieno instinctu probè potus; pater est, præceptor, amicus, par est hoc illius vel charitati, vel autoritati condonare: læsit quidem, sed alias quàm sæpe profuit? illiberalis est animi benefactorum oblivisci, injuriæ meminisse. Ignoscam illi, ut mihi meo exemplo ignoscat, & ipse delinquenti.

Greg. 5. Mor. c. 32. Cogitata infirmitas propria mala in nobis excusat aliena.

V. Cogita quæ, quanta, quoties tu peccaris in Deum, quàm multis nominibus illi sis obnoxius. Quantum tu remiseris debitori fratri, tantum tibi condonabit Deus. Nulla commodior est ratio, qua post offensam reconcilieris fratri. Condona levem culpam proximo, ut tibi tot millia culparum condonet Christus, si durum videtur animum excandescentem comprimere, succurrat tibi, quanto duriora pro te, nulla sua culpa, sed ad culpam delendam tuam, tulerit Christus. Quid eras, cùm pro te impenderet animam pretiosam? nonne inimicus? qua lenitate quotidie te tolerat, veteres iterantem noxas? qua mansuetudine pertulit probra, vincula, verbera, probrosissimam

mortem? non eris membrum Christi, nisi sequaris vestigia Christi. In te ipso vis experiri misericordiam, & in fratrem vis exercere severam justitiam? magnum est si peccator ignoscas peccatori, cum Christus pro crucifixoribus suis oraverit Patrem? arduum est non referire fratrē, quem juberis & amare? durum est non remetiri maleficium, pro quo nisi beneficium retuleris, non hoc eris in conservum, quod Christus fuit in servum? Si sanare furentē potes, sana; sin minus pereat ille solus potius, quàm tecum: istum, qui se damnum dedisse putat, commiseratione, non pœna dignū puta. Et si vis cum laude irasci, irascere vitio, non homini.

Heb. 12. Aspicientes in &c. 1.*Pet.*2.

*Syr.*28. Homo homini reservat iram & à Deo quærit medelam?

*Matt.*18. Si non remiseritis unicuique de cordibꝰ vestris nec Pater vester remittet vobis.

LXIII. VITUPERATIO VIOLATIONIS *Voti, vel Apostasiæ, & defectionis, vel à fide Catholica; vel à fide Deo data per Votum Castitatis, aut Religionis.*

EXORDIUM *duces à magna Diaboli versutia*, quia interdum eos, qui cunctam huius vitæ phantasiam fucatamque felicitatem semel conculcârunt, & ad verum virtutis fastigium evaserunt, iterum in pristinos mundi fluctus abducit.

*Syr.*28. Separa te à contentionibus, & peccata evades.

PROPOSITIO: Te igitur turpitudinem, pericula & damna tanti sceleris Auditoribus propositurum.

CONFIRMAT. I. Locus *à turpi.* Votifragi enim vel Apostatæ atrociori ac turpiori scelere se obstringunt, quàm furti, sacrilegii, adulterii, & incestus. Nam *qui Deo*, ait B. Ephrem, *animas suas consecrarunt, corporis sui potestatem amplius non habent.* At illi se donum Domino obtulerunt, non igitur amplius corporis sui potestatem habent, ut nec qui aliud Deo obtulit, illud sine sacrilegio repetere potest. Hinc S. Ambr. *Virgo quæ spopondit Christo, & sanctum velamen accepit, jam nupsit, jam immortali juncta est viro. Et si voluerit*

nubere communi lege conjugii, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur. S.Chrysoft.ad Theodorum Monachum: *Angelorum societati semel junctum, illum relinquere, & uxoris laqueis implicari, adulterij crimen incurrere est: quamvis frequenter hoc ipsum nuptias voces, ego tamen illud & adulterio tanto pejus affirmo, quanto major ac melior mortalibus Angelus.* S.Aug. *Sanctimonialis si nupserit, Christi adultera reputabitur.* Auctor Sermonum ad Fratres in eremo. *Ego, qui hodie videor Monachus, si rupero propositum meum, Christum negavi.* & S.Hieron. *Virgines, quæ post consecrationem nupserint, non tam adulteræ sunt, quàm incestæ.*

II. ab incommodis. Nam PRIMÒ, quia arctior est conjunctio cum Deo per vota, quàm inter conjuges per matrimonii fœdera, magnam eorum violatione apud Deum Apostatæ incurrunt indignationem. *Si superveniens maritus* inquit D.Cypr. *sponsam suam jacentem cum altero videat, nonne indignatur & fremit; & per zeli dolorem fortassis & gladium in manum sumit? Quid? Christus Dominus, & Iudex noster, cùm virginem suam sibi dicatam & sanctitati suæ destinatam, jacere cum altero cernit, quam indignatur, & irascitur, & quas pœnas incestis ejusmodi conjunctionibus comminatur?* Basilius: *Si mulier ad viri societatem lege matrimonij provecta, & una cum eo copula carnali conjuncta morte mulctatur, si ei insidias fecisse deprehensa sit: quanto is magis subjacebit pœnæ graviori, si se abjunxerit, qui spirituali communione copulatus sit teste atque sequestri ipso Spiritu Sancto?* Idem Deum sic expostulantem cum virgine lapsa inducit: *Me dereliquit verum sanctarum animarum sanctum sponsum, & confugit ad impium animæ simul ac corporis corruptorem. Defecit à Deo Salvatore suo, & exhibuit membra sua mancipia immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, mei oblita est, dicit Dominus, & ad amatorem suum transivit:* expe-

In constit. cap.22.

Epist. ad Lapsam.

expediret ipsi, ut mola asinaria circa collum ipsius appensa esset, & in mare projectus esset potius, quàm virginem vitiasset. Quis prædo ad tantam dementiam perductus est, ut ipsa Dei donaria contingeret? Non supellectilem inanimatam, sed corpora viventia & animam inhabitantem habentia factam ad imaginem Dei? Quis ab æterno auditus est in media civitate, & serena meridie, imagini regiæ formas immundorum porcorum inscribere ausus esse? Si quis humanas nuptias ignominia affecit, citra miserationem coram duobus aut tribus testibus moritur, quanto pejore supplicio dignus censebitur, qui Filium Dei conculcavit, & desponsatam ipsi sponsam adulterio contaminavit, & spiritum virginitatis contumelia affecit. *Matth. 18.*

Secundò, Quia sacra votorum vincula, quibus Christo alligatus erat, semel disrumpit, multis & magnis beneficiis ornamentisque spiritualibus se privat, ac spoliat. Hinc S. Ambr. ad Virg. lapsam: *Bona commemorem, quæ perdidisti, an mala defleam, quæ invenisti? Eras virgo in paradiso Dei, utique inter flores Ecclesiæ eras sponsa Christi, eras templum Dei, eras habitaculum Spiritus Sancti, & cum dico totiens eras necesse est, ut totiens ingemiscas, quia non es quod fuisti. Incedebas in Ecclesia tanquam columba illa, de qua scriptum est.* Pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi ejus in pallore auri. *Splendebas ut argentum, fulgebas ut aurum, quando cum sincera conscientia procedebas. Eras tanquam stella in manu Domini, nullum ventum, nullius belli nebulas pertimescebas. Quæ est ista subitanea conversio? Quæ est ista repentina mutatio? De Dei virgine facta es corruptio Satanæ, de habitaculo Spiritus Sancti tugurium diaboli. Quæ incedebas ut columba, nunc lates in tenebris sicut stello. Quæ fulgebas ut aurum propter virginitatis honorem, nunc vilior facta es luto platearum, ut etiam indignorum pedibus conculceris. Quæ fueras stella radians in manu Domini, veluti de alto ruens cœlo*

Vide P. Platum de Bono status Religiosi & Basil. ad lapsam cap 8.
Ps. 67. v. 14.

cælo lumen tuum extinctum est, & conversa es in carbonem.

Tertiò, Magno cum probro suo & scandalo sociorum, parentum, fratrum, cognatorumque quivis Apostata vota Deo semel facta rescindit. Cap. 3. Hinc pergit S. Ambr. lapsam suam pudefacere his verbis: *Aspice quis Sanctorum, aut quæ Sanctarum tibi approximare non horreat, aperi oculos tuos, si potes, erige frontem, vales aliquem Sanctorum fiducialiter intueri? nonne tuam faciem conscientia commissum tanquam plumbum inclinat, & premit? Nonne timor & tremor animam tuam & membra quassant?* Et: *Non istam confusionem de te tuus expectaverat pater, qui te sibi singularem gloriam computabat. Non hunc luctum, & has lachrymas ex te sibi nasci tua crediderat mater quæ partus sui gemitum per tuam virginitatem consolabatur. Non fratres tui, non sorores hoc ex te dedecus exspectabant, quos omnes quasi uno gladio tui sceleris graviter sauciasti. Si fuisses communi sorte defuncta, flessent te modicum, propter desiderium parentes; sed exultassent granditer, quia immaculatam præmiserant virginem, hostiam vivam, Domino propitiatricem suorum videlicet delictorum. At nunc plangunt mortuam, & non mortuam; lugent vivam & non vivam, mortuam utique gloria virginitatis, & vivam dedecore turpitudinis: ingratus est pater suis visceribus, de quibus nata es: maledicit mater suo utero, ex quo in hanc lucem infeliciter processisti: nec tamen modum suo dolori reperiunt, nisi hoc solum planè videntur habere solatium, quia te nec pater compulit, nec mater coegit ut virginitatē profitereris quam ultrò & propria voluntate professa es, &c.* Et: *Si tibi solum damnum fecisses, erat equidem tristitia; sed forsitan tolerabilis. Nunc verò quantas animas tuo scelere sauciasti, quantas animas propter te de proposito suo pœnitere fecisti? Quanta labia etiam fidelium inquinata sunt, viam Domini blasphemando? aperuit in nos gentilitas os suum,*

suum, adversus sanctam Ecclesiam Synagoga Iudaeorum (& haereticorum) *per tuum dedecus exultavit. Quod si is, qui unum scandalizaverit, mola circumligatus jactari debet in mare, quid de te pronuncias, per cujus scelus omnis anima sauciata est, & nomen Domini in gentibus blasphematum est?*

QUARTÒ, Quotquot Religiosum vitae institutum per Vota simplicia vel solemnia semel susceptum deserunt, indices fiunt deteriores. Hinc S. Aug. *Ex quo Deo servire cœpi, quomodo difficilè sum expertus meliores, quam qui in monasteriis profecerunt; ita non sum expertus pejores quam qui in Monasteriis ceciderunt, ita ut hinc arbitrer in Apocalypsi scriptum:* Justus justior fiat, & sordidus sordescat adhuc. S. Ambros. in hunc modum depingit Apostatarum mores: *Luxuriae sunt magistri, disseminatores incontinentiae, incentores petulantiae, obtrectatores pudoris. Nonne de his pulchrè dixeris,* effusi sunt gressus eorum? *quos bene vixisse pœnituit. Itaque egerunt novi generis pœnitentiam pro virtutibus, & non agunt pro delictis. Sed hi ex nobis exierunt, &c. Homo apostata,* ait Salomon, *vir inutilis, graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum, & omni tempore jurgia seminat.* Et: *Sicut avis transmigrans de nido suo, sic vir qui derelinquit locum suum,* id est, qui deserit statum suum, & vocationem, incertis vagatur sedibus, multis obnoxius periculis & damnis.

Epist. 117. ad Clerum & plebem Hippon. data. *Cap 22. v. 11.* *in Psal. 36.* *Psal. 72.* *1. Ioa. 2. v. 19* *Prov. 6. v. 12* *Cap. 27. v. 8.* *Luc. 9. v. 62* *1. Tim. 5. v. 11.*

QUINTÒ, Desertores sui status, vel Votorum, sunt rei aeterni exilii. Christus enim ait: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro aptus est regno Dei.* Et B. Paulus: *Adolescentiores viduas devita: cum enim luxuriatae fuerint in Christo nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem* (intelligit votum castitatis) *irritam fecerunt.*

III. Locus *ab exemplis eorum*, qui ob vota violata graviter puniri sunt.

Vide Theatrum Vindictæ Divinæ.

In REFUTATIONE *ostendes*, quàm futiles & frivolæ sint causæ quas nonnulli suæ inconstantiæ & apostasiæ obtendunt, iis enim, qui queruntur de improbitate quorundam Fratrum, respondebis cum Sanct. Basilio: *Neque Petrus neque Andreas, Ioannesve propter Iudæ improbitatem, se à reliquorum Apostolorum Choro submoverunt; neque, quo minus Christo obtemperans esset, ulla in re illius vitiis quisquam aliorum retardatus est, sed contra potius, relicta illius perversitate, Dominica disciplina virtutem majore studio sectati sunt.* Et: *Iustus ille Noë cum in pessima hominum colluvie versaretur, non dixit Deo, propterea se debere exire de mundo, sed eo magis more generosi athletæ, adhuc adolescens se obduravit, neque ulla in re prorsus Domino repugnans fuit, sed tolerantia pietatis navigium in mediis impietatis fluctibus tutatus est. Quid? Nonne Loth, cum Sodomis in tanta impietate, tantaque regum omnium perversione degeret, virtutem tamen assiduè ab omni vitio integram, custodivit, & reliquis, quoad fieri poterat, exemplo suo idem secum ut facerent auctor fuit?* Iis verò, qui obtendunt instituti Religiosi difficultatem, respondebis cum Sanct. Chrysost. ad Theodorum lapsum: *Quid levius ac melius quam solicitudine seculari, & laboribus, & metu exui? quam ab istius mundi fluctibus segregari, & possidere placidi tranquillique portus securitatem?*

Gen. 69.

Epist. 6.

1. Cor. 7. v. 20. Deut. 23. v. 21. Nu. 30. v. 3. Psal. 75. v. 12 Eccl. c 5. v. 3. cap. 8.

S. Chrys. ad Theodorum lapsum refert duo exempla eorum qui postquam Monasticã deseruerunt

In EPILOGO *hortaberis Auditores* ad perseverantiam in suscepto semel vitæ instituto, & ut vota semel Deo facta reddant; aut si ea violarunt, pœnitentiam agant? ait enim Dominus Isa. 2. vers. 18. *Si fuerint peccata vestra, &c.* Quanta autem agenda sit pœnitentia describit Sanct. Ambros. ad suam Lapsam: *Pœnitentia non verbis agenda est, sed & actu. Hæc autem sic agitur. Si tibi ante oculos ponas de*

quanta

quanta gloria rueris, & de quo libro uita nomen tuum deletum sit: te jam credas prope ipsas positam tenebras exteriores, ubi fletus oculorum, & stridor dentium sine fine, &c. Et: *Quantumvis afflictionem, quantumvis laborem subire esto contenta, dummodo ab aeternalibus poenis libereris. Inprimis omnis cura vitae hujus interimenda tibi est, & quasi mortuam te existimās, sicut es, quomodo possis reviviscere, cogita: deinde lugubris tibi accipienda est vestris, & mens, ac membra singula digna castigatione punienda, &c.*

poenitētiam egerunt, addit & exemplum Onesimi quem Paulus in gratiam recipit, & adolescentis quem factū ducem latronum. S.

LXIV. DE SUPPLICIORUM INFERni acerbitate, & magnitudine.

IN EXORDIO *docebis*, quam vberes ex consideratione tantorum suppliciorum fructus manēt: neque enim plurimi ad peccandum ita proclives essent, si gehennæ recordatio eorum mentes occuparet, & propterea Deus gehennam minatus est, ne incidas in eam. *Hunc* inquit, *timete, qui potestatem habet mittendi in gehennam*. Adhæc suppliciorum metus improbos coercere in Repu. solet, nec ea indole sunt omnes præditi, ut amore honesti & præmiis ad virtutis studium accendantur, *oderunt* enim *peccare mali formidine pœna*, breviter, hæc cogitatio à vitiis abstrahit, & ad virtutes incitat, bonis calcar addit, & in summis sæpè miseriis ingenti consolatione perfundit.

Ioannes Apostolus convertit Luc. 12.

PARTITIO *Orationis fiat in duas partes*, PRIORI, de istis suppliciis *dices*, POSTERIORI, qua ratione tanta supplicia effugere possimus. *demonstrabis.*

CONFIRMATIONIS *priori parte* PRIMO *ages* de triplici suppliciorum genere. PRIMUM est, perpetua à summo immensoque bono, & omnium Beatorum jucundissimo consortio separatio. Iudex enim, severissimo vultu improbos intuens, in extremo Iudicio dicet: *Ite maledicti.* SECUNDUM est, ardentissimus gehennæ ignis, qui infinita alia sup-

pliciorum genera comprehendit. TERTIUM est, perpetua veniæ desperatio.

SECUNDÒ, De suppliciorum æternitate: neque enim improbi pœnis conficientur, neque carnifices (dæmones) unquam fatigabuntur.

TERTIO, De eorundem acerbitate & magnitudine.

QUARTÒ, De pœnarum varietate pro scelerum varietate infligenda. *Hic describi possunt* supplicia superborum, auarorum, & aliorum.

QUINTÒ. De scelerata tortorum & improborũ societate.

SEXTÒ, De loci miserabili conditione.

In CONFUTATIONE *expones causas*, cur pauci, quando fit mentio inferni, terreantur, quod immensæ Dei misericordiæ ira plerique fidant, ut interim de ejus summa æquitate nihil cogitent. Debebant autem sic secum argumentari: Si Deus ne pulcherrimo quidem Angelo perpercit, nec homini peccatori parcet, & indicium est infelicem admodum esse illorum conditionem, qui ad inferos deturbati sunt, quòd inde non redeant, quo profectò prudentiores fieri deberemus, exemplo vulpis quæ invitata à leone, cùm videret vestigia omnia esse ingredientium, nulla autem redeuntium, reversa est, pedemq; retulit, nec tanto suo periculo, quo invitabatur, leonis palatium adire voluit, metuens ne & ipsa, sicut reliquæ, ibi detineretur, & mactaretur.

Hinc transibis ad secundam partem. Est autem PRIMA ratio effugiendi hæc supplicia, finem peccandi facere: quia peccata ignem gehennæ nutriunt, SECUNDA, ea omnia, quę ad peccandum pertrahunt, ut sunt opum affluentia, honores, deliciæ, non minimum admirari. TERTIA, Res adversas excelso animo ferre. QVARTA, Virtutum studio reli-

quam

quam vitæ partem consecrare, & peccata admissa per veram ac seriam pœnitentiam emendare.

PERORATIO *constabit adhortatione*, ut considerat̄ione horum suppliciorum ad meliorem mentem se recipiant.

LXV. DE GLORIA SEV PRAEmiis Vita æternæ.

EXORDIUM *sumes à laude communis Sententiæ*: Duo æquipondia, quibus horologium humanæ vitæ movetur, esse, præmium & pœnam. Tanta enim est nostræ voluntatis miseria, ut nemo virtutem nudam appetat, cui non est adjuncta pœna, vel quæ utilitate quadam non compensatur. *Vide Ducē peccat. P. Ludov. Granat.*

PROPOSITIO, Cùm nec supplicium, nec præmium possit excogitari æterna illa gloria, perpetuaq; pœna majus, sicut is qui ante me dixit, vos acerbitate & magnitudine suppliciorum Inferni à vitiis avocavit, ita mihi certum ac deliberatum est, vos magnitudine & voluptate gaudiorum Regni cœlestis ad virtutes invitare, ut ita his duobus remis periculum procellosi hujus maris enavigemus.

PARTITIO. PRIMÒ, *conjecturis* quibusdam vos in aliqualem cognitionem pulchritudinis ac divitiarum cæli deducam. SECUNDÒ, Dignitatem, & magnitudinem *Regis*, qui illic cum omnibus Electis habitat adumbrabo.

CONFIRMATIO I. *partis*. PRIMA *conjectura est finis*, ob quem Deus locum istum ædificavit, ut per illum manifestaret suam gloriã. In cœlo enim singulari quodammodo dignitas, amplitudo, & magnificentia illius relucet. Vt Rex Assuerus, qui regnabat super centum vginti septem Prouincias grande fecit conviuiũ, ut ostenderet divitias gloriæ Regni sui, & magnitudinẽ potentiæ suæ: sic supremus ille Rex decrevit celeberrimum facere con- *Prov. 10 Esth. 1.*

convivium in cœlo per omnem æternitatem, ut ostendat in illo immensitatem divitiarum suarũ, sapientiæ, liberalitatis & bonitatis suæ.

Esa.25. Et facite, &c.

SECUNDA *Conjectura est*, quia non præparavit domum hanc suo duntaxat honori, sed ad gloriam etiam & honorem omnium suorum Electorum. *Hic proba*, quam sit Deus solicitus ad honorandũ amicos suos quibus contulit etiam in hac valle lachrymarum dominium in omnes creaturas. Josue 10. dicitur Deus obedivisse voci hominis: umbræ Petri tantam virtutem donavit, ut quoscunque infirmos obumbraret, eos incolumitati pristinæ restitueret.

Dan.12. Vide Triumphum, seu Præmia Virtutum.

TERTIA, quia pretium quod liberalissimus Deus exigit pro tanta gloria, est mors & sanguis Unigeniti Filii sui (Non nisi, pro morte Dei, data est homini divina vita, pro Dei doloribꝰ, cæleste gaudium:) & quia ab homine pro hac gloria exigit, ut tollat crucem suam, oculum dextrum eruat & abjiciat, si quod ipsi det scandalum, & relinquat patrem matrem, & omnes res creatas, si quid divinis contrarium mandatis velint persuadere.

QUARTA, quia si in hac regione mortuorum creaturæ sunt tam nobiles, quales erunt in terra viventium? & si magnifica sunt, quæ in hac vita dedit ingratis, quanta erit gloria, quam in futura vita dabit Electis?

QUINTA, quia est habitatio non servorum, sed filiorum; non pecudum, sed beatarum mentium. Est aula magni illius Regis Regum. *Hic licebit attingere* multitudinem civium cælestis patriæ, ex c. 7. Dan. & c. 15. Apoc.

Apoc.4. Psal.83.

Ab hac accidentali gloria transibis ad essentialem, sine ulla comparatione majorem, quæ consistit in visione & possessione ipsius Dei, de qua S. Augustin. *Præmium*, ait, *virtutis ipse erit, qui virtutem dedit, qui videbitur sine fine, amabitur sine fastidio, &*

lau.

laudabitur sine molestia. Hic licet sit unum & simplicissimum bonum, tamen omnes omnium rerum idque summa eminentia, concludit perfectiones. In hoc speculo videbitur lepor & venustas omnium creaturarum, &c. Si inquam, nobis grata est pulchritudo, Deus est, cujus pulchritudinem sol & luna admirantur. Si appetis nobilitatem, ipse est fons & origo totius nobilitatis. Si cupis facietatem & abũdantiam, in ipso summa est bonorum omnium &c.

In CONCLUSIONE *hortaberis Auditores*, ut relicta Ægypto aspirent ad terrram promissionis, ad quam creati sunt: cogitent quid Sancti fecerint, ut illam gloriam consequerentur, & cum S. Augustino dicant: *Si quotidie oporteret nos tormenta perferre, si istam gehennam longo tempore tolerare, ut Christum in gloria sua videre possimus, & Sanctis eius sociari, nonne dignum esset pati omne quod triste est, ut tanti boni tantæq; gloria participes habeamur?* *In Manuali cap 17.*

LXVI. COMMENDATIO PRUDENTISSIMI & fortissimi facinoris, quo Daniel Susannam adulterii absoluit, & senes accusatores ejusdem convicit, per sex rerum attributa. *Dan.13.*

EXORDIUM *duces à tua & Auditorum persona.* Quod adolescens ipse inter adolescentes de Danielis prudentissimo & fortissimo facto, quo Susannam innocentem defendit & à turpissimo mortis genere liberavit, dicere decrevens, ut ejusmodi exemplo omnes ingenui adolescentes ab ineunte ætate justitiam, prudentiam, fortitudinem, & temperantiam discant exercere. Omnes enim virtutes in unico hoc facinore apparent; Iustitia, & Prudentia, cum justissimi, & prudentissimi judicis officio functus est; Fortitudo, cum forti animo

mo adolescens impiis & nefariis seniorum conatibus obstiterit; Temperantiã, cum pudicitiæ & castitatis defensorem sese præbuerit, & fœdam seniorum libidinem condemnarit,

CONFIRMATIO *à sex rerum attributis.* PRIMUM est, *persona*, quòd adolescens facinus tã memorabile executus sit. *Amplificabis* ab adolescentiæ adjunctis, temeritate, & imprudentia.

SECUNDUM, *ipsa res*, defensio innocentis Susannæ, quòd eam à morte imminente, & perpetua infamiæ nota vindicarit. *Si regia res est*, (ut Ovidius canit) *miseris succurrere lapsis*, quanta censebitur defensio innocentum, ubi non defenditur culpa lapsi, sed aliena malitia, & injuria miseri accusatur; ubi non ab hujus vitæ incommodis, sed à morte, rerum omnium terribilium terribilissima, innocẽs liberatur Quod Cicero de beneficio C. Cæsaris in M. Marcellum, non à morte, sed ab exilio; non ab infamia, sed honoris saltẽ aliqua diminutionẽ liberatum dixit, id verius de hoc Danielis præclarissimo facinore dici potest.

TERTIUM, *Caussa finalis*, quòd non spe lucri, sed solius justitiæ defendendæ caussa hoc egerit; non privatum commodum spectarit, sed quomodo innocentem ab acerbissima morte liberaret, si ex fine spectantur actiones nostræ ut probentur vel improbentur, hæc certe incredibilem consequitur laudem.

QUARTUM, *Ipse modus*, quòd sejunctione senum ipsam rei veritatem cognoverit; quòd ipsis in os improbitatem & sceleris enormitatem expressè dixerit, nullatenus involuerit.

QUINTUM, *Locus*, quod in publico judicio, in corona judicum id egerit, ubi adolescentes pudore suffundi & metu consternari solẽt, usque adeò, ut ne hiscere quidem audeant, quod etiam Ciceroni jam viro & Oratorũ principi accidisse legim9.

SEX-

SEXTUM, *Tempus*, quòd in ipsa mortis hora, cùm Susanna jam condemnata ad suppliciũ duceretur, hoc in eam beneficium collocarit. *Doce* quantum sit jam morituro vitam insperatam donare.

In EPILOGO *hortaberis omnes*, ut quàm diligentissimè in omni virtutum genere Danielis vestigia sequi studeant.

LXVII. POETAS ESSE MENDACES.

EXORDIUM *à similitudine*. Quemadmodum Syrenes cantus suavitate homines deceptos olim pertrahebant ad perniciem: ita Poëtæ per suam Poësin, verborum lenociniis distinctam, ceu colorum varietate pictam, mendacium in animos mortalium instillant, & veritatem nequiter pessundant.

CONFISMA I. ARGUMENTUM, *à Notatione*, PRIMÒ, Quid aliud mendacium, quam contra mentem itio? At contra mentem it, qui aliud dicit, ac sentit. Hoc autem Poëtæ faciunt. Homerus, Virgilius, Ovidius multa protulerunt, quæ minimè ita se habere sentiebant, judicabantue. *Hic aliquas fabulas commemora*, *& doce*, neminem sana mente arbitrari eas vel tantillum veritatis continere, imo ne ipsos quidem qui finxere. SECUNDÒ, Quid notat aliud Poëta, quàm fictor? Quis fingit? Nonne qui esse aut fore illa affirmat, quæ nec sunt, nec erunt? Quod qui facit, non congruenter veritati facit.

II. ARGUMENTUM *à definitione*. Mendacium est orationis vanitas, & affirmatio fumosa, qua ea dicũtur esse aut fuisse, quæ non sunt, nec fuerunt. Quis verò unquã credat ea, quæ Poëtæ fabulantur? Orphei videlicet cãtu nemora ferasq; omnes unum in locum confluxisse? Nemo certè, nisi qui arboribus auditũ & pedes esse certo sibi persuaserit. Quis credat quod Amphion suavitate versuum saxa exci-

citarit, & impulerit quo vellet? Nullus profecto, nisi qui lapides sentire arbitratur. *Hic converte orationem* ad rerum naturalium venatores; & naturæ investigatores, *& quære ab illis* an cum veritate habeat commercium si quis putet saxa sensu vigere.

III. *Ab auctoritate*; PRIMÒ *Platonis*, qui monuit, ne quis Poëtam sibi faceret inimicum. Cur ita verò? quia, ut ait Horat. *genus irritabile vatum*, & quia Poëta falsissima eructat, clarè obstrepit, & omnem bilem chartis illinit. SECUNDÒ *Proverbij*, quod usurpat Aristoteles in Metaph. Poëtas multa mentiri, quod ipse Horat. confirmavit verum esse cum cecinit,

——— Pictoribus atque Poëtis
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

Hunc locum *amplificaturus digredieris* in laudem Proverbiorum, *dicesque*; quod Proverbiis tota ferme priscorum Philosophia continebatur, proinde columnis ac marmoribus passim insculpta videbantur, tanquam veritatem exprimerent, & memoria immortali digna essent.

In PERORATIONE *monebis studiosos*, ne artē hanc mentiendi discant.

LXVIII. POETARVM A MENDACII ignominia defensio, quòd Poësis non sit mendaciorum cento, sed veritatis inuolucrum.

IN EXORDIO *inveheris in mendacium*, quippe quòd maxima importet generi humano damna, quo vitio si se contaminarent Poëtæ, ut ii ex hominum societate exterminarentur auctor esses, & adiutor: verùm cùm eos mentiri minimè sit verum, ab ea ignominia ipsos te defensurum significabis, adversariique dictis responsurum.

Vide Calii. I. *Dixit eos* mentiri, qui fingunt, & fingendo ampli-

plificant. Verùm tu dices, eum duntaxat mendacem existimandum esse; qui fingit aliquid, ut fallat, lædat, & imperitos in perniciosum inducat errorem; nō eum, qui rē ipsam excogitata amplificatione exprimit, & enucleat, magna cum utilitate audientem oblectans. Quod mun⁹ cum Poëtæ suscipiant, veri & dici, & haberi debent. Etenim nequaquā mēdaces putandi sunt, qui certam & germanam veritatem fabulis aptè compositis explicant, & omnibus ob oculos ponunt. *Illustra simil. quam habet Osor. libr. 4. de Institut. Regis.* Quemadmodum pictores, cùm rerum imagines adumbrāt, & illustrant coloribus, mendaces habendi non sunt; nec enim id faciunt, ut veras res existimem⁹ esse: ita cum Poëtæ aliquid versibus depingunt; cùm non id agant, ut nobis quod scribunt verum esse persuadeant, sed ut veritatis ipsius imaginem, vel potius veritatem fabulis cōclusam oculis subjiciant, minimè vanitatis insimulandi sunt.

in Antiqu. lect. li. 4. c. 1. Horat. l. 2. epi. 1. 65. ceterum, &c. Græci ab ipso primordio teste Strabone, suos liberos in Poesi erudiebant.

II. *Ostendes* quantum veræ doctrinæ habeant fabulæ ridiculæ enarratæ. Ovidius per fabulā Deucalionis & Pyrrhæ significat quosdam mortales adeò agrestes, adeò feros & duros esse, ut jure dici possint ex lapidibus orti. *Proba*: Nonne adamante duriores sunt quicunque in Obbis (ut habet proverbium) venantes, nihil nisi compotationes meditantur, qui nunquam quiescunt, nisi aqualiculum ad extremam gulam vino fartum atque instar tympani turgidum distentumque præsentāt? verissimum esse illud: Plures crapula perire, quàm ferro. *Alia vitia enumerabis*, quibus plerique hominum inquinant, nec tamen monentes audire volunt, tanta est eorum durities.

Lege Mythologos, inter quos excellit Natalis Comes.

Poëtæ doctissimè fictis fabulis memoriæ prodiderunt, quemadmodū Orpheus & Amphion cantu silvas, feras & saxa in unum locum pertraxerint, quo significarent, tantorum virorum industria

multitudinem agrestem & dispersam in civitatem congregatam, & ex immani vita ad humanitatem & civiles mores deductam fuisse.

Cic. pro Archia Poeta vocat sanctos. Plato 2 de Rep. Deorum filios

Plato cum monuit, ne quis Poëtam sibi faceret inimicum intellexit Poëtam lascivum & criminatorem, qui quadruplaturā & profitetur, & factitat, facinorosè innocentissimos insectando, qui non ex civitatibus solùm, sed ex totius terræ finibus ejiciendus, & exterminandus est.

Ubi argumenta adversarij everteris, ad ipsum convertenda erit oratio, idemq; interrogandus, num adhuc in sententia persistat. Post amplificationis causa laudibus extolles Poëtas.

In PERORATIONE *excitabis studiosos*, ut Poëtas petulantes & impuros pessundent, honestos verò & graves, tanquam veritatis amantissimos colant.

LXIX. CORPORIS BONA IN UTRAMque partem ut vel maxime noceant, vel prosint, habere par meritum.

IN EXORDIO *reprehendes eos, qui intemperie quadam acti quidvis contemnunt, si alicujus delicti subinde prabere videatur occasionem.* Mirificè mihi semper eorum placuit consuetudo, qui de re quavis non ante sentētiam ferendā putant, quàm perspexerint quem in finem ea sit comparata, aut inventa, minimè verò se mihi probat temerarium, & imprudens quorundam quidvis traducendi consilium, quod incommodorū nonnullorum sit occasio: quales & quæ corporis dicuntur bona, quòd iis nonnulli sint abusi, nacta sunt immeritò censores, quos si brevi oratione refellerē, Corporisque bona in libertatem assererem, & quemadmodum noceant, quemadmodum prosint, commonstrarē, arbitratus sum me absre non esse facturum. Vestrū erit A, pro ea, qua estis humanitate, de re velut dome-

domestica dicentem, qua par est, & attentione & benevolentia prosequi. Meum verè, orationem sic attemperare, ut & prolixitas vobis molesta non sit, & quod ad rem pertineat, nihil videatur prætermissum.

NARRATIONIS loco, *qua sint ea, de quibus sermo est, Corporis bona expones*. Sunt autem, *forma*, quam in Officiis Cicero dignitatem nominat in viris, venustatem in fœminis: *vires*, seu robur & fortitudo: *valetudo*, & quinque *sensus* exteriores.

CONFIRM. I. Locus *divisione explicabitur*: Vel horum aliqua nunquam habuimus, vel habuimus atque amisimus. Si non habuimus, *proderit patienter caruisse*, exemplo S. Audomari Episcopi, de quo accepimus, quòd cùm in cœcitatem incidisset, adeò eam adamaverit, ut sibi visum restitui nollet, atq; cum redditus esset per merita S. Vedasti, à Deo adimi eundem rursum exorarit. Dydymo illi Alexandrino adeò non obfuit esse cæcum, ut hoc veluti instrumento summam adierit doctrinam: secus autem, si impatientia quadam molestè feramus, nobis hæc à Deo data non esse.

Si verò habuerimus, virtutum commodissima nobis præstabunt instrumenta, si modò iis rectè uti voluerimus: quemadmodum & contra vitiorum aptissima erunt fométa, si aliorsum quam in quem usum nobis sunt data, conferamus. *Si amiserimus*, exemplum nos Tobiæ sanctiq; Iob satis docet, & obesse & prodesse posse eorum amissionem. Obfuissent namque viris illis sanctissimis, si uxoribus dicto audientes fuissent. *Vide in Panario P. Busæi locum de Impatientia.*

II. Locus *singula corporis bona expendit* FORMA à doctis appellari solet virtutis occultæ & latitantis argumentum. Obfuit hæc Paridi, totique vrbi Trojanæ, Menelao, atq; universæ Græcorum nationi. VIRES prosunt, si pro Reipub. utilitate iis utamur: uti inter cæteros Romanos Decii, Tor- *Gen. 18, 14. Deut. 2. 2. 1. Reg. 21. Paral. 11. Livius li. 7. Dec. 1. De Milone.*

Croton. Gell. quati, Corvini, inter Iudæos Samson, David; inter Christianos Constantinus, Theodosius uterq; iis usi fuerunt. Oberunt si imitemur Og regem Basan; (cujus lectus ferreus, Deuter. 3. v. 11. novem dicitur fuisse cubitorum,) & reliquos gigantes, Babylonios item in cælum usq; erigere turrim conantes. VALETUDO prodest ad Deum promptius colendum Obest ejus prosperitas, divini cultus oblivionem inducens, & ad luxuriam plurimum impellens. *Inter* SENSUS *nobilissimus* reliquorum VISUS quod obesse queat, satis indicat, quod Christus oculos erui jubeat: si offendiculo sint: quòd verò prosint, omnium scientiarum inventio argumentum est. Solet enim à Philosophis visus inventionis appellari sensus; quemadmodum AUDITUS doctrinæ, ad quē illud Paulinum referendum est; *Corrumpunt bonos mores, colloquia prava.* cupediarū refrænendarum seu laxandarum sensus GUSTUS est, ut TACTUS corporis voluptatum.

CONCLUSIO *adhortabitur Auditores*, tutissimam uti sequantur partem, & quicquid in singulis totius corporis bonis reperiunt commendandum, id totis viribus & nervis consectentur, quòd verò improbum, id velis & remis aversentur.

LXX. IN LAUDEM ELOQUENTIAE.

EXORDIUM *Ab officio tuo, quod declarabis communi omnium judicio:* Si nullus inveniri potest, qui non optimo jure artis suæ celebret laudes, quis jure succenseat, si in commendationem dicēdi facultatis, cui invigilo, nonnulla in medium adferā?

CONFIR. I. Locus, *ab honesto.* Honestati Eloquētiæ studium repugnare nemo sanæ mētis facilè affirmaverit, cū ejus præsidio à brutis non solùm animantibus, sed etiā ab ipsis hominibus homines distinguantur. *amplificabis hunc locum* ab enumeratio-

tione eorum beneficiorum, quæ divina bonitas tum in creaturas rationis expertes tum in homines contulit.

II. *Abutili,* per enumerationem variorum commodorum, quæ Eloquentia primum quidem in suos cultores, deinde verò in proximos, atq; adeo in universamRemp. conferre solet. Inter beneficia, quæ studiosis Eloquentiæ conferuntur, amplissimæ referendæ sunt opes & facultates, summi honorum grad9, immortalitatis nomẽ, & gloria, quã nulla posterorũ oblivio unquam obscurabit, *probabis exemplis*, Ciceronis, Demosthenis, & aliorũ, &c. Beneficia verò, quæ ex Eloquentia ad alios promanant sunt, cõsolari mœstos, erigere desperatos, Remp. afflictam ac penè perditam ad pristinam dignitatem revocare, injuriam repellere, pestes Reip. omnesq; quibus nil antiquius esse videtur nece civium, & eversione Reip. internecioni tradere, seditiones & tumultus populi sedare. Singula uno vel altero declarabis exemplo.

III. *à necessario*, cujus probationem sumes à deplorata hujus temporis conditione. Nam cùm videamus per inanem loquacitatem hæreticorum infinita propemodum hominum millia à vera fidei regula in perniciosos labi errores, nihil videtur spei relictum esse revocandæ pristinæ Religionis, nisi omni studio & labore Eloquẽtiæ operam demus, aut in dicendi facultatis studio plurimum operæ diligentiæq; ponamus, & paribus armis saluti proximorum prospiciamus, quibus ad perniciem eorum utuntur.

In PERORATIONE *primò fiat Prosopopœia ad Philosophici studij cultores*, ut quidquid nancisci possunt temporis, id huic studio tribuant, certissimeque animum inducant Eloquentiam Philosophiæ conjunctam innumerabiles hoc deplorato sæculo

Reip. utilitates allaturam. *Deinde eadem convertatur ad eos, qui in humaniorum litterarum studiis versantur*, ut seposita rejectaque omni socordia, ardentissimis desideriis studium Eloquentiæ arripiant; certissimeq; secum statuant, si modo diligentes fuerint, fore, ut non exiguos progressus parvo tempore faciant, rationemq; addiscant proximorum calamitatibus succurrendi, Reip. benè consulendi, deniq; hæreticorum technas, fraudes, & sceleratos dolos detegendi.

LXXI. DE RERVM MVNDANArum studio contemnendo.

IN EXORDIO *dices*: Indignum esse, hominum animos, non diuturnis huius mundi voluptatibus delinitos, averti à memoria rerum cælestium: tantaque ferri dementia, ut gravissimo exilio patriam illam longè iucundissimam postponant. *Probabis à definitione hominis*. Cùm enim animal sit rationis particeps, intelligentia, iudicioque præter cætera instructum, omnino convenit ad summam felicitatem contendere, cunctaque amovere, quæ vel minimum impedimentum laudatissimo huic conatui possunt objicere.

In PROPOSITIONE *dices*: Tibi certum ac deliberatum esse præter hanc & alias afferre causas, quæ merito Christianos impellere debeant ad contemptionem rerum huius mundi.

CONIRMATIONIS. I. Locus *sumatur à facili*: Nullius erit negotii rerum sæcularium studium amandare, si parvo (ut cuilibet natura dictat) simus contenti, siquæ mundus offerat respuamus, si blandimentis ejus imponi nobis non permittamus.

Hinc à Contrariis demonstrabis, quas curas & labores nullo in tempore homines illi subeant, quibus mundo servire placere propositum est.

II. *Sub-*

II. Subjicies causas, cur contemnendus sit Mundus, quia, videlicet, fallax est, quia vanus, caduca promittit, speciosa, oculos tantum oblectantia, animum vero non explentia offert, cupiditates generat, &c. *Hæc illustrabis eorum exemplis*, qui è Magnatum amicitia in summum odium, ab honoribus ad ignominiam, à divitiis ad paupertatem devenêre.

III. *Effecta erunt*: Sevocat mundus à Dei timore, in fraudem impellere quemlibet docet, avaritiæ malum penitus hominum mentibus inserit, ambitionem in animum introducit, fœdas corporis voluptates suggerit, Dei suos clientes reddit immemores, inferorum supplicia ut anilium fabularum loco habeant, persuadet. Quæ omnia quantis cum periculis, quanto cum Christiani nominis dedecore, quanta Dei offensione sint conjuncta, erit ostendendum.

IV. *A simili*. Quemadmodum auiculæ, cupiditate edendi longius progressæ, retibus sese induunt; sic homines, voluptatibus hujus mundi deliniti, dæmonibus præda fiunt. Vt pisces hamum escâ obductum avidè arripiunt, eoque capiuntur; sic illecebrosis deliciis in fraudem divinum animal sæpenumerò inducitur.

In Conclusione *post admonitionem Auditorum*: ut eorum sapiant exemplo, qui variis mundi promissis in sempiternam servitutem sunt abducti, *per prosopopœiam* vel Sardanapalum, vel Epicurum, vel Evangelicum illum Epulonem ab infernis revocabis, eique orationem attribues, qua circumventum se à mundo conqueratur, ærumnas suas multo gravissimas explicet, deperditam supernæ patriæ felicitatem proponat, nosq; majoris prudentiæ admoneat. *Inde auctor eris Auditoribus*, ut viso tam luctuoso spectaculo, auditaque miserabili oratione; non aliter ad mundi incantationem aures obstruant suas, quàm olim sapientissimus Vlysses

ad blandas Syrenum voces, eaq; ratione futurum promitres, ut portum longe feliciorem, quam ille assequantur.

LXXII. ENCOMIVM S. CAtharinæ.

EXORDIUM *à nostra Persona*. Recte & convenienter à nobis studiosis commendari S. Catharinam, quæ præsidem agat omnium nostrorū studiosorum.

Apud studiosos eloquentiæ, Virgo eloquentissima commēdatur.

CONFIRM. I. Locus *à genere*, quod regia progenie sit edita, commendabis maxime pietatem parentum, præcipuè matris, quod enim in patre desidarabatur; id copiosissime compensatum fuisse in filia dicemus. Ne tamen quisquam propter ethnicum patrem laudatione eam minus dignam arbitretur, adferes hujusmodi similitudines; Ex spinis procedere rosas, ex abjecto ligno pulcherrimos oriri botros.

II. *ab educatione*, in quâ hoc laudi vertetur virgini, quòd se non voluptatum illecebrosis consecraverit studiis, sed bonis artibus animum suum exornare studuerit. *Amplificabis*, quòd admiratione dignum sit, fœminam liberalibus artibus deditam fuisse. Quare *hic breviter perstringes & reprehendes* adolescentum quorundam in studiis desidiam & pigritiam.

III. *ab ingenio*, quòd excellenti ingenii acumine non sit abusa ad perniciem Reip. *Hic poteris conqueri*, nos in tam deplorata incidisse tempora, in quibus multi ingeniis suis multa incommoda Reip. adferunt, & plurimos in æterna supplicia præcipites agunt.

Obtulit se morti, ut alios à morte revocarit æterna.

IV. *ab insigni charitate promouendæ salutis proximorum*, quòd testibus historicis, nihil sibi habuerit charius, quàm ut quibusvis existeret causa amplectendæ Religionis Christianæ. *Hic dices*, eam nobis

bis etiam præbuisse exemplum, uti studia nostra non ad illiberalem quæstum dirigam⁹, sed ad proximorum salutem, & divinæ Majestatis, & gloriæ propagationem.

V. *à Constantia inaudita*, quam exhibuit, quando nullis tyrannorum minis, nullis verberibus & cruciatibus eò potuit adduci Virguncula, ut à suscepta Religione Christiana latum, ut ajunt, unguem discederet. *Virginitas ejus per lactum cruentum fuit comprobata.*

In PERORATIONE *vehementer erunt animi Auditorum concitandi*, ut sanctissimam, Deoq; gratissimam virginem, studiorum nostrorum parentem, omni studio ad imitandum sibi proponant, nullaque ratione committant, ut se vinci patiantur in studiorum palæstra ab virguncula, quin potius ad id omnes suas curas & labores dirigant, ut non solùm litterarum scientiam consequantur; sed etiam in fide Catholica ad ultimum vitæ spiritum permaneant, & nullis hæreticorum blanditiis se ab ea abduci patiantur.

LXXIII. PARÆNESIS AD ZELVM, seu animi æstum, ex indignatione de iis conceptum quæ indignè fiunt vel adversus Deum, vel adversus homines quos diligimus.

Ioan.2.v.15 1.Cor.9.v.7.

EXORDIUM *à causa impulsiva*, quòd cum hac ultima mundi senecta paucissimi ardeant zelo Dei & animarum, operæ pretium te facturum existimes, si tantæ virtutis dignitatem, necessitatem, & utilitatem Auditoribus proponas.

CONFIRMAT. I. Locus *à dignitate virtutis zeli*, quæ inde lucet, quòd hoc Dei donum ferè à duabus maximis virtutibus, charitate & religione in Deum proficiscatur. Vnde enim verba illa Pauli æstum zeli redolentia: *Optabam anathema esse à* *Rom.9.v.1.*

Q 5 *Christo*

De Div. nominibus c. 5. *Christo pro fratribus meis*; profecta sunt, nisi ex flagrantissimo amore & desiderio salutis Judæorum promovendæ? Et ideo paulò ante exclamavit: *Quis nos separabit à charitate Christi?* Et S. Dyonisius Areop. ait, nomen zelotis idcirco in S. Litteris tribui Deo, quod ingenti amore res à se conditas prosequatur. Adhæc virtus ista in Scripturis maxima tributa est personis in populo Israël dignissimis, ut sacerdotibus, & summis quibusque Prophetis. Phinees Sacerdos, & nepos Sacerdotis, & filius Sacerdotis zelosus erat; zelum habuit & Elias: zelum habuit, etiam Mattathias. Zeli nomine illustres fuerunt Præcursor Domini, Princeps Apostolorum Petrus, gentium Doctor Paulus, & Protomartyr S. Stephanus, atque adeo quotquot post Apostolorum tempora doctrina sanctitateque excelluerunt, iidem hac virtute effloruerunt, ut Cyprianus, Hilarius, Basilius, Ambrosius, Chrysost. Hieronym. Augustin. Greg. Rom. Bernardus.

Syr. 17. 12. Vnicuique mandavit Deus de proximo suo. II. *à necessitate*, quæ inde patet, quod lege Divina non solum superioribus, sed quibusvis etiam hominibus imperatum est, ut corrigant proximorum lapsus (*Levit. 19. 17. Matth. 18. 15. Ephes. 5. 12*)

III. *à multiplici utilitate* Nam PRIMÒ, nulla re magis quam hac virtute, maximè si sit zelus animarum, Deum demereri possumus. Vnde Sanctus Dionysius Areop. *Divinorum*, ait, *omnium divinissimum est cooperari Deo in conversione peccatorum.* Dei enim, uti est summa per essentiam bonitas, proprium est suam bonitatem communicare omnibus, omnes salutis capaces ad eandem perducere, cuique pro inopia subvenire. Vnde qui in hac re Deum imitantur, divini, imo divinissimi, atque adeo dii sunt nuncupandi. S. Chrysost. *Et scias*, ait, *quantum bonum sit cum salute nostra, & alios lucrari, audi*

Ps. 81. 6. Ioa. 10. 34. Hom. 3. in Gen. Ier. 15. 19.

Prophe-

Prophetam ex persona Dei dicentem: Qui educit pretiosum à vili, quasi os meum *erit. Quid hoc est? Qui ab errore ad veritatem, ait, manduxerit, vel à peccato ad virtutem proximum induxerit pro virili humana me imitatur.*

Secundò, Angelorum patrocinium hoc officio magis demeremur, cum nos socios ipsis adjungimus in procuranda hominum salute. *Omnes* enim, teste Apostolo, *sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* Hinc sequitur nos Angelico prorsus munere fungi, cum aliorum saluti curandæ invigilamus. *Heb. 1. 14. Vide Chrysost. in epist. ad Hebr. Hom. 3.*

Tertiò, Huius virtutis beneficio gentilium facta est conversio in toto orbe terrarum.

Quartò, Ignis huius zeli exurit omnia peccata nostra, eorumque fontem exsiccat: pravas enim cupiditates consumit.

In Epilogo *monendi Auditores*, ut tantum studii & laboris in zelo exercendo impendant quantum suggerunt gratiæ divinæ vires, quas ipsis Deus subministrabit; & si fructus conatui non respondeat, atque etiam ludibrio aliorum zelus ipsorum excipiatur, non idcirco putent se meriti sui jacturam fecisse, sed memores sint zelum esse actum charitatis quæ omnia suffert. Unde S. Augustin. c. 3. Joan. *Quis comeditur zelo domus Dei? qui omnia quæ ibi videt fortè perversa, satagit emendare, cupit corrigere, non quiescit: si emendare non potest tolerat, gemit. Non excutit de area granum, sustinet paleam, ut intret in horreum cùm palea fuerit separata.* *Matth. 12. Ps. 68. 10. Psa. 118. 139.*

LXXIV. PARÆNESIS AD FREquens orandi studium.

Exordium *à tempore.* Cùm consuetudine institutoque majorum ita comparatum sit, ut

per

per hosce dies ad religiosissima urbis loca piæ supplicationes fiant & processiones, te nihil ab officio tuo alienum facturum, si quanta assiduæ precationis dignitas, necessitas, utilitas, & jucunditas sit, brevi oratione complectaris.

Exod. 34. v. 30. CONFIRMAT. I. Locus *ab excellentia & dignitate Orationis*, quam multa in S. litteris produnt. *2.Cor.2. v.1.* PRIMÒ, quod Moysis vultus ex colloquio cum *Exo.32.* Deo habito ita radijs sit collustratus, ut populus *Dimitte me, &c.* Israëliticus non potuerit oculos in illum intendere: & quòd precibus suis Dominum quasi coegerit *Ps.105.v.23* ad condonandam noxam eidem populo, qua de causa & Hieremiæ (*c.7. v. 16.*) vetuit ne oraret. SECUNDÒ, Oratio in Psalmis confertur cum Sacrificio, Psal.140.v.2. TERTIÒ, non semel indicat Scriptura Angelorum ministerium in hoc maxime excubare, ut præces nostras deferant in cœlum. (Tob.12. v.12. Actor.19.v.10. Luc.22. Actor.12. v.7. S. Chrysost. docet *lib.1. de Orat.* etiam ipsos Angelos animam illam honorare, quàm cernunt tam familiariter, & celebrò ad colloquium Divinæ Majestatis admitti.

II. *à necessitate*, quam sæpe nobis inculcat Scriptura Syr.18. v.22. *Non impediaris orare semper, &c.* Matt.7.v.7. *Petite, & dabitur vobis, &c.* Luc.18.v.1. *Oportet semper orare, & non deficere.* ad Thes.5. v.16. *Sine intermissione orate.* S. Chrysost. lib.2. de orando Deum: *Si quis dicat*, ait: *anima nervos esse deprecationem, mea quidem sententia verum dixerit: quemadmodum enim corpus nervis cohæret, currit, vivit, stat, & compactum est, adeò ut si nervos incideris, universam corporis harmoniam dissolveris: itidem anima per sanctas preces sibi constant & conpinguntur, ac pietatis cursum facilè peragunt: Quod si teipsum destitueris precatione, perinde feceris, ac si piscem ex aquis extraxeris: ut enim pisci vita est aqua, ita tibi deprecatio. Per hanc datur velut ex aquis subvolare, cœlumq; transcendere.*

III. à

III. *à multiplici fructu*, quorum PRIMUS est, quòd à Deo impetret remissionem peccatorum. Luc.18. Publicanus orans & dicens: *Deus propitius esto mihi peccatori*, descendit in domum suam justificatus.

SECUNDUS, Quòd dæmonem repellat eiusque tentationes, imò etiam valeat ad vincendos hostes visibiles, homines, & alia mala avertenda.

TERTIUS, Quòd justus mereatur incrementum virtutis, & ipsam vitam æternam. Chrysost. lib.1. de modo orandi Deum: *Si qui cum Cæsare miscent sermones, familiariterq; cum eo versantur, non possunt esse pauperes: multo minus fieri potest, ut qui Deum deprecantur, cum eo familiariter colloquentes, animas habeant mortales.* Nam mors animæ est impietas, ac vita pugnans cum lege Divina. Ex quo consequitur, animam vitam esse Dei cultum, ac vitam eo cultu dignam: porrò vitam piam ac Dei cultu dignam miris modis oratio conciliat, conciliatam auget, ac Thesaurum animis nostris recondit.

QUARTUS, Valet ad satisfaciendum pro pœnis peccato debitis. Hinc David tot Psalmis compositis peccata sua deflevit, ut Deo satisfaceret.

QUINTUS, Impetrat omnia subsidia ad vitam tam corporalem, quàm spiritualem necessaria; imò crebrò plura impetrat, quàm petantur. Nam (teste Chrysostomo) sicut homo in rebus corporalibus nascitur nudus, & egens rebus omnibus, sed habet manus, per quas reliqua instrumenta, & quidquid humanæ vitæ necessarium est, facilè parat: sic etiam in vita spirituali nihil omninò potest sine ope divina non solùm operari, sed nec loqui, nec cogitare, sed oratione, si ea bene utatur, omnia potest obtinere. *De orando Deum.*

SEXTUS, Oratio frequens mentem illustrat.

SEPTIMUS, spem & fiduciam alit.

OCTA-

Octavus, Charitatem inflammat, & mentem ad majora dona capaciorem reddit.

Nonus, Humilitatem auget, & castum timorem.

Decimus, Gignit in animo orantis contemptum rerum omnium temporalium.

IV. *ab incredibili, quam parit, delectatione.* Per eam enim fit, ut incipiat homo gustare, quam *suavis* sit *Dominus*. Hinc videmus nonnullos sine labore nō solum pernoctare, sed etiam dies integros cum integris noctibus in oratione conjungere.

Epilogus *adhortabitur auditores* ad continuum precandi studium.

LXXV. ENCOMIVM SPEI.

Exordium *sumes* à duobus vitiis, quæ hinc inde spem, tanquam scopuli & præcipitia ambiunt, desperatione & præsumptione. Illo enim sic obtuetur *homo* vel gravitatem, vel multitudinem criminum suorum, vel utrumque, ut sibi tandem persuadeat, animumque obfirmet, fieri non posse, ut Deus ignoscat: hoc verò vel viribus arbitrii sui defert omnia, ut neque Dei gratiam, neque doctrinam, neque ulla præsidia requirat, quasi suo marte ad vitam æternam, citra auxilium Dei possit pervenire, vel in mediis licet flagitiis sine pœnitentia positus, vitam tamen sibi æternam pollicetur.

Propositio: Cùm igitur Sectarii nostri temporis multos ex portu spei in hosce duos scopulos impellant, te Auditoribus spei dignitatem, necessitatem, & commoda in memoriam revocaturum.

Confirmat. I. Locus *ab excellentia virtutis Spei*, quæ inde licet, quòd versetur circa nobilissimum objectum, vitam æternam, tam nobilem & sublimem, ut teste Apostolo, qui in tertiū cœlum
1. Cor. 2. v. 9. ascenderat, tale quid *nec oculus viderit, nec auris audierit,*

dierit, nec in cor hominis ascenderit. Consistit enim vita æterna in contemplatione ipsius Dei quo nihil est excellentius. Quod agnoscentes sancti, ipsum Deum vel Christum spem nostram appellarunt, ut Psaltes Regius, (Psal.60.v.4. Psal.70.v.3. Psal.90.v.9.& Jeremias(c.27.v.7.)

II. *à necessitate sperandi in Deum & fiduciam in eo collocandi,* quam indicat Scriptura sacra. PRIMÒ, quia in ea reprehenduntur, qui in aliis rebus, Deo excluso spes suas defigunt. SECUNDÒ, quia in ea jubemur spem omnem defigere in Deo(*Prov.3. v.5. Psal.91.v.9. Syr.19.c.22.v.6.*) *Ps.48.v.7. Ps.147.v.2. Prov.11. Esa.3.v.1. Ier.17.v.5. 1.Tim.6.v.7*

III. *à multiplici fructu.* PRIMUS, non confundit sperantem. *Rom.5.55. Psal.30.v.15. Syr.2.v.11.* Atque hinc in Paulo, *ad Heb.6. v.10.* quatuor *vel quinque* probatur *argumentis,* spem nostram in Deum debere esse certissimam. PRIMÒ, quia nititur promissioni divinæ, quæ infallibilis est. SECUNDÒ, quia nititur juramento Dei. TERTIÒ, quia vocat anchoram animæ tuam & firmam, ut declaret spem nostram esse inexpupnabilem, & omnibus hujus sæculi fluctibus & tempestatibus fortiorem: anchoris enim naves maximè alliguntur, ne vi tempestatum disjiciantur. QUARTÒ, quia addit eam non contentam esse bonis corporalibus vel spiritualibus huius sæculi, sed ad interiora velaminis progredi, id est, ad felicitatem æternam jam nobis velatam, ad Dei visionem, & Deum ipsum. QUINTÒ, quia indicat nos Spei beneficio jam cœli possessionem adiisse in Christo capite nostro, (quem præcursorem vocat, ut indicet nos, inquit Theop. secuturos) & Christum ibi non semel in anno interpellare pro nobis; (ut faciebat veteris legis Pontifex) sed in æternum, unde & *salvare,* ait c.7.v.25. *in perpetuum potest, &c.*

SECUNDUS, Salvat nos & beatos reddit in hac vita (*Rom.8.v.24. Psalm.39.v.5. Prov.16.v.20.*

Esa.30.

Est unicum ... præsens ... & ... [illegible]

*Esa.*30.*v.*18.quia(ut ait Aug.in Psal.133.) *spes nostra tam certa est, quasi jam res perfecta sit, neq; enim timemus promittente veritate.*

Tertius, Ingenti nos perfundit gaudio, & cōsolatur nos (*Rom.*12.*v.*11.*Heb.*6.*v.*18.*Syr.*2.*v.*9.)

Quartus, Præbet invictum robur animi in adversis, quale apparuit in Martyribus; qui sola spe remunerationis æternæ fulti, acerbissima tormenta sustinuerunt (*Psal.*25.*vers.*1.124.*v.*1. *Esa.*30. *v.*15.40 *&* 31.

Quintus, Arcet, ac deterret hominem à peccatis *Psal.*31.*v.*23.

In Epilogo *hortaberis Auditores*, ut spem suam alant, augeant, & communiant bona Conscientia, (1.*Ioan.*3.*v.*21.2.*Cor.*1.*v.*12.) Patientia, & voluntaria susceptione afflictionum pro nomine Christi (*Rom.*8.*v.*17. *Heb.*10.*v.*35.) denique imploratione divinæ opis (*Iac.*1.*v.*5. 1.*Ioan.*5.*v.*14.*Luc.*11.*v.*2.

LXXXXI. LAVS TEMPERANTIÆ seu frugalitatis.

Vide Aureū lib. P. Leon. Lessii de Sobrietate. Hygiasticon vocatū.

Exordium *à deploratione nostrorum temporum*; quòd eo devenerint multi homines, ut barbarorum mores quàm proximè sectari, arbitrentur esse pulcherrimum. Vt enim Barbari eos solos viros censebant, quibus vorandi plurima & bibendi esset facultas: ita nostra ætate sunt complures, quibus in animo vix alia est cogitatio quàm de abdomine cibis & poculis infarciendo, ingurgitandoque.

Propositio: Te igitur è contrario Auditoribus Temperantiam commendaturum.

Confirmat. I. Locus *à dignitate*, quam inde convinces. Primò, quòd non modò à Philosophis, verùm etiam à SS. Patribus refertur inter quatuor Virtutes Principales, quas Patres vocant Cardinales, quòd sint quasi omnium aliarum virtutum

rutum fontes & cardines, & quemadmodum ostium in cardine, sic omnis honestæ vitæ ratio contineatur in illis. SECUNDÒ, quod hæc virtus (ut & cæteræ tres) inter divina dona numeratur. S. Bern. *Serm.22. in cantica*, vult eam 1. *Thess.4. v. 3.* vocari *sanctificationem*. TERTIÒ, quod natura suadet frugalitatem, quæ paucissimis est contenta.

II. *à necessitate*, quæ inde comprobatur. PRIMÒ, quòd eam nobis commendavit, ac mandavit Spiritus Sanctus in S. Litteris, ut *Syr.31. p.19.37. v.32. &c. Luc.21. Cavete.* SECUNDÒ, quia omne genus intemperantiæ Scriptura vetat, ac damnat.

De consec. dist.5.

III. *ab utilitate*, Syr.31. v.36 *Exultatio animæ, & cordis vinum moderatè potatum, &c.*

S. Hieron. ad Jovini. *Legimus quosdam morbo articulari & prodagra humoribus laborantes, proscriptione bonorum ad simplicem mensam & pauperes cibos redactos convaluisse. Caruerant enim solicitudine dispensandæ domus & epularum largitate, quæ & corpus frangunt & animam.*

Val. Max l.2 de instit. antiq. Bona valetudinis quasi quadã mater est frugalitas.

S. August. ad sacras Virgines: *Sobrietas est mentis & sensus, membrorumque omnium corporisq; tutela, castitatis pudicitiæque munimentum, pudori proxima, amicitia pacisq; serva honestatiq; semper conjuncta, criminum atq; vitiorum omnium profuga.*

Non intelligunt homines, quam magnum vectigal sit parsimonia

IV. à fœdissimis fructibus & commodis contrariorum vitiorum, gulæ, ebrietatis, comessationum omniumq; carnalium cupiditatum. S. Hieron. *Ecclesiæ Principes, qui delitiis affluunt & inter epulas atq; lascivias pudicitiam servare se credunt, propheticus sermo describit, quod ejiciendi sunt de spaciosis domibus lautisq; conviviis, & multo labore epulis conquisitis. Et si vis scire quo ejiciendi sunt propter malas cogitationes & opera sua, Evangelium lege:* In tenebras exteriores, ubi erit fletus & stridor dentium. *An non confusio & ignominia est, Iesum crucifixum pauperem & esurientem fartis prædicare corporibus, & jejuniorum doctri-*

dist.35.

Prov.20. Luxuriosa res vinum, &c.

Qui diligit &c. c.21.

Nihil facilius, quàm secundum hanc virtutem natura

convenienter doctrinam rubentes buccas tumentiaq; ora proferre, &c.

vivere. Exempla frugal. 5. Tusc. disp.

Idem Epist. ad Furiam: *Nihil sic inflammat corpora, & titillat membra genitalia sicut indigestus cibus ructusq; convulsus.*

V. *à facili.* Senec. ad Lucil. Epist. 21. *Venter praecepta non audit, poscit, appellat: non est tamen molestus creditor, parvò dimittitur, modo des illi quod debes, non quod potes.* Menander, ἡ κοιλία καὶ πολλὰ χωρεῖ καὶ ὀλίγα, Venter & multa capit, & pauca.

VI. *à tuto*, quod frugali non sit metuenda egestas.

In Epilogo *hortaberis Auditores*, ut in hac virtute se exerceant, vitia contraria devitent.

LXXVII. CLANCVLARIOS CONCIONATORES ex Rep. Christiana esse exterminandos.

Sacrosanctam Christi Ecclesiam, Auditores benevoli, nunquam cessat, ab initio incipiens, juratissimus ille humani generis hostis ad ruinam omni conamine impellere, & quidquid habet viriũ, potentiae, insidiarum, virulentiae contra eam effundere: atq; sicut hoc ipsũ in sancta illa Sion, adhuc lactente, ac in cunis vagiente, potissimum per Ethnicos, & à religione nostra alienos homines est molitus; ita hac temporũ faece, jam senescente & ad finem properãte mundo, idem multo validius agit per domesticos, ideoq; pestilentiores illius inimicos, haereticos. Posteaquã enim furiosus hic humani generis persecutor animadvertit, numerũ Christianorum inter saevas Rom. Principum persecutiones non secus augeri Martyriis, atq; vineae ad ubertatem provocantur putatione: Remp. Christianam vix ex atrocissimis persecutionum vulneribus paulisper respirantẽ, novis insidiis opprimere, vexare, atq; adeò inaudito quodam genere feritatis extinguere conatus est: novã veterator

rator ille magnus excogitavit fraudem, Psychotyrannos ac mendaciorum magistros catervatim produxit, eorumque ministerio bona semina, ad æternæ vitæ fructus à Christo jacta, vel ex mentibus humanis eruere ac dissipare, vel contrariis seminibus occulte dispersis adulterare, & sic tandē genus humanum in sempiternæ miseriæ regionem præcipitare tentavit.

Nam licet ordinata acies castrorum Christi adversus omnes hostiles acies, insuperabilis atque invicta consistat, neque ullam, sive humanam, sive diabolicam vim sub omnipotentis Imperatoris præsidio pertimescat; non tamen Satanas sibi unquam deest, circuit, quærit, observat, insidiatur; nullam nocendi elabi sinit opportunitatem. Non potest ille Dei exercitum profligare, conatur tamen: non fundet unquam Christi copias, nec delebit; at confundere & perturbare novis strategematum formis, & libris, & sermonibus hæreticorum nunquam intermittit.

Cùm igitur præceptoris mei voluntate hanc dicendi provinciam sim ingressus, & inter omnes Ecclesiæ persecutiones nulla atrocior, nulla sit gravior, quàm hæreticorum, certū deliberatumque mihi est, quàm cum luculenta Divinæ Majestatis injuria, quantaque cum animarum & salutis æternæ jactura sit conjunctum, eorum clancularios conventus, & furtivas conciones non omnibus modis præpedire, nervosis, & ex intimis rerum penetralibus eductis rationibus demonstrare. Etsi enim, ut adferam aliquid vestra exspectatione dignum, Aud. hum. ut nobilissimos huius juventutis animos expleam, ut respondeam tam celeberrimæ Academiæ nomini atque famæ, quæ totum jàm diu terrarum Orbem peragravit, vix ab hac tenuitate requirendum est: tamen frequens hic vester conspect⁹, hæc summa alacritas vultu &

& aspectû significata, pellit omnem metum animo, eumq; mirandum in modũ recreat atq; confirmat. Cùm igitur vos ad attentè auscultandum satis vestrapte sponte paratos esse confidam; tamẽ magis consuetudine, quàm quod ita necessarium judicem, à vobis summopere contendo, Aud. ut istam ipsam alacritatem animorum, quam concurrendo declarastis, mihi in hoc sanctissimo Philosophiæ sacrario, in his ipsis delicatis Musarum sedibus, de re ad summam Reip. Christianæ atque ad omnem nostram vitam salutemq; spectante verba facienti præbeatis, hanc attentionem tantam; hoc silentium vestra moderatione dignum, ad extremam orationem conservetis.

In tam ubere autem & copiosa rerum, quæ se ad dicendum offerunt, segete, commodè mihi videor initium ducere à prudentissimo, licèt naturali tantùm lumine irradiati, religiosissimi tamen secundi Regis Rom. Numæ Pompilii facto, quo ad continendam in nova Rep. multitudinem indomitam atque infrenem, efficacissimam rationem esse existimavit, si primùm Deorum metum omnibus quàm maximum injiceret, cumq; is non facile descensurus in hominum animos videretur; simulavit sibi cum Dea Ægeria congressus nocturnos, cujus admonitu quæ acceptissima Diis essent sacra constitueret.

Prudentissimum verò & tanto Rege dignum commentum, quòd ostendit quid sit in primis ad stabiliendam pacandamq; Remp. comparandum, quantoque sit opere elaborandum iis rerum moderatoribus, qui Deum verum fide illuminati nôrunt, ut in Repub. de vera Religione, qua sincerissimè colatur Deus, prima semper cura suscipiatur, ea vigeat & floreat sola, falsis omnibus & adulterinis explosis. Quòd cùm vel longè melius intelligant nostræ Religionis signiferi atq; duces,

etsi

etsi in persecutionibus omnibus contra portas inferorum rem fortiter gererent, & omnes procellas impendentes pro viribus circumspicerent, caverent, propulsarent: bello tamen fidei ingruente, omnia sibi facienda, omnes adhibendas machinas, nihil intentatum relinquendum esse putabant. Alios hostes ut ab Ecclesiæ finibus submoverent, nemo de statione sua discedebat, nemo custodiam gregis sibi concrediti deserebat: novam & adulterinam religionem ut propulsarent, universas Ecclesiæ vires quasi robustiss. exercitum colligebant, tanquam communi classico evocati omnes una ad resistendum occurrebant; & relictis gregibus, & sedibus, ignotas ac longè positas regiones non sine magno & sumptu & vitæ periculo adire non dubitabant. Neque verò Episcopi solùm in Conciliis congregati, divino præsidio circumsepti, vallati, atque muniti quasi instructa acie adversus hæreticorum phalanges omni armaturæ genere hostiliter insurgentes atque frementes, depugnabant; sed & ante Episcopos cæteros summi ipsi Pontifices ex celsissima specula atque arce Religionis primi signum dabant, primi fulmina anathematum in adversarios jaculabantur, & post Episcopos Impp. edictis, legibus, mulctis piè in eos sæviebant: una autem omnium ordinum & nationum DD. & litteris & sermonibus tanquam ad commune restringuendum incendium accurrebant. Prudenter admodum flammam Reipub. Christianæ sceleratam atque atrocem restinguebant, dum adhuc velata cineribus ac sopita, facultas restringuendi levissimè daretur, ne si omnia comprehendisset, frustra postmodum furibundam atque exultantem restinguere exoptassent. Probè enim strenui illi veritatis athletæ intelligebant, hæresin simulatque unum aliquod Ecclesiæ membrum corrupit,

 conti-

continuò sensim atque occultè in reliqua membra inserpere, & instar atrocissimi veneni per omne corpus Ecclesiæ dimanare. An non una in Alexandria scintilla fuit *Arius?* At quia non statim oppressa est, totum Orbem terrarum ejus flamma depopulata est. Siquidem cùm Alexandriæ & Ægypti finibus ad omnium gentium perniciem erupisset, non solum per innumeras Asiæ Provincias manavit; sed mare etiam superavit, & obscurè serpens, cum bonam Europæ partem occupavisset; usq; in Hispaniam extremam penetravit: ab Austro exortum illud incendium, cùm Solis Orientis partes, Aquilonisque complevisset, usque in ultimas Occidentis Solis oras non longissimo spacio temporis pervenit, & quascunque terras attigit, ita crudeliter atrocissimas flammas evomens, in iis grassatum est, ut miserrimam Christianæ pietati intulerit vastitatem. Nostræ verò cladis nonne in *Luthero*, (à quo primum nostro hoc infelici seculo fax est, in Ecclesia discordiarum accensa) nonne inquam in immani ista bellua perparva initia fuerunt? Collucebat in iis primùm velut exigua quædam erroris scintilla, quæ si ut conspecta est, mox compressa fuisset, non has, quas eheu videre cogimur, Ecclesiæ ruinas videremus. Sed cum ille maledicti Cham conceptus animo calor, ille pestilentissimus hæreseos ignis sensim paucorum in pectoribus aleretur, & paulatim vires colligens, viciniora quæque corriperet, continuò etiam ad dissitos; velut ardentes flammarum globos evomuit, continuò spargi ignes misceríque incendia longè lateque cœperunt. Manum enim ista Germaniæ prima furia comparavit, diversam quidem genere hæresios, sed magnitudine sceleris vitæque similitudine pæne eandem, quam ambitiosam & desiderio prædæ Ecclesiasticæ mirabiliter flagrantem illecebræ sibi facil-

facillimè conciliaverunt. Consilia nefarii facinoris in amplissimi Ducis N. aula decoquebantur, ad eam greges confluebant perditorum hominum, Apostatarum cœtus, nobilitati nòn solum magnitudine & summa æris alieni, verùm etiam consuetudine ac studio turpissimarum rerum, nulla denique portenta Imperii, nullæ finitimarum Regionum pestes repertæ sunt, quæ non repente in aream istam nefariæ atq; flagitiosæ conjurationis devolârint: quorum omnium consilia eò spectarunt, ut Ecclesiæ bona diriperent, Romam inflammarent, Ecclesiasticum Senatum contunderent eosque, qui præsidium Pontifici ferre voluissent, contrucidarent. Cùm enim sævissima illa Religionis tempestas, *Lutherus*, videret, Pontifice & Ecclesiæ Romanæ Senatu damnato, ejecto atque adeò deleto, viam latissimam libidinibus suis patere, nullam omisit neque perturbandæ curiæ Romanæ, neque insectandi Pontificii Senatus occasionem. Vertit itaque oculos ad innumerabilem copiam hominum seditiosorum, & omnibus turpitudinis notis abundantem, qua dies noctesque stipabatur in exercenda consuetudine suarum cupiditatum. Computavit ingenia ipsa hominum tanquam hastam validissimam furoris sui, facilimè sibi accommodari posse, quam contorqueret in universæ Romanæ Ecclesiæ ruinam atque interemptionem, ut quæ cognoverat educata gravissimæ vitæ institutis, imbuta sæpenumerò sanguine miserorum, ardentia incredibili desiderio prædæ, sibi verò meta familiaritate conciliata. Hæc novorum errorum venena sibi à diversis diaboli ministris propinata avidè celeriterq; susceperunt, suscepta & hausta intimis visceribus cœceperunt, concepta usuq; firmata tanta nunc inhærent tenacitate, ut eximi nec auctoritate nec ratione posse videatur. Hoc pacto sævissima

illa pestis latius opinione disseminata est. Ex Germania enim ad Aquilonem & Orientem profecta, Daniam, Norvegiam, Suetiam, Gothiam, Pannoniam, Hungariam, absumsit, vastavit; tum ad occidentē & meridiem pari celeritate delata, & Galliam, Angliam, Scotiam, florentissima quondam Regna, brevi tempore populata, ad extremum Alpes transcendit, & in Italiam usq; penetravit, multisque in locis etiam cum pulvisculo (quod ajunt) Christianam pietatem omnem evertit, fidem extinxit, charitatem vulneravit, imò tantis calamitatibus Christianam mactavit Rempub. ut si quamlibet potens & truculentus hostis eam grandi cum exercitu pervasisset, vix illi majorem cladem afferre potuisset. Hoc igitur crimen, tantæ impietatis plenum, ut ipsis pietatis fundamentum radicemque tollat, tam pestilens ac perniciosum, ut nisi attentissimè quisque caverit, in periculum perdendæ salutis adducatur; hoc tam turbulentum, seditionis fœcundum, & ad regna collidenda ac perdenda commodissimum Satanæ malum, non exilio, non vinculis, non facultatum amissione, non omni persecutione, adeoque ipsa morte dignum censebimus? Cum duce quondam illo mitissimo Moyse quispiam è populo Deum in jurgio blasphemasset, ideoque in vincula conjectus esset, tantisper dum cognosceretur divinum de reo judicium, consultus Dominus justissima lege eum lapidibus obrui demandavit. An verò blasphemus non est hæreticus? Non igitur blasphemus *Calvinus*, qui Omnipotentiæ derogans Divinæ fieri posse negat, ut quod in cœlo est Christi Corpus, in altari quoque simul ad verba efficacissima Christi existat? Non *Brentius* blasphemus, qui in diversum tempestate delatus, quod Divinitatis proprium est, ubique simul esse, naturæ Christi humanæ adscribit?

Non

Non propter has aliasque neque paucas, neq; leues blasphemias summa Legum æquitate & justa earundem severitate mortis supplicium blasphemis irrogatur hæreticis? Non eos in vincula duci, nō ad mortem rapi, non summo supplicio mactari decebat? Fuit, fuit illa quōdā in Ecclesia Catholica virtus, ut Imperatores Christiani acrioribꝰ suppliciis hæreticū seditiosum quàm acerbissimū hostē coërcerent, ejusq; sanguine non modò se non contaminarent, Sed etiā honestarent *Constantinus ille Magnus*, cujus res gestæ atq; irtutes iisdem, quibus Solis cursus, regionibus ac terminis continē-tur, devictis hostibus nominis Christiani, Lege sancivit, auferre hæreticorum oratoria neq; cœtus ullos aut privatis in ædibus, aut publicis in locis celebrari permisit. *Arium* cum aliquot sociis in exilium relegavit, eosque qui libros ejusdem occultassent gravissima pœna mulctavit. *Clodoueus Rex Francorum* simulatque Sacramento Baptismatis initiatus, & Rex consecratus fuit, *VVisigottos*, Ariano veneno infectos, Galliæ finibus expulit, & ne vicinos quidem, nedum in Regni sui visceribus, hæreticos permisit. Nonne *Valentinianus* & *Theodosius Manichaos* civitatibus exturbandos, ultimoque supplicio afficiendos decreverunt? Nonne *Hipponem*, D. Augustini Episcopatu claram, ad unitatem Catholicam timore Legum Imperalium legimus esse conversam? Nonne *Maximus Christianus Imperator Priscillianum* Hæresiarcham cum so-[illegible]s, Legum publicatum ense prostavit? Nonne [illegible]mpore *Innocentij* Tertii simul centum octoginta hæretici *Albigenses* sunt exusti? Aetas me deficeret, si pergerem eorum, qui flagrātiore divinorum amore afflati fuerunt, in hæreticos sævitiam recensere.

Vide Cic. Invectiuas in Catum.

Huc accedit, quòd (quia per ipsa adversariorum jugula vis veritatis quandoq; erumpit) etiam ipse

Lutherus, Sectariorum omnium antesignanus & princeps, consulit ut Clancularii Concionatores, (ipse errones & nebulones appellat,) qui se in aliorum functiones ingerunt, & contra Magistratus ordinationem clam atque furtivè in angulis passim repunt, plane non ferantur, sed magistro Hansoni, (sic vocat carnificem,) etiamsi rectè doceant, committantur. Vnde qui paululum iudicio & rerum usu valent, expendere secum possunt quàm longè Lutherani, qui Confusionem, (Confessioné dicere erat in animo) Augustanam profitentur, à Lutheri sui placitis recedant, cum inter Catholicos, contra Magistratus voluntatem, clam per domus discurrunt secretos, eosque prohibitos conventus agunt, & conciones furtivas instituunt, in quibus detestandum hæresion virus instar serpentum emittunt, atque hominibus suaviter instillant, eosque, qui se ad ipsos adjungunt, juramenti vinculo & aliis retinaculis firmiter suis sectis astringunt. Unde nihil aliud quàm discordia inter cives, seditiones, perturbationes Rerump. atque sexcenta alia id genus incommoda exspectari possunt.

Vide caussas R.D. Vlenbergij.

Cæterùm grave omnium iudicium portabunt in extremo die, ubi venient in conspectum tremendi Iudicis, non modò tenebriones isti, è cœlo non delapsi, verum deiecti, qui clam in angulis cauponantur, imò latrocinantur; verum etiam receptatores atque auditores ipsorum, quod contra Dei voluntatem, contra omnia divina simul atque humana Iura, contra imperii Constitiones; contra pacem religionis, contra iusiurandum, quo Magistratui obstringuntur, ea negotia tractant, ex quibus omnes miserias, calamitates, ruinam, atque interitum Pacis publicæ, demum corporum atque animarum perditionem oriri constat. Quare sæpe mihi patria, quę nobis vita multò erit charior,

rior, ſæpe cuncta Germania, ſæpe omnis Reſp. ejusmodi verbis cum iſtis animarum ſicariijs expoſtulare videtur: Quid cauſſæ eſt, quod *Lutheri* veſtri doctrinam ipſi contemnitis? an non ejus ſcripta eam apud vos auctoritatem obtinent, ut ad illa cõſcientias veſtras in fidei cauſis tanquam ad normam quandam componatis? Cur igitur in hoc negotio tam proteruè contra ejus placita, contra fidei veſtræ profeſſionem agitis? Qua fronte crimen illud committere audetis, quod per carnificem nefariorum ſcelerum vindicem hic quintus veſter Evangeliſta puniendum pronunciavit? quanquam enim Magiſtratus Catholicus adeò clemens eſt, ut nõ ſtatim vos de Lutheri conſilio carnifici tradat: tamen ad mortem vos omnes juſſu Magiſtratus jampridem duci oportebat, in vos conferri peſtem iſtam, quam in nós omnes ſemper eſtis machinati, ne ſi vos in malam rem abire permittat, libris veſtris per domos civium ſparſis peſſima diſcordiæ ſemina in Rep. relinquatis. Si vos comprehendi, ſi interfici juſſerit, credo, erit verendũ ei, ne hoc potius omnes boni ſerius, quàm quisque crudelius factum eſſe dicat: nemo profectò Catholicorum erit tam perditus ac deploratus, qui id non jure, egregiè, atque adeò regiè fieri fateatur. Quamdiu ergo fraudulentis inſidiis ac furtiuis concionibus ad fallendos Catholicos & ſuis ſedibus exturbandos ſtudebitis? quem ad finem ſeſe effrænata veſtra jactabit atque oſtentabit audacia? Nihilne vos æterna præſidia religionis? nihil Conſulum vigiliæ? nihil ſenſus & conſtans conſenſus Catholicorum omnium? nihil veſtri præceptoris fulmina ac tonitrua moverunt? Patêre veſtra plena ſceleris & audaciæ conventicula non ſentitis? conſtrictam omnium Catholicorum conſcientia teneri conjurationem veſtram non videtis? Neque nox tenebris

bris obscurare cœtus nefarios, neque privatæ domus parietibus continere vocē conjurationis vestræ possint, illustrantur, erumpunt, luce sunt clariora vestra occultissima scelerata consilia omnia. Hæc, ut dixi, Aud. patria mihi cum Apostolis istis Diaboli loqui videtur, qui quādiu sub nostri Magistratus sceptro vivunt, ideam quandam libertatis sibi affingunt, & illam, ut rem plausibilem, populo venditant. Quæ non recens composita, sed vetus Hæreticorum cantilena, & à Donatistis multum usurpata, quos B. August. (quem unum ex omnibus antiquis auctoribus laudare se simulat Calvinus) his verbis fortiter posternit: *Si* inquit. *voluntas mala semper sui permittenda est libertati, quare Israelitæ, recusantes & murmurantes, tam duris flagellis à malo prohibeantur, & ad terram promissionis compellebantur? Si voluntas mala semper permittenda est libertati, quare Paulus non est permissus uti pessima volantate, qua persequebatur Ecclesiam? sed prostratus est, ut excæcaretur; excæcatus est ut mutaretur? mutatus est, ut mitteretur; missus est, ut qualia fecerat in errore, talia pro veritate pateretur.* Hæc ille. Verum in adversarii nostri suo isti dogmati vita & moribus respondent? nihil minus. Siquidem, ubicunque *Lutherani* rerum potiuntur, ibi nec Sacramentarios, nec Anabaptistas, nec alterius notæ Sectarios, imò ne Catholicos quidem tolerant. Notum est toti mundo, quomodo jam aliquod annis in *Belgio* Catholicos tractarint Calvinistæ. In *Anglia* verò quàm crudeliter aliquando sævitum est? An non isti *Sacramentarij* manus suas in sanguine Catholicorum abundè satis laverunt? Quod magnates atque nobiles, quod docti, pii, adeòque cælorum habitatione digni viri sub *Elizabetha Regina* imperio propter Catholicæ religionis professionem partim in perpetuum exilium nudi & inopes relegati sunt

par-

partim in carceribus extincti vel necati, partim publicè strangulati, trucidati, imò horrendum in modum in frustra dissecti? An non ipse *Calvinus Servetum* (hæreticus hæreticum) in media Gebennensium (Genevensium dixissem) urbe religionis nomine cremari jussit? An non idem *Calvinus*, & scelere nobilis *Beza*, libris in lucem contra *Castellionem* editis, palam scripserunt, hæreticos capitali supplicio tollendos esse? An non *Benedictus Aretius Valentinum Gentilem* ob hæresin jure cæsum contendit? Qui *Gentilis*, cùm Genevæ in Arianismo renovando occupatus esset, factus est reus hæreseos apud tribunal hæretici magistrat9, ubi judicii laqueos frustra declinans, cũ irretitus & implicatus teneretur, metuens *Calvini* severitatem, & ad memoriam revocans incendium illud formidolosum, quo *Servetus* paulò ante perierat, ut tempori serviret, errorem se suum agnoscere simulavit. Itaque à judicibus cum ad pœnitentiam publicam esset damnatus, depositis vestibus, solo excepto indusio, nudis pedibus, detecto capite, facem manu gestans, præeunte præcone, totam urbem sic obivit, deinde à magistratu supplex veniam petiit, librum ipse suum in ignem abjecit, ac jurejurando promisit non abiturum se Geneva, nisi prius à Magistratu veniam impetraret. Sed præclarus iste Apostolus Arianus, postquam tam insigni palinodia & inconstantia renascentem Arianismũ decoraverat, eundem etiam perjurio ornandum esse censuit.

Quare Geneuâ clanculum se proripuit, & cùm apud Gallos, Helvetios, Polonos, aliasque gentes Arrianismum suum propagare conatus esset, & ad primum periurium alterum ac tertium addidisset, tandem apud *Bernam Helvetiorum à Zuinglianis* comprehensus, & capitis damnatus, meritas suæ temeritatis pœnas persolvit. Vbi est ergo illa

Re-

Religionis & conscientiarum libertas, quam toties isti, & suarum, & alienarum animarum interfectores, plenis buccis nobis occinuerũt? Imitantur profectò *Simonidem*, qui quoties mulas laudaret, equorum, qui eas procreassent, non asinarum injiciebat mentionem; Sic isti libertatem Evangelii, præclarum scilicet colorem, simplici popello proponunt; factionis verò & conspirationis, quæ libertatem Evangelicam inquinat, corrumpit, evertit, nullam penitus faciunt mentionem, cùm maxima sit libertas Christiana servire Legibus & obsecundare. Cùm primùm incautas Christi oves illaqueant, & in suas nassas pertrahunt, lupinā ferociam sub ovina pelle magno artificio tegunt, magnum pacis & concordiæ studium simulant, adeoque suaviter sese insinuant, ut è cælo delapsi esse videantur. Postquam verò illis ad res suas constituendas satis virium & roboris accrevit, continuò lupi, ovina pelle abjecta, naturam suam produnt, pietatis larvam exuunt, aliam faciem induunt, eruptione facta gladium Magistratui, legitimo per vim è manibus eripiunt, & hospites suos, ut levissimè dicam, profligant, imò ita se gerunt, ut dubium sit, sævitia, an calliditas illorum magis sit admiranda, Convertite oculos, Aud. attentiss. non humanitatis ac benevolentiæ plenissimos, sed illos acutissimos veritatis indagatores, ad clarissimas *Belgij* provincias: Videbitis eas hac impostura fœdè deceptas, & sub iugum à *Calvinianis* esse missas. Existimârunt incolæ futurum, ut ejectis Monachis, aliisq; Ecclesiasticis, & obedientia veteris Ecclesiæ proculcata, Aureum seculum in illis regionibus succederet: Evangelii novi Ministros probos atque integerrimos viros, adeoque sanctos in terra futuros planè persuasum habeant. Verùm quantum aberrarunt homines nimis creduli? Lupus enim, qui

qui ovina pelle tectus primùm irrepsit, postea dentes suosatq; ungues, & insitam naturæ ferociam ita exeruit, ut de Ministris proverbium inter ipsos *Calvinistas* exortum sit, Lupos quidem (Ecclesiasticos) ejectos esse, verùm ursos (Evangelicos concionatores) in eorum locum successisse. Quid in *Gallia* florentissimum quondam Regnum calamitatis inuexerint, quis est, qui siccis oculis commemorare queat? An terras illas videre non licuit Catholicorum cædibus redundantes? uxores in virorum, virgines in matrum sinu constupratas & jugulatas? infantes ab uberibus matrum ad cædem tractos? prægnantes mulieres viuas incisas? Sacerdotes per summam crudelitatem interfectos, raptata cadavera, laniata, canibus objecta, in flumen præcipitata? An non in ipsas etiam res inanimas crudelitatem suam exprompserunt? Testantur hoc templorum eversorum parietinæ, ossa Principum eruta, S S. Reliquiæ Martyrum è sepulchris effossæ. Hunc autem turbulentum ac seditiosum spiritum, (qui ungues habet ad lacerandum & discerpendum paratos cujusque oculi seditionē ac latrocinia scintillant,) hūc, inquam, ex pectore præceptoris sui *Lutheri*, in cuius scriptis vehementer oculis micat, hauserunt. Is paulò post quàm publicè ab Ecclesia defecit, cruentam admodum Bullam, ut ipse vocat, & Reformationem contra Catholicos Episcopos, adeoque contra totum Ecclesiasticum Ordinem in lucem edidit, in qua classicum cecinit, quo exciti agricolæ magno numero correptis armis confluxerunt, ut Episcopatibus devastatis, ipsos Episcopos & Ecclesiasticos Ordines penitus opprimerent. Cæterùm quia terminos ab ipso cōstitutos egressi, etiam Nobiles, Comites, adeoq; Principes adoriri cœperunt, aliud deinde classicum cecinit, & totum mūdū ad rusticos instar rabidorum canum

tru-

trucidandos concitavit, ut reipsa verum esse doceret, quod de suo Evangelio scripsit: *Evangelium quocunque venit tumultuetur*, & ut *Zuinglius* mavult loqui, *sitiat sanguinem oportet*. Quam tartariam esse vocem diceret Poëta. verùm talis Evangelii (quod ex imo Tartaro profectum est) praecones non alia vox magis decebat.

Nihil autem mirum est, quòd Anabaptistae externa specie tantam hoc tempore modestiam, tantumq; pacis studium pollicentur, cùm non semel ante hac gladium infelici eventu contrectârint, & cornua vertiginosi istius Spiritus omnino sint contusa, & conatus penitus repressi. Quòd si, viribus nonnihil collectis, iterum perrumpere liceat, judicium fieri possit ex iis, quae hactenus perpetrârũt, quid ab illis expectandũ sit. Quanquam enim cruenta illorum sub *Muncero* incentore excitata seditio non eum eventum habuit, quem animis destinârant, & tanta passim strages edita est, ut quoddam penè sanguinis Diluvium *Germaniam* inundârit, dum intra unius anni spacium ultra cẽtum millia hominum perierunt; annis tamen novem post *Monasterij* in *VVestphalia* semẽ quod mansit rursum pullulare coepit, & circa idem tempus *Amstelrodami in Hollandia* seditiosus eorum spiritꝰ ita foedè se rursum exeruit, ut jam nemo fidem illis amplius habere possit.

Videor, videor profectò mihi & hanc Vrbem, lucem orbis terrarũ, videre subitò uno incendio cõcidentem, Aud. ornatiss. Cerno animo sepultam patriam, miseros atq; insepultos acervos civium, bonorum virorum prosspriptiones, fortunarum direptiones, Reip. metamorphosin incredibilem & inauditam; summa imis, ima summis conversa & immutata: pro Aristocratia, vilissimam Democratiam: pro Monarchia, tyrannicam Oligarchiam pessimorum irrepsisse. Versatur mihi ante oculos fle-

fletus gemitusque totius urbis, & furor hæreticorum in nostra cæde bacchantium. Cùm verò mihi proposui regnantes, & in Ecclesiæ bonis se iactantes eorum concionatores & ludimagistros, tum lamentationem matrum familias, tum fugam virginum, tum lanienam Christi Sacerdotum perhorresco. Fingite animis, Aud. (liberæ enim sunt cogitationes nostræ, & quæ volunt, sic intuentur, ut ea cernimus, quæ videmus,) fingite igitur cogitatione dignitatem istorum prædonum tum florentem amplissimo magistratu, tum omnibus populi Catholici muneribus exornatam: quantum, quæso, sanguinis Ecclesiastici in choro, civilis in foro, in curia redundaturum esse creditis? aut quantam vim libidinis atque impudicitiæ per omnia cœnobia & civium cubicula dimanaturam? Ferentur amentes in omnia, nec ullæ rationes pudoris, nec ulla studia humanitatis refrænabunt præcipitem atque incitatum cursum vetustæ crudelitatis. Et quia vehementer hæc sunt misera atque miseranda; cur in eos, qui ea perficere conantur, nos severos vehementesque non præbemus? Etenim quæro, si quis paterfamilias liberis suis à servo interfectis, uxore occisa, incensa domo, supplicium de servo quàm acerbissimum sumserit, utrum is clemens ac misericors, an inhumanus & crudelissimus videatur? Mihi verò importunus ac ferreus, qui non dolorem cruciatu lenierit. Sic nos in acerbiss. istos hostes ac duplices latrones, qui nos vita & æterna salute privare volunt, qui id agunt, ut fæcem hæreticorum in vestigiis hui* urbis atq; in cinere deflagratæ Reip. collocent, si vehementissimi fuerimus, misericordes habebimur; sin remissiores esse voluerimus, summæ nobis crudelitatis in patriæ civiumq; pernicie fama subeunda est. Nihil, Aud. nihil erit impedimento, quin audaciam crudeliss. hominum

crudelissimo genere suppliciorum expiemus, & ultionem ex illorum cruciatibus ac pœnis capiat Resp. quorum erat conflagratura manibus, nisi ejus custodes ac vindices nefariis votis obstitissent. Olim etiam apud Ethnicos summis quibusque Imperatoribus non parcebatur, quin expiarent supplicio suo leges violatæ religionis; sed quoque consulari familia, summoque ingenio viri propter exiguam notam libidinosæ suspitionis removebantur è Senatu, multosque dies in vinculis detinebantur. Nos verò homines vilissimos & seditiosissimos, non modò leges patriæ atque auctoritatem Magistratus crudeliter labefactantes, verum etiam universam Ecclesiam turbantes, & ad perniciem ferro flammaque devocantes, impune sustinebimus? Quid dico sustinebimus? modò non sint quidam, qui illis patrocinentur, qui utinam frigidi vel calidi essent, sed quia tepidi sunt, haud dubiè delebuntur nomina illorum ex libro viventium. Adversus hæreticos arma sumuntur, & cum hæreticis interea convivia celebrantur, imò verò, quibus omnium dignitatum portas divina & humana jura claudunt, ij maximis, iisdemque splendidissimis & muneribus & honoribus funguntur. Hæc videntur, intelliguntur, & silentio tolerantur, & tamen ad instaurandam Romanæ Ecclesiæ doctrinam putamus nos omnem diligentiam conferre? Nec dum cernimus quibus cupiditatibus portenta illa flagrent? quàm effrænata temeritate gestiāt (quàm mirabiliter spe novandarum rerum inflammentur? Quòd si votis sceleratorum hominum successus aspirent, quanta strage Catholicorum creditis, Aud. aut quanto diluvio facultatum Ecclesiasticarum ruituram fore detestabilem hominúm atq; execrandam impietatem? Deus immortalis, quæ clades ab illa feritate hominum, quæ genera flagitiorum emanabunt, si qua-

si quasi rapidissimas belluas in hanc Rempublicam irruere concedetur? Horret animus ea cogitatione complecti, quæ miseri perferre cogemur, si sopor oculos nostros detinuerit. Non enim consueuit animus eorum perpetuis flagitiis excitatus, prima destitutione fortunæ refrigescere ac consternari, sed vix sepulta memoria unius seditionis, mox aliam ineunt, immaniores sæuiunt, & quia Rempubl. servitio non possunt obtinere, strangulandam penitus ac tollendam cogitant, scelerati in omnem Ecclesiam, quam toties insidiis appetiverunt; sceleratissimi verò in Deum, cujus extant in illos summa & commemoranda monumenta beneficiorum. Reminiscimini quæso Aud. reminiscimini ferrum illud scelestum, atque illas nefarias faces, quas sanctissimæ congregationi Ecclesiasticæ, atque isti pulcherrimæ patriæ minitantur, non ad oppugnandam Ecclesiam, neque ad eam concremandam illis esse datas, sed potius ad salutem animarum, dignitatem Sedis Apostolicæ, libertatisque Christianæ defensionem. Per Deum immortalem oro vos, si Ecclesia ad illos his vocibus uteretur, quid essent illi quæso responsuri? Ego vos parvulos cùm inprimis ornatissimo genere gentis Christianæ nasci voluissem, deinde summis dotibus exornassem corporis & animi, tum duabus rebus instruendos putavi, armis & consiliis, quibus esset parata vobis facultas tum amplificandi imperii mei, tum defendendæ Christianæ libertatis: quid eam vim & armorum, & scientiæ, atque eloquentiæ in viscera mea contorquetis? aut quid convertitis in exitium civium meorum, institutam diligentia mea, eruditam dimicandi disserendique facultatem? Cur studio flagratis illius corporis evertendi, quod Christ⁹ instauravit sua morte suoq; Sanguine, quod nec Iudæorum astutissimi doli,

nec Rom. eximiæ vires, nec Græcorum erudita & præclara ingenia labefactare obscurareque potuerunt? Sed ad illos redeo, quos non prius amissuros perversitatem istam animi puto, quàm vitam amiserint: Vtinam Dei immortalis munere, Aud. mentes atq; animos istorum introspiceremus videretis profectò mentes anhelantes tristissimum genus minatum, mentes debachantes inaudita feritate, furentes incredibili vesania, sitientes cruoris Ecclesiastici, prædæ avidissimas, nobis omnibus ferro flammaque minitantes. Videretis facinorũ faces abominandas, crudeles igniculos, quibus eorum animus iam pridem exarsit. Quæ si nobis, ut sunt, indigna atque intolerabilia videntur, non iniquum erit eos teterrimis suppliciis multare, & tanquam cladem omnium crudelissimam è visceribus Reip. Christianæ propulsare. Si enim id, quod præclare à sapientibus dicitur, vultu sæpe læditur pietas, quod supplicium satis acre repetietur in eos, qui Ecclesiæ conjurationis laqueos tendunt, & catenas scelerum conflant? Illis, illis interfectis, intelligo omnem Reip. pestem non solum paulisper reprimi, sed in perpetuum etiam comprimi, posse. Si ex tanto latrocinio, ex tanta pyschotyrannorum turba; *Clancularij Concionatores*, nostri sanguinis exsorbendi cupidi tollentur, omni cura & metu erimus relevati, nullum periculum residebit, aut inclusum erit in venis atque in visceribus Reip. Spero probari vobis ornatiss. Aud. quæ hactenus à me sunt dicta, vehementer sum ipso vestro vultu, ista vestra attentione recreatus. *Accipite*, obsecto, accipite alacri ac prompto ore ac vultu, quæ restant, & ea penitus mentibus vestris animisq; mandare. Quia egregii isti seditionum folles aut cinerem Vrbis & sanguinem civium mẽte scelerata ac nefaria cupiunt, aut superintendentes se sperant futuros, la-

tebras commodissimas & tutissimas diligunt contegendæ conjurationis suæ, domos (si domus hæ habendæ sunt poti⁹ quàm officinæ nequitiæ, & diversoria flagitiorum omnium) domos, inquã, ab omni suspitione prodendi facinoris non mediocriter abhorrentes, quæ voces conjurationis tutissimè continere possint. Ibi fœdis calumniis & enormibus mendaciis causam nostram ad populum adeò aggravãt, ut miser popellus à nobis tanquam omnium hominum perditissimis, vehementer abhorreat. Ibi impudentur effundunt, Christum ante ipsorum tempora fuisse ignoratum, Evangelium in pulvere vel sub scamno delituisse. & (quod ex eo consequens est) Christianos qua via ad cœlum eundum, & salus consequenda fuerit, penitus ignorasse: in veteri Christianismo tam abominandam & turpem idololatriam vigere ut fœdior nec inter Iudæos, nec inter gentiles unquam visa sit. Ibi magnis & tragicis clamoribus jactant magnificè, se tandem primò rectè ac perfectè Libros sacros intellexisse, & eorum abditissimas sententias pervidisse. Ibi, dum hoc unum student, ut Ecclesiam perturbent, & illius unitatem scindant, Pontificẽ, caput Ecclesiæ sub Christo capite, quibus modis possunt, etiam confictis criminationibus, oppugnant. Ibi graviter admodum & planè tragicè deplorant casum & ruinam Ecclesiæ, quam secundo & tertio Seculo vitium facere incipientem, quarto & quinto inclinatam & nutantem, sexto demum corruisse, misereque collapsam esse mentiuntur impudentissime. Ibi nihil sæpius repetunt, inculcant, quam nos defunctorum manes, ossa, cineres, picturas item, ligna & lapides adorare, ut quoniã mentes auditorum perniciosa hæc persuasio penetravit, injusta quidem, sed tamen gravi diuturnaque apud eos laboremus invidia. Ibi, ut convitiorum sordes ad vos obruendos cõvehant, omnes

ſimul magno conſenſu equos jungunt, atque ita inter Pilatum & Herodem contra Chriſtum quoddam amentiæ vinculum nectunt. Ibi quisquis abdita SS Religionis myſteria quàm maxime ridere, horrendis blaſphemiis conſpurcare, eos, qui in Magiſtratu ſunt, conviciis fœde lacerare, valido ore diſcerpere, & vulgo conculcandos objicere, maledictorum pannos hinc inde conſuere, intolerandam denique petulantiam & proterviam in omnes Catholicos exercere novit, is in primis Evangelii cauſſam ſtrenuè egiſſe, & palmam præ reliquis conſecurus eſſe videtur. Ibi videre eſt ſæpe numerò miſeros iſtos è cœlo præcipitatos Dd. totam intimi pectoris virulentiam atque amaritudinem, quaſi furiis eſſent agitati, aut in rabiem acti, vociferando, tumultuando, ſannis & ſcurrilibus dicteriis ludendo, plenis faucibus & linguis ad omnem maledicentiam laxatis in Catholicos effundere: quorum quando aliquis impegit, bone Deus, qua lætitia tum perfruuntur? quibus gaudiis exultant? quanta cum voluptate bacchantur? quomodo ſatagunt, ut in omnib' innoreſcat? quibus coloribus, rem pingunt? quo verborum apparatu exaggerant, quo mẽdaciorũ adjecto pondere aggravant? nõ ſecus ac ſi aliorũ hominum infirmitates ipſorum eſſent delitiæ. Etſi Lutherus, Pomeranus, Bucerus, Pellicanus, Munſterus, Mennius, Muſculus, Myconius, Oecolampadius, Martyr Ochinus, aliique illuſtres Prophetæ atque Evangeliſtæ ex Monaſteriis, tanquam ex equo Trojano prodierint, cæleſtis militiæ deſertorem & transfugam imitati, ibi tamen, ut Eccleſiam totam (ſi fieri poſſit) à fundamentis, evertant, Monachos in univerſum omnes execrantur: ibi faces ad incendendam ſeditionem arripiunt, flammas deſideriorum accendunt, furori dandas habenas prædicant, & buccinas ad aver-

avertendos animos populariũ à Magiſtratib9 perpetuò in ore habent dum injuſtam oppreſſionem gubernatorum incuſant, & ſe misereri populi ſimulant: ibi iſtorum omnia portentoſa mendicia eò ſpectant, vt omnes, etiam tranquillitati ſtudentes, Marti non Muſis ſacrificent, & tranquilla pacataque ingenia furioſis ſuis concionibus à ſane mente tanquam à ſtatione detrahant. Xenocratem ferunt ſua oratione diſſolutorum auditorum corda ità perſtrinxiſſe ut illo audito, multi ex diſſolutis temperantes evaſerint. Verùm ex horum turbulentorum concionibus nemo melior, nemo modeſtior redit, ſed ex modeſtis & pacatis multi furore illo perciti, ad omne patrandum ſcelus feroces audacesque efficiuntur. Quicunque cingulum perditæ eorum ſectæ ſemel acceperunt, eos continuò inanimatos videmus, quaſi in feras beſtias deformati reddantur. Etſi Deus illis vim illam admirabilem verbi, qua Petrus occidit Ananiam & Saphyram, & Paul9 excæcavit Elimam, dediſſet, bone Chriſte, quantas ſtrages ederent in Germania, totam, totã Germaniam, ſi poſſent homines furioſi uno ictu iugularent.

Quare Patria noſtra cum illis optimo jure ſic agit, & quodammodo tacita loquitur: Nullum jam tot annis facinus extitit, niſi per vos; nullum flagitium, ſine vobis. Vobis ſolis multorum civium neces, vobis vexatio direptioque Catholicorum impunita fuit ac libera; vos nõ ſolùm ad negligendas Eccleſiæ leges, verum etiam ad devincendas perfringendasque valuiſtis. Quamobrem deſinite amplas hic exſpectare dignitates: cum importuna ſceleratorum manu potius abite in alias terras, & vitam iſtam multis ſuppliciis juſtis debitisque ereptam fugæ ſolitudinique, ſi hanc vocem exſpectatis, mandate: Purgate Rempubl. ejicite, vos, & educite vobiſcũ omnes veſtros undecunq;

 col-

collectos naufragos, scelera nefaria anhelantes, pestem patriæ nefariam molientes, & Christianæ Reip. ferrum flammamque minitantes. Potestne Catholicis huius vitæ lux, aut hujus cæli spiritus esse jucundus, cum iisdem mœnibus, atque adeò parietibus magno in periculo vobiscum contineri se vident? Magno profectò Catholicos metu liberabitis, dummodo inter vos & illos murus inter sit.

Hæc si cum illis, ut dixi, patria loquatur, nonne debeat imperare? & quamdiu non impetraverit, vivemus (eheu) in medio nationis pravæ, in medio petulantium concionatorum, qui undique nos interdum tanquam leones & venenati dracones, interdum quasi vulpes suis pestiferis afflatibus invadere atque evertere festinant. Quam est in tanta serpentum multitudine nobis commixta, caute ambulandum, vigilanter attendēdum? Vere enim serpentes sunt, & magni illius serpentis, qui primum nostrum parentem decepit, filii. Super ventrem repunt: quia quicquid faciunt, propter ventrem faciunt, & vanam gloriam pectoris sui: terram manducant, quia neminem lucrantur nisi rebus terrenis & scelerum vinculis alligatos. Sic autem cogitate, Aud. per id, quod in hac Rep. istis clanculariis latronibus exercitium publicum prohibitum est, obductum quidem & alligatum esse hæresis vulnus, ita ut sanies non defluat, nec apertam nauseam moveat, minime autem sanatum esse, nec è medio nostri sublatum hoc pestilens malum, sed quasi obscurius in angulo collocatum, nec denique esse plane silentium huic procaci meretrici impositum, sed id tantum effectum, ut blandius & cautius loquatur, hoc est ut facilius ac mollius decipiat, ad quorum aures clanculum irrepere potest. Quemadmodum enim, postquam olim VVandali, Hunni, & Gothi

Ro-

Romam triumphantem, caput Orbis, delevissent, non difficile iis erat per alia minora Imperii membra grassari, eaque solo adæquare: ita nostri Sectarii Colonia Agrippina totius Germaniæ quasi Roma, per occultum hæreseos venenum, velut capta & subacta, arbitrantur se facili negotio universa Germania posse potiri, eoq; hæreseos virus diffundere.

At habemus Dei immortalis munere Magistratum (quem nobilitatis amplitudinisq; gratia nomino) in religionem antiquam egregiè animatum à novitate tota voluntate abhorrentem ad angulares Concionatores custodiendum diligentissimum, ad suspicandũ sagacissimum, & ad vindicandum fortissimum. Huic domestici latrocinii extinctori, cædis quotidianæ repressori, & templorum atque tectorum defensori, huic, inquam, debemus, quod non universa Germania à Catholica religione uno casu & ruina defecerit. Huic acceptum referimus, quòd non tota fere Europa pestilentissimi Calviniani dogmatis barathro penitus sit absorpta. Hic ut hydram immanem tot capitibus renascentem exscindat, summa ope contendit: optat, quam à suis majoribus fidem accepit, sartam & tectam conservari: optat, quorum adhuc integra mens est, eos incorruptos ad supremum tempus permanere: optat, si qui animo dubio fluctuent in utramque partem, eos, oratione, consilio, auctoritate confirmari: optat omnes Reip. partes ægras & labantes sanari. Memor veteris instituti Romanorum, quo contra seditionum & discordiarum pericula, Senatus, Dictatori aut Consulibus summam tribuens potestatem, dicere solebat, ut providerent, ne quid detrimenti Resp. pateretur, huius, inquam, instituti memor, Conciones Calvinisticas, ad perturbandam hanc Remp. per Comitem Novæ Aquilæ temere &

impio consilio in suburbio nostro institutas, impedivit, tormentis bellicis displosis disjecit, dispersit hostiumque atroces minas excelso infractoque animo contempsit; contra insidias nocturnas, distributas catenarum vigilias, callide opposuit; contra vim manifestam, florem ac robur civium objecit salutaribus institutis ita est munita & septa civitas ut ad eam istæ belluæ aspirare non possint: imo huius beneficio vivunt multis & firmis præsidiis circumclusæ, debilitatæ, & oppressæ, ut commovere se contra Remp. non possint. Proponite vobis Aud. ante oculos ac meditatione crebra revoluite tempora illa nefaria, quibus salus omnium Catholicorum, quibus ipsa Resp. peritura fuerat, quando aspexissemus bestias istas emissas carceribus: per urbem omnem furialiter exultantes, ipsosque in primis miserandi facinoris duces, ac principes Concionatores, & Ludimagistros, nunc hos ad cædem nostram, nunc illos ad rapinam atque inflammationem templorum devocantes: Virgines Deo consecratæ ex cœnobiis, conjuges è complexibus maritorum ad libidinem victorum raptæ fuissent, liberi ad stupra de gremiis parentum extorti, pretiosa supellex asportata, tecta conflagrassent ignibus, corpora cæsa passim jacuissent, omnia denique gemitu fletuque redundassent. Hæc fuisset imago miserrimæ Vrbis, nisi multorum huius Reip. Sacerdotum & Pastorum oculi & aures eos animicidas non sentientes & ignorantes speculati fuissent, atque custodivissent. Quoties vitam omnium civium, atque hanc florentiss. pulcherrimamque Vrbem, Dei ter Opt. Max. summo erga nos amore, laboribus, consiliis, periculis utriusque Magistratus ex flamma atque ferro, & pene ex faucibus exitii ereptam, conservatam, ac restitutam vidimus? Quoties totius Vrbis templis, tectis omni-

omnibus subjecti prope jam ignes circumdatique sunt restincti? Quoties gladii in Remp. districti sunt retusi, mucronesque hæreticorum à jugulis nostris rejecti? Quoties Magistratus sine ullo civili sanguine iis ferrum de manibus extorsit? Quoties eos, qui sanari potuerunt, quacunque ratione sanavit; eos, qui resecandi fuerunt, non permisit ad perniciem Reip. manere; sed ex occultis insidiis in apertum, latrocinium conjecit?

Qui in hac urbe se contra religionem commoverunt, senserunt semper in ea esse egregios Magistratus, esse fortem Senatum, esse arma, esse carcerem, quem vindicem manifestorum scelerum majores nostri esse voluerunt. Et certè nisi quam fortissimè istis hominibus audacissimis Magistratus restitisset, nisi in hac causa quid sit suus animus semper ostendisset, eò prorupisset hominum istorum cupiditas ac scelus & audacia, ut non modò clam, verum etiam in ipso choro, foro, curia, ante Altaria & Divorum Reliquias, quas penè innumeras hæc civitas complectitur, cædes factæ fuissent. Etenim quid aliud eorum concionibus tentatur, nisi ut id fieri liceat? Exhausti angulares isti Concionatores sæpe ex hac Vrbe jacuerunt prostrati, & se perculsos atque abjectos esse senserunt, & retorserunt oculos profectò sæpe ad hanc Remp. quam ex suis faucibus ereptam esse lugent: quæ quidem recreata mihi & revelata videtur, quòd istam sentinam, tam pessimum hominũ genus, toties tanquam noxios humores evomuerit, forasque projecerit. Ideò enim is est huius civitatis, status, ut rectè de illa dici possit: *sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*: Nam cùm spinis & vepribus hæreticorum undique circumsepta, nihil tamen earum aculeis offenditur, nec de statu suo dimovetur, ac quo semel est imbuta

recens

recens odore sancti Evangelii (quod à D. Materno accepit) illum summæ cum pietatis & constantiæ laude semper conservavit.

Sed ut extremum habeat aliquid oratio mea, Aud. ornatiss. & ut ego ante dicendi finem faciam, quam vos me tam attentè audiendi, unum à vobis, studiosi Adol. celebris hæc petit Academia, tota orat atq; obsecrat Germania, ipse Christus ex illa in qua pependit, Cruce exposcit, ut vos, quid vobis quid nobilitate huius Reip. dignum, quid majorum vestrorum hominum sanctissimorum exempla postulent diligenter cum animis vestris consideretis, & existimetis eam unam sequendam esse Religionem, quæ Christo, Doctore omnium gentium; & Apostolis ejus administris per omnes Ecclesiæ principes; ad nos pervenit. Quæ per tot annorum centurias tam multis ab gentibus observata, tot à regibus suscepta atque defensa, tam mirabilium SS. & litteris & sanguine illustrata, tot miraculis roborata, & toties tam graviter oppugnata, & semper tamen invicta permanens, crevit, floruit, cuncta occupavit. Quæ etiam nostro tempore præter Italiam, & Hispaniam totam præter Galliam, Germaniam, Angliam, Poloniam, Boëmiam, Vngariam, Græciam, Syriam, Æthiopiam, Ægyptum, in quibus multi inveniuntur Catholici, in ipso novo Orbe habet Ecclesias sine admistione hæreticorum, in omnibus quatuor partibus mundi, ad orientem in Indiis, ad occidentem in America, ad septemtrionem in Japonia ad Meridiem in Brasilia, & exteriore parte Africæ.

Per pietatem igitur vestram vos obtestor, Aud. ornatiss. per amorem huius pulcherrimæ atq; invictissimæ urbis, per omnia, quæ vobis jucundissima sunt in vita, caveamus Concionatores hæreticos tanquam veneficos, ne eos exitium animarum nostrarum sitientes, aditu, congressione, sermone

dignos judicemus, quin eorum concursum dirum nobis, tetrum, atq; ominosum putemus, neq; nos juxta serpentem mortiferum securè dormire posse credamus. Ita pietas, quæ illorum procellis penitus obruta esse videtur, speciosior & constantior ex illis fluctibus in clariss. nostra Rep. emergent & coalescent mutua concordia mentes omnium, nullus armorũ strepitus, nullæ cædes, nullum improborum facinus audietur, ipsa deniq; mœnia & tecta è tot calamitatibus emersa quodammodò lætabuntur, gestient, ac triumphabunt. DIXI.

LXXVIII. DE TRIBVS MAGIS.

NIsi existimarem, A. H. persuasum vobis jam esse, me non timere, aut mea sponte hunc ornatissimum ad dicendum locum occupasse; sed illorum imperio, quorum auctoritati refragari non debeo; nulla mihi prosequendi muneris cæpti esset fiducia: præsertim cum non ignorẽ & quanti doctissimum hunc cœtum vestrum æstimare debeam, & quod tanta sit rerum, de quibus mihi ut dicerem mandatum est, difficultas, ut ingenia hominum eruditorum miris semper modis torserit, exercuerit, fatigarit. Est enim mihi differendum de præclarissimo illo trium Magorum facinore, quod ex Oriente venerunt adoratum Redemptorem humani generis Christum Dominum, qui vix tum natus, ac etiamnum præsepii angustiis inclusus in extremos Orientis Orbis fines oculos porrexit, & gentes tetertimis impietatis tenebris immersas novi luminis splẽdore ad se quærendum & cognoscendum invitavit, ac pertraxit. Quæ res postquam non tam hominem, quàm Angelum; non meam infantiam, sed divinam quandam requirat eloquentiam, cum ardentibus votis ante omnia mihi adeundum esse video, qui os mutorum aperit, & linguas infantium fœcundo

suo

suo Spiritu facit disertas, ne me, tanquam Ozam, res tantas oratione non secus ac manibus tractare instituentem evertat, & percellat; sed lumen illud splendidum menti meæ clemens infundat, quod trium Magorum, primorum suæ gloriæ ex gentibus præconum, mentibus cælitus inspiravit. Quare vos A.H. exoratos velim ut mecum ad hunc cœlestem Patrem ex imis pectoribus eam precationem fundatis, quam exauditurum illum veracissimus Filius certò promisit, & Virgini Matri, quæ hunc gentium Illuminatorem, ex se editum, sinu suo complexum Magis illis contuendum, & adorandum exhibuit, Angelicam, ut vocant Salutationem offeratis.

Pulsus est jam omnis metus animo A. fugatus est, excessit; liberiorem posthac cursum tenebit oratio. Nam & divinam opem imploratam imbecillitati nostræ spero præsidio futuram, & frequens hic vester conspectus, hæc omniũ alacritas vultu & oculis significata, meum animum mirandum in modum recreat atq; confirmat. Antequam autem orationi meæ ad immensum pelagus superandum plenè pandã vela, certos mihi fines & terminos constituã, certisq; cancellis me ipse cingã, extra quos egredi non possim, si maximè velim, ut & mihi sit propositũ de quo dicam, & vos Aud. ante animo prospicere possitis, quibus de rebus sitis audituri. Primum rem gestam à Magis ordine vobis in memoriam revocabo: deinde quæ in ea perplexa sunt nobis, & obvoluta obscuritatibus, pro meo modulo, enodare, & elucidare conabor: postremò egregiis Magorũ ornamẽtis ac dotib⁹ examinatis, vos omnes ad persequenda eorum vestigia incitabo, de his tribus cum dixero, perorabo.

I. *Principio* quando nova illa & admiranda stellæ species (quam Prophetia designarat exorituram ex Jacob) Magis indicasset Nativitatem

Christi,

Christi, illi nihil deterriti itineris magnitudine, domo, Patria, amicis, necessariis, propinquis, atque adeò Regno derelicto, Hierosolymam sese prævia stella contulerunt, sive quòd illic agerent Scribæ & Pharisæi, in Lege & Prophetis eruditissimi, sive quod intellexerant Regem haud procul ab Hierosolymis nasciturum, non illum vulgarem quempiam, atque ex numero cæterorum; sed insignem & incomparabilem, cuis potentiam, sapientiam ac bonitatem, humana majorem, totus orbis esset experturus. Siquidem jam certi natum esse, tantum sciscitabantur quisnam esset ille locus, tam inclito partu felix? Existimabant enim tanti Principis nativitatem non posse latere apud eos, qui nasciturum tot seculis expectaverant, præsertim cùm non solum apud illos, verùm etiam ex illis natus esset. Et licet Herodem alienigenam ampliss. & florentiss. regnum (Judææ enim Samariam tunc & Galilæã cum Chalcide conjunxerat) inaudita tyrannide & incredibili sævitia non administrare, sed funestare, & de his potissimum, quos de regni sui mutatione vel leviter suspectos habuisset, immanissima supplicia sumere comperissent: ipsi tamen, omni timore reposito, suæ tam longinquæ profectionis causam, etsi longè sibi invidiosissimam, coram omnibus liberè edicunt, & palam sciscitantur; *ubi*, inquiunt, *est ille qui nuper natus est Rex Iudæorum?* Nos enim certo indicio natum illum cognovimus. Nam cum procul hinc ageremus in Oriente stellam ejus admirabili specie vidimus. *Vidimus stellam*, & sensimus afflatum. Proinde quoniam scimus omnium bono nasci nos, licet alienigenæ, sumus huc profecti, ut illum adoremus, novoq; regi debitas honoris primitias exhibeam⁹, non ignari felices futuros, qui illius Numen habituri sunt propitiũ. Huiusmodi sermonẽ cùm illi simpliciter & intrepide apud quosuis effun-

effunderent, illico rumor ad Herodem Regem perlatus est, qui jam pridem ejus nasciruri famam horruerat metuens ne quando regno, quod occupaverat alienigena, deturbaretur, si tantus princeps è Judæorum stirpe extitisset. Si quidem is nihil aliud quam terrenum regnum somniabat; ignarus Christum aliud regni genus invehere, quod ad universos homines pertineat. Itaque postquam natum audierat, quem metuerat nasciturum, & audierat à Magis, viris & eruditione, & fortunæ strepitu nequaquã aspernandis, sanè cõturbatus est animo, simulque cum hoc tota civitas Hierosolymorum, aliis aliud metuentibus, aut sperantibus. Etsi autem Herodes livore & ira cæcus; totus arderet in exitium nati pueri; tamen impiæ crudelitati prætexuit speciẽ pietatis. Convocavit enim ex ordine Sacerdorum cunctos Primores ac Scribas populi Judaici, & ab illis sciscitatus est; ubi nam nasciturum Christum oracula promisissent. Illi non odio furentes in Christum, quem non viderant, simpliciter respondent, in Bethlehem Judæ, & ne parum ponderis haberet ipsorum auctoritas, ecce in promptu habent vaticinium Michææ Prophetæ: *Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim orietur Dux, qui reget populum meum Israel.* Rex primum Magorum oratione non leviter commotus, hoc responso tam prompto prorsus exanimatus est, præsertim, cùm Prophetia palam polliceretur Ducem Bethlemiticum, qui regeret populum unde natus esset. Sacerdotibus itaq; ac Scribis dimissis, quibus sese desperabat posse imponere clanculum ne Judæi dolum suspicarentur, accersit ad sese Magos, & sic communicata re quasi idem agerent utrique, diligenter percontatus est eos, quodnam esset temporis, quo illis primùm apparuisset stella, cujus indicio tantum itineris emensi venissent

venissent Hierosolymã, ut certius in unum caput sævii et crudelitas. Magi (ut non est suspiciosa pietas) nihil illum celant, haudquaquam suspicantes eum esse tam immanem, ut in infantẽ vix dum natum, sævire vellet, neque tam furiosum, ut se speraret humanis consiliis oppressurum, quod divinitus ageretur: indicato tempore, ille vicissim indicat locum quem à Scribis didicerat. Iamq; spe certa concepta, his duobus indiciis puerum posse deprehendi, Magos ultro ituros, etiam suo nomine mandatis onerat, adirent Bethlehem, summaque diligentia vestigarent de puero, moxque eo comperto Hierosolymam reversi; se facerent totius negotii certiorem, causam prætexens admodũ piam, & ab animis Magorum minimum abhorrentem, *ut & ego*, inquit, vos imitatus, *adorem eum*. Sibi primum volebat innotescere puerum, ut eum prius tolleret è medio, quàm populus Judæus eum planè rescisset esse natũ, Deo interim & hoc procurante, ut incolumes redirent Magi, suis regionibus annuntiaturi Christum. Alioqui, ni spes hæc scelerato imposuisset, sæviturus erat in Magos ipsos, qui nuntium tam inauspicatum attulissent. Magi pia simplicitate, audito rege, contendunt Bethlehem, quos in hoc stella, quæ illos exciverat, ad tempus destituit, ut barbari primi Christum annuntiarent natum, quem illi tot seculis expectatũ post occiderunt. Sed hac parte divini consilii functis, rursus aderat mirabilis illa stella, quæ sic illorum pietati serviebat, ut non solũ Bethlehem, sed & ipsum tugurium humile, & ob hoc inventu difficile, indicaret: atque adeò ipsius pueri capiti iminens è propinquo, ceu digito demonstraret expetitum infantem. Hæc igitur ubi rursus apparere cœperat, omnem solicitudinem ex animis illorum dispulit, jamq; certa spe simul & gaudio pleni neglectis hominum judiciis, cœlestem ducem secuti

novi Regis palatium, vident sordidum & abjectum tugurium. Nihil commovetur his rebus syncera pietas, ingrediuntur, reperiunt infantem, nihil à cæteris specie differentem; reperiunt matrem, nihil magnificum præ se ferentem. Paupertatem ac simplicitatem tota supellex testabatur. Magi, qui non adoraverant Herodem regem, è solio regali strepitu jactantem sese, ad pueri vagientis cunas procumbunt, adorant proni nondum fari potentem. Nec hac pietate contenti, depromunt è repositoriis suis destinata munera, *Aurum, Thus, & Myrram*, ne viaticum deesset mox fugituro. Atque his fidei primitiis gentes, quæ procul aberant à Judæis, qui Deo videbantur proximi pervenientes, Christum sibi inaugurant, seseque vicissim illi dedicant, triplici rerum genere novum sacrificium offerentes; jamque veluti per ænigma Trinitatem illam ineffabilem profitentes, Patris, Filii, & Spiritus sancti; simulque in uno homine mortalitatem, Sacerdotium, & regnum agnoscentes. Siquidem aurum regi convenit, thus sacerdoti, myrrha morituro. Natus est mortalis, sacrificavit in cruce, vicit resurgens, regnat in cœlis. Tot prodigia viderant Judæi, & cognitum, totque miraculis coruscantem, ac omnibus benefacientem occiderunt: nihil præclari videre Magi, quod ad oculos corporeos pertinet, & sibi gratulantur eam peregrinationem fuisse felicem.

Cæterum cum secum agitarent, an redeundum esset ad Herodem, ut illius animo satis facerent, in somnis admoniti sunt oraculo divino, ne se referrent ad Herodem: id. n. nec ipsis esse tutum, nec puero. Illi non segnes parent oraculo ac diversa via reversi sunt in patriam, apud suos novi Regis, novi præcones futuri.

II. Hæc, sicut exposui ita gesta sunt, A. Proximum est, ut investigemus primum, cur tanti facinoris

noris auctores nominati sint Magi: deinde unde, & quo tempore venerint: tum, quænam illa fuerit stella, quæ eos usq; ad Christum perduxit.

Quod ad primum attinet, constat doctis, penes antiquos triplicis generis fuisse Magos, quorum primi erant doctissimi atque abstinentissimi, ut excepta farina & olere, nihil aliud in cibum haberent: alii erant Sacerdotes Persarum: tertii verò generis fuerunt, qui invocationibus dæmonum intendentes, vel ad commovendos animorũ affectus in contraria studia, vel ad futura prænoscenda, & occulta divinanda, maleficia exercebãt. Etsi autem hos Reges arbitramur illius Magiæ fuisse studiosos, quæ ex rerum naturalium cognitione percipitur; tamen, quoniam in his venerandæ antiquitati nonnihil deferendum est, haud improbamus majorum sententiam, qui dixerunt hos illi Magiæ, quæ per invocationem dæmonum fieri solet, operam dedisse. Ideo enim inquit Ignatius, ad Ephesios, dũ agit de Magis, hinc evanuit mundi sapientia, præstigiæ factæ sunt nugæ, Magia risus, omnes ritus malitiæ aboliti, ignorantiæ caligo fugata, & tyrannicus principatus destructus, cum Deus ut homo apparuit, & homo ut De⁹ operabatur. Non autẽ venerunt hi Magi è terra Chaldæorum, nec è Perside, ut quidã voluerunt; sed ex Arabia Orientali, fuerunt enim Reges, non quidẽ propinquioris Judææ Arabiæ; sed potius interioris partis illius provinciæ, quæ longe lateque ad Orientem & Meridiem sese diffundit. Docebit hoc illud Prophetæ Davidis: *Reges Arabum & Saba dona adducent.* Docet illud Isaiæ: *Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madian & Epha: omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annuntiantes*; docent idem harum gentium principia. Constat enim ex Scriptura, Abraham ex Cetura multos genuisse filios, & inter alios Iecsan, &

Cur Magi dicti Vide. Tom. I. Annal. Baronii.

Vnde venerint.

Madian; ex Jecsan verò ortus est Saba; & ex Madian, Epha, & alii, qui omnes Arabiam incoluerunt, atq; ex eorum nominibus loca ipsa sunt sortita nomina, ac populi nominati Sabæi, & Madianitæ. Huic accedit, quòd Balaam, sacerdos quondam gentium, in Arabia de oritura stella est vaticinatus, quoniam à Rege Moab Balac mercede esset conductus. Sicq;, sive Scripturam, sive Traditionem de stella & Rege futuro, penes Arabes (quibus pronuntiata fuerat) perpetua memoria viguisse, par est credere, qua admoniti & novæ stellæ visu excitati, simulq; directi, quæsitum Regem Judæorum in Judæam venerunt. Sic Regina Saba, ex iisdem & ipsa Ceturæ filiis originem ducens, audita fama Salomonis, venit eũ explorare, &, ut loquitur Scriptura, in ænigmatibus tentare, cui eadem, quæ Magi munera attulit, aurũ & aromata, licet & gemmas supperaddiderit. Quę, obsecro, tanta cupido, cum illius tum Magorum, qui ex iisdem progenitorib⁹ descendebãt, incessit animũ de Rege, qui in Israel regnaret, pervestigando, nisi quod in illis regionib⁹ de re tanta Balaam oraculo erant admoniti? at quod illa credidit esse impletũ in Salomone, qui & ipse Christi venturi typum gerebat, isti duce stella adhuc perquirendũ putarunt Regem Israel, quem & feliciter invenerunt. Cum enim natus esset, statim viderunt stellam, & mox Judæam versus iter susceperunt, totumq; itineris spatiũ, usi dromedariis cursu velocissimis, termino dierum tredecim confecerunt, hincq; Bethlehem pervenerunt crastino die, quo Ecclesia eiusmodi Magorum ad Christũ adventum (quòd eo vocatio gentium ad Christum expressa fuerit) percelebri, anniversario cultu cõsuevit celebrare, ac magnificentissimè colere, adeò ut extorris prorsus à Christiana Religione olim videretur, qui tãtæ ejus diei celebritati nõ interfuisset. Qui autem post bienni-

um à

num à Christo nato eos Bethlehem venisse tradunt, dicant rogo, an id acciderit, quia non statim ut viderunt stellam, se itineri commiserunt? At non ea causa, quandoquidã eos confestim, ut stellam inspexerunt esse profectos Evangelista non obscurè insinuare videtur, alioquin fecisset eos suspectos posteris nomine ignaviæ, si tam insolito signo admoniti, adhuc annum & menses multos oscitanter nimis moras agere decrevissent. Si verò statim ut in cœlo visa est stella iter arripuerunt, quidnam fuit causæ, ut biennii tempus insumpserint in itinere? cùm, non dico si è Perside, vel Babylone, sed etsi ab extremis Indiis Orientalibus profecti fuissent, illud, licet longissimum itineris spacium, sex mensibus eos conficere potuisse quilibet rerum æquus æstimator prima fronte dijudicabit. Præterea si post biennium advenerunt, quomodo eum in Bethlehem invenerunt, quem post quadraginta dies ex mandato Legis Mosaicæ tulerunt in Hierusalem, ut sisterent eum Domino, & hisce impletis officiis Joseph & Maria una cum infantulo reversi sunt in Galilæam atq; Nazareth habitatum? At objicitur nobis quod Evangelista dicat, Herodem, missis vesaniæ suæ ministris, occidisse omnes infantes bimulos, aut hac ætate minores, ex supputatione temporis, quo Magi prædixerant sibi primum visam esse pueri stellam. Ad quod primũ inferimus id, quod Chrysostomus sic ratiocinantibus respondens ait: *Quod Herodes à biennio & infra pueros interfici jussit, non mireris: siquidem conveniat in eum tyrannum pavor & furor. Pro abundantia cautionis majus tempus inclusit ne quis vel proxima ætatis effugeret.* Hæc ille, & prudenter sanè. Quis enim insanientis tyranni, & metu perdẽdi regni in proprios filios immaniter debacchantis, furorẽ intra terminũ rationis vel temporis metam putaverit continendum? Tyrannorum est cuncta pavere, nec

tumvis adhibita cautela atq; custodia posse reddi securos. Didicit ille à Magis tempus stellæ, potuisset simul intelligere tempus nascentis infantis, tamen veritus ne fortassis antea natus esset, quàm illi stellam vidissent, ea sibi arte consulendum putavit: ne ulterius, quod in ea suspicaretur, reliquū esset: sicut cum nulla subesset ratio, ut qui extra Bethlehem nati essent, occiderentur, eò quod ex Divina Scriptura per Principes Sacerdotum & Scribas certior factus esset, quòd Christus in Bethlehē nasceretur, tamen omnes, qui in omnib⁹ finibus ejus essent, necari precepit. Dilatavit tempus crudelitas, dilatavit locum, pueros universos complexa, putans hoc impio consilio satis cautum esse, ne qua posset elabi, quem cupiebat extinctum.

Sed videor mihi, A. unde, & quo tempore Magi ad Christum venerint satis ostendisse: proximum est, ut inquiram, cuius generis astrorū fuerit stella, quæ iisdem apparuit. Apud omnes antiquos Patres in confesso est, eam nequaquam ex illis fuisse, quibus cœlos videmus ornatos, nec etiam ex illis, quæ ex vaporibus coagmentatis accensæ in aëre Cometæ sunt dictæ. Cum autem divino miraculo cælitus apparuerit, naturæ superans facultatem, cuius substantiæ fuerit non est facile definire. Vnde in eo consentiunt omnes, divinā quandam fuisse virtutem, quæ non tantum aspicientium oculos sui fulgoris radiis illustraret, sed quæ & mentes illorum divina luce perfunderet, atq; ad Christum natum perquirendum excitaret. Gregorius Nyssenus existimavit esse Angelum, qui ea figura stellæ apparuerit. Quicquid sit, illud certissimum est, Deum omnipotentem, qui visibilibus illis signis per noctem & nubis columna in die populum tot annis per desertam regionem deduxit, eundem ipsum stellæ signo Magos ad præsepe perduxisse. Certè non eius fulgoris, quo cæteras nitere videmus

mus stellas, fuisse, sed longe fulgentioris, S. Ignatius, proximus illis temporib⁹, declarat his verbis ad Ephesios scribens: *Stella fuit splendore exuperans omnes quotquot ante fuerunt: lux enim illius inenarrabilis erat, & stuporē incussit omnibus aspicientibus eam, rei novitas: omnia reliqua astra, una cum sole & luna Chorus fuere stellæ illius, ipsa verò, claritate exuperabat omnes.* Hæc ille. Quib⁹ accedit, quòd cum aliæ stellæ noctu duntaxat videantur, sole verò exorto obscurentur penitus & abscondantur: hæc lucente jam medio die radiis solaribus clarius fulgebat. Cum aliæ sub nimbis plerumque lateant, hæc nullius occursu nubis abdebatur. Cùm aliæ suum, naturæ inditum perpetuum semper teneant cursum; hæc ad viatorum voluntatem pergebat, & igneæ illius instar columnæ cum proficiscentibus ibat, cum stantibus insistebat, atque ita eos diu noctuque dirigebat, comitabatur, illuminabat. Cùm aliæ malis perinde atque bonis luceant; hæc Magis tantum lucebat, Herodis & Scribarum subducta conspectibus. Cum denique aliæ suis orbibus infixæ, de excelso cœli vertice nunquam discedant, hæc inferioris aëris partes terens, & sublime relinquens, ad tugurium usque & præsepe Dominicum se demisit, donec ipsius quam proximè jam nati infantis capiti immineret.

III. Videtis, Aud. quam admiranda fuerit hæc stella, quæ cœli terræque lumen humanis oculis ingerebat. Verùm ut è scopulosis & confragosis locis nostra oratio aliquādo enaviget, restat ut Magorum admirandas & stupendas virtutes leviter delibemus. Anne inusitata fuit *humanitas* Regum, qui usq; adeo se abjecerūt, ut neglecto suo regno, ad infantem Judaici generis adorandum iter instituerint? Fuit. Anne inaudita fuit *humilitas* Magorum, qui ob sapientiam incredibilem, infantem, humili tugurio delitescentem, præ se non contemple-

tempserunt? Fuit. Anne admiranda fuit *fides* Ethnicorum, qui in infante tam abjecto Messiam ac Redemptorem totius humani generis, & Regem Judæorum cognoverunt? Fuit. Anne è diverso deterrima fuit *cæcitas* Judæorum? Fuit. Apud hos enim, etsi in confesso erat, ereptum esse tribui Juda regium sceptrum, ideoq; nihil superesse, nisi ut is mitteretur, ex antiquorum prædictionibus, qui cœlitus delapsus, in Israël regnaret, Gentes regeret, regnumq; Judaicum, quod acto in crucē Antigono & extincto, fuerat exstinctum, per crucem restitueret, & amplioribus spaciis propagaret? Etsi, inquam, hæc sciebant, neq; ignorabant, præter regnum etiā legitimā summi sacerdotii institutionē defecisse, & hoc utroq; collapso, ac funditus everso, nihil aliud restare, nisi, ut Sanctus Sanctorū ungeretur: tamen ejus causa, ne quidē ad locum notum & vicinum accesserunt. Alienigenæ, ab unius stellæ radio excitati, ad externū regem adorandū profecti sunt; filii verò regni, quos tot promissa cœlestia, tot SS. Patrum desideria, tot Prophetarū oracula ad quærendum Regem apud se natum excitabant, & qui aliis ex sacra pagina locum nativitatis ejus denunciabant, loco non sunt moti.

Quare non minus prudenter, quam pulchrè B. Maximus: *Quanam est*, inquit, *tanta permutatio? quæ ista conversio? Apud Iudæos propheta loquitur, nec auditur, apud Gentiles stella tacet & suadet. Verè sicut scriptum est: Quibus non est annuntiatum de eo, videbunt, & qui non audierunt, intelligent. Et factum est inter Iudæos atque Gentiles quoddam perfidiæ fideique certamen. Nato enim Christo exultabat Chaldæa, & tota cum suis Principibus Hierosolyma torquebatur. Insectabatur Iudæus, Magus adorabat: Herodes acuebat gladium, Magus præparabat munera.* Hæc ille. Est quidem res hæc admiratione dignissima: quæque Judæos vehementer accusat. Verùm nescio

nescio an nos quoque gravius accusandi simus; illorum enim plerique, quoniam terrenarum rerum cupiditatibus occæcatos habebant animos, pro suo carnali crassoq; affectu non rectè interpretãtes oracula; verùm præpotentem quempiam ac magnificum Regem sibi pollicebantur, qui copiis, armis, opibus, similibusque hujus mundi præsidiis invictus, gentem suam ad divitias, ad honores, ad imperium eveheret, orbemque totam Hebræorum ditioni subigeret. Siquidem cùm è loco motis atque collapsis firmissimis illis columnis, divina operatione statutis, Regno, Sacerdotio atque Lege, status Iudæorum illis subnixus, ingenti esset fragore prostratus, etiam rectorum dogmatum sincera doctrina, plurimis undique erroribus erumpentibus, ferè penitus erat obscurata, ita ut Iudæi penè omnes altissima caligine involuerentur, neq; satis quid verum foret dignoscere ac dijudicare possent. In tam cęcis autem errorum nubibus ac procellis videre non poterant. Christũ ideò ex augustissimo cœli throno in hanc aream calamitatũ descendisse ut toti9 Orbis nationes ad veras opes, nec unquã interituras eveheret, easq; bonis cœlestibus in æternum bearet, patiẽdo, moriendoq; vinceret mortis tyrannidẽ, beneficio subigeret rebelles, gladio spirit9 jugularet mõstra vitiorum rebellesq; motus cupiditatum, & expugnatis iis, quæ pugnant adversus Spiritum Dei, de suo conferret nobis justitiam & innocentiam; deniq; ut spirituale regnum nobis armis spiritualibus vindicaret. Quanto igitur majora ad quærendum Christũ incitamenta nos, quàm magi & Iudæi habemus? Magi nulla adhuc Christum admirabilia opera edentem viderant, non regio cultu atque apparatu nitentem, non ingenti satellitum turba stipatum viderant, & tamen divinæ stellæ radio, tanquam acutissimo quodam jaculo, usque

ad ipsam animæ medullã transfixi, ac transverberati, deserto regno, nulla interposita mora, Christum quæsiverunt. Nos è diverso in medio Ecclesię gremio nati atq; educati, tot miraculis, tot Sacramentis confirmati, quàm sæpe incauti Christo restitimus? quam sæpe pulsanti cordis nostri fores aperire nolumus? quam sæpe nos sub alas suas congregare cupientem refugimis? Magi soli tantum iter susceperunt, nos multa millia comitum habemus, qui ante nos CHRISTUM quæsiverunt, quærunt, & post nos quæsituri sunt. Magi contempserunt itineris magnitudinem, tot tantumque periculorum metum, tanti laboris molestiam, tantos sumptus, etsi ignorarent utrum expedituri aliquid essent, nec ne. Nobis opus non est magnis impendiis, longa profectione, magno labore, ut ad Christum veniamus, idque sine omni periculo fieri potest. Magos nemo docuerat, quomodo recens natum Regem honorarent, tamen has quoque partes omnibus perfectissimè persolverunt. Nos habemus tot Martyrum gloriosa exempla, tot Confessorum insignia trophæa, tot Virginum coronas. Nos præter Scripturam sacram, tot saluberrima SS. Patrum scripta, tot quotidianæ Ecclesiæ voces & clamores ad Christum vocant. Imò ipse Christus, per omnem sanctissimæ suæ vitæ seriem, quam efficacibus exemplis animos nostros inflammat? quam salutaribus præceptis format? quàm stupendis miraculis excitat? quàm blandis monitis trahit? quam certis promissis invitat? quot Martyrum mortibus nos ad hujus vitæ contemptum animat? quot Virginum exemplis ad continentiam accendit? quot Sanctorum monumentis ad pietatem solicitat? quam admirandis Ecclesiæ suæ Sacramẽtis communit pariter ac ditat? ut erigit, armat, docet, monet, trahit, rapit nos arcanis suis literis? in quibus vivas quasdam

sui

ſui ſcintillulas condi voluit, magnum amoris incendium excitaturas, ſi quis modò pia diligentia conetur excutere. Hinc igitur dijudicare licebit, quantopere noſtra prigitia ſit accuſanda, qui tot ſtellis à Deo evocati, adhuc torpemus, nec à noſtro quaſi lethargico ſomno excitamur. Omnia enim prædicta ad virtutem adjumenta, quid aliud ſunt, quàm ſtellæ, quæ radios in nos divinæ bonitatis emittunt, quibus nos ad ſe vocare non ceſſant, cum nos tamen nec tot ſtellarum fulgoribus circumfuſi, oculos ad divinam lucem aperiamus? Quid Magos ad tantum iter hyberno tempore conficiendum commovit? quænam ſpes impulit præmiorũ, ut ad gentis alienæ Regẽ adorandum venirent, tam vaſto præſertim à ſe terrarum ſpatio ſeparatum? Solo, ſolo indicio ſtellæ divinitus ortæ commoti ſunt. Proh ergo malitiam noſtræ ætatis! quæ nec crebris admonitionibus, nec S. literis, nec exemplorum infinita copia ad Chriſti cultum permoveri poteſt. Nulla res eſt tam dura, quæ non moleſcat hominum arte, & ô corda noſtra plusquàm cornea, plusquàm ferrea, plusquàm adamantina, quæ nec ignis gehennæ, nec Patris leniſſimi indulgentia, nec Agni immaculati effuſus cruor emollit? Anne hæc digna multis fulminibus? Permoveat nos tandem, quod tanti viri, in tanta errorum caligine enutriti, divino inſtinctui tam facilè dent locum, Chriſtum tanta cum diligentia, tanto cum labore, tantoque cum periculo inveſtigent, moleſtiſſimum iter ingrediantur: idque hyberno tempore, cum alii hypocauſtis, aut calidis focis gaudere ſolent, & inprimis Reges: permoveat nos, quòd cùm Judæi ſub alieno imperio eſſent, auſi ſunt natum eorum Regem inveſtigare, non metuentes Romanorum jam totius orbis dominorum potentiam, & quod hoc fecerunt, cùm totus ferè mundus

dus impios Deos coleret, seu cacodæmones potius. Permoveat nos, quòd Hierosolymis etiam coram Herode Rege, de novo nato Iudæorum Rege quærere non sunt veriti. Permoveat nos, quòd in stabulo, coram pecoribus & inopibus parentibus, ad pedes misellí infantis se abjicere non sunt dedignati. Permoveat nos, quòd loco tam abjecto infantem pannosum, in quo nulla Majestas, nihil divini apparebat, adorarunt. D. Bernardus infractam eorum fidem diligenter perpendens, *Quid facitis* inquit, *Magi? quid facitis quòd puero lactenti aurum offertis? ergone Rex est ipse? At ubi aula Regia? ubi thronus? ubi curia regalis frequentia? Ergone Deus quoque est, quòd & thus offertis. Quis Deum unquam in vili stabulo & præsepio quæsivit? Nonne scriptura dicit, quòd Deus in templo sancto suo? Nonne in cælo sedes eius? Quid facitis, quod illi myrram offertis? Quis tam citò vobis dixit, eum pro nobis hominibus moriturum?* His, & similibus verbis admiratur Idea illa pietatis stupendam fidem istorum Ethnicorum. Idem facit eximius ille Doctor totius Græciæ Chrysostomus, qui ex aureo ore, aureum & divinum orationis flumen fundens: *Nunquid invenerunt*, inquit, *palatium marmoribus splendidum? nunquid aulam regiam diversis populis personantem? Nunquid hastatas sive clypeatas militum catervas? Nunquid equos regalibus phaleris insignes? Nunquid currus auro ostroque fulgentes? Nunquid puerum bysso & purpura involutum? Nunquid matrem eius diademate redimitam, aut in lecto eburneo cubantem? Nihil minus, sed potius angustum & humile tugurium, vile squalidumque præsepium magis animalibus, quàm hominibus aptum: puerum vilibus pannis involutum, matrem vix tunicam habentem unam non ad ornatum corporis sed ad tegumentum nuditatis, & tamen parvulum humi procidentes adorarunt.*

runt. Hæc ille, non minus verè, quàm eleganter. Oculis enim fidei infantem contemplabantur, in præsepio quidem vagientem, sed in nubibus tonantem, in cælo siderum cursus moderantem, Solem fulgentissimis radiis, & Lunam cornibus implentem, ac universam hujus mundi molem gubernantem. Non sordebat illis stabulum, non offendebantur pannis, non illos ab officio pietatis retardabat lactentis infantia vagiẽtisq; infirmitas: siquidem in infante videbant eum, cui semper assistit omnis beatorum Spirituum concio gloriosa, splendidissimas arces super cæli orbes constitutas incolens, quem viginti quatuor seniores, in facies suas cadentes, adorant, & cuius Majestatem venerantur centum 44. millia signatorum ex omni Tribu filiorũ Israël, & illa omnis generis omniumq; populorum turba, quam in Apocal. dinumerare nemo potest. Videbant in loco tam obscuro eum, qui splendor est paternæ gloriæ, quique solus *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Videbant fasciis obvinctũ, cui Pater omnipotens universam tradidit potestatem in cœlo & in terra. Videbant in cunis vagientem, qui simplici nutu condidit universa, cujus jussu silescit mare, vertuntur rerum species, fugiunt morbi, concidunt armati, pelluntur dæmones, scinduntur petræ, reviviscunt mortui, resipiscunt peccatores, denique novantur omnia. Videbant in stabulo, quem admirantur superi, tremunt inferi, medius hic orbis supplex adorat, ad cuj⁹ comparationem summi Reges nihil aliud quàm vermiculos etiam sese confitentur. Videbant in infirmitate, qui solus mortem aliis invictam sua morte devicit; ac Satanæ tyrannidem cælesti virtute demolitus est. Videbant inter bruta animantia, qui perfractis ac spoliatis inferis, tot piis comitatus animabus victor cælos adiit, ibiq; sedet ad dextram Dei

Patris.

Patris. Videbant illius manus involutas pannis, & alligatas fascia, qui continet ventum in manibus suis, & aquas quasi in vestimento alligavit. Breviter, videbant quidem infantem pannis obsitum, sed credebant esse eum, qui tam admirabili ratione ac sapientia cuncta condidit, ut vel in apiculis multa ac magna suæ sapientiæ reliquerit miracula: qui remotis initio tenebris, mundum luce vestiuit: qui tam stupendo rerum ordine atque harmonia nectit, continet, administrat universa, obiens omnia nec tamē à seipso discedens: omnia movens, ipse immotus: omnia concutiens, ipse tranquillus: postremo, in quo id quod stultissimū est, universam mortalium Sophorum sapientiam longo superat intervallo. Hanc sublimem humilitatem, & humilem sublimitatem Magi admiranda fide cognoverunt. Sapientissimus Rex Salomon, cum septem annorum spacio templum illud opulentissimum (quo nullum erat in Orbe terrarum magnificentius) exstruxisset, intelligens cælorum Conditorem & Dominum sedem ibi ac domicilium delegisse, admirandus exclamavit: *Ergone verè credendum est, quòd Deus habitet super terram? Si cælum, & cæli cælorum te capere non possunt, quanto magis domus hac, quam ædificavit?* Si Regi, scientia Domini excultissimo, adeò mirū & novum esse videbatur, cælorum Conditorem in templo illo, infinitis penè expensis magnificentissimè exstructo, habitare velle: quid, quæso, diceret? quid faceret, quo stupore afficeretur, si hoc stabulū ingressus, illum ipsum cælorum Regē (cujꝰ Majestate amplissimam illam domum indignam arbitrabatur) simul cum sanctissima Genitrice, pudicissima, & augustissimo Spiritus Sancti templo, inter muta animantia, inter fœnū & paleas jacentem vidisset? Si Regina Saba non habebat ultra spiritum, cum splendidum ejusdem Salomonis & familiæ apparatum

ratum vidiſſet, quanto ergo magis idem Salomon præ admirationis magnitudine defeciſſet, ſi ſummi illius rerum omnium Domini non ſplendorem & apparatum, ſed paupertatem, inopiam, & abjectionem contemplatus fuiſſet? Magi verò non admirantur, quòd immenſus & æternus rerum omnium fabricator, quem neque ingens orbis hujus machina, neque ſpatioſiſſima illa volumina capere ſufficiunt, exiguo corpuſculo ſe totum incluſit. Non obſtupeſcunt, quòd ille, cui ſervat excubias univerſa cæli militia, naſcitur inter armenta, in ſtabulo ſordido; quòd pannis vilibus involuitur, & ligatur robuſtus ille gigas, qui omnes aëreas poteſtates venerat expugnare. O ergo horrendam ſæpeque damnatam impietatem noſtrorum Capharnaitarum, qui CHRISTUM in Euchariſtia adorare recuſant, propterea quòd in ea præſentem oculis non vident. Et ut planius doceant ſe eſſe hyprophetas illius, qui ſibi divinos honores olim à deceptis mortalibus exhibere curavit, pro ſua commentitia ſcrupuloſitate clamant, ſe non habere mandatum adorationis. Non venit, inquiunt, ut adorationis à ſuis exigeret obſequia, nec in eum finem nobis Euchariſtiam reliquit. Num idcirco ſacrilegiũ admisêre pientiſſimi Magi puerum adorãdo? Num crimen illius leproſi videtur indignum, qui ab iſto cultu non abſtinuit? Num verò Apoſtolos omnes dicturi ſumus idololatras, quos Matthæus refert redivivum adoraviſſe? Quorſum venerat in terras Dei filius? Non utiq; ut miniſtraretur ei, nedum ut adoraretur, ſed ut daret animam ſuam in mortem ignominia pleniſſimam. Num propterea dicemus malè ab omnibus illis adoratum? Abſit. Qnemadmodum enim non tunc ſolùm honorandus eſt Imperator cùm ſublimis purpuratusq; reſidet; ſed etiam dũ paludatus, aut armatus inter gregarios obambulat; ita
pro-

profectò ubicunque Deus est, qui idem ubique est, eodem semper honore afficiendus est. Etsi Christus erit Angelis adorandus in hunc orbem veniens, hoc est, incipiens esse in terris eo modo, quo ante non fuerat, quidni adoretur etiam nunc à miseris mortalibus, cùm singulis penè momentis in Altaribus ea ratione existat, qua prius non fuit, cùm eadem sit caro, sanguis idem, eademque prorsus persona, Filius Dei, nisi quòd nobis immortalis, gloriosus, nullisque miseriis ac doloribus obnoxius proponatur adorandus, quem ad hujus mundi infinitas molestias perferendas venientem Angeli & Magi summa veneratione sunt prosecuti? Ne simus nos, Aud. hum. Magis inferiores, offeramus & nos Christo actuum nostrorum munuscula, quæ jam non in terris & cunis jacens suscipiat; sed quæ sedens ad dexteram Patris amplectatur in cælo. Hunc denique in primis cognoscere studeamus, cognitum laudemus, laudatum amemus, amatum exprimamus; atque imitemur: imitantes, eo fruamur; fruentes, immortali felicitate potiamur. AMEN.

LXXIX. NIHIL ESSE FORTIVS *Muliere.*

QVanquam agricolæ vigilantes, Auditores humanissimi, cùm habent vicinum torrentem, qui vexat læditque segetem, non cùm hyeme inundat, & ultra margines intumescit, multoque aquarum impetu fertur violentus, sed tempus illud prævertentes, dum tranquillus est atq; angustus, & ripas obsepiunt, & aggeres erigunt, & fossas agunt, denique omnibus nervis sese præparant adversus futuram ejus violentiam: tamen pastores, quamdiu noxia bestia molesta non est, sub ilice aut quercu porrecti fistula canunt, sinentes oves liberè suo arbitratu pascere; verùm postquam sen-

tiunt

tiunt alicunde luporũ incursionẽ imminere, mox abjecta fistula fundam arripiunt, & omisso calamo fustibus & saxis obarmant sese, proque septis consistentes, magno emisso jubilo ingentique ululatu vociferantes, omnia magno strepitu & vociferatione concutientes, & magnis clamoribus vacua omnia complentes, frequenter ipso clamore feram, priusquam irrumpat, abigunt atque propellunt. Itidem & mihi, Auditores, in præsentia est faciendum, &, si quid dicendo consequi possum, eo potissimum conferendum mihi erit, ut quorundam luporum in hanc nostram pergulam & Hermathenam incursionibus resistam.

Meministis enim probè, Auditores, duos clamatores (lapsus sum, erravi, pœnitet, declamatores dicere volebam) paucis abhinc diebus nobis fumos, offucias, ac nebulas vendidisse, & pulveris minutias (quales atomos in sole per fenestras transfuso volitare videmus) oculis offundere conatos esse, quibus occæcati, non videremus quid verum, quid secus.

Meministis eos se mutuis conviciis lacerasse, & tantum conviciorum alterum adversus alterum dixisse, quantum non una navis vehat. Hosce ego video, hic hic enim sunt in nostro numero, & quos ferro trucidari oportebat, eos nondum vulnero. Vix solebat esse aliud amicorum par in toto Scholasticorum grege arctiori necessitudinis vinculo conjunctum, & sanctiori consuetudinis fœdere copulatum. Unde igitur ista seges dissidii? unde istud seminarium odii? Alter frivolis quibusdam rationibus, & argumentis, quid dico argumentis? imò verò, deliramentis, Sybariticis & puerilibus fabulis VINO (quod jam diu magnopere dilexit) nihil esse fortius comprobare nitebatur. Alter verò, metuẽs ne auctoritas, imperiũ, ac potẽtia rrabeatorũ & torquatorum turbæ, (cui

hactenus à pedibus fuit, (imminueretur, ne, inquam, Magnates ex astris deciderent, & ex altissimo dignitatis gradu præcipitarentur, è diverso, Rege nihil esse fortius demonstrare conatus est. Quam insolentiam, insolentiam autem? imò verò inusitatã ac penè inauditam impudentiam, adhuc lapsus sum, furibundam dementiam, nullo modo æquo animo ferre possum, vel si (quod longè lateque absit) culeo cum gallo, serpente & simia essem insuendus, reputans mecum aureum illud elogium Divi Innocentij. *Error, cui non resistitur, approbatur; & veritas, cùm minime defensatur, opprimitur.* Quare etiam magno, ardenti, & excellenti ingenio viri, cùm se doctrinæ penitus dedissent, quicquid laboris poterat impendi, contemptis omnibus & publicis & privatis actionibus ad defendendæ veritatis studium contulerunt.

Propositio

Hac de causa, etsi nugiuenduli isti doctrina & eloquentia tantum me præcedant, ante alios quãtum Pegasus ibat equos: tamen (si Deus cœptis annuerit) in Cimmeriis eos tenebris versari, à sententia abducere, ab errore, quo sunt impliciti, (nisi cornea fibra, jecur adamantinũ, robur & æs triplex circa pectora eorum fuerit) ad rectiorẽ viam revocare, atq; è contrario MVLIERE nihil esse fortius validis & nervosis (quomodo mihi persuadeo) argumentis, pro virium mearum portiuncula, declarari decrevi. Dictur⁹ itaq; de re tam ardua, minimeq; levi, rogo vos, Auditores, vel potius precibus omnibus oro atque obtestor, ut mihi aures non quas circulatoribus, scurris, ac morionibus; sed quas sacris concionatoribus consuevistis arrigere præbeatis, verbaq; mea in memoriæ thesaurum, scrinium, & armariolum recondatis.

Confutatio.

Cùm autem agrum, nisi extirpata prius zizania evulsis sentibus & omnium stirpium radicib⁹ amputa-

putatis, conſerere non liceat, feciſſe operæ pretiũ videbor, ſi docti agricolæ inſtar, prius tribulos, lolium, carduos, & urticas radicitus extirpauero, quàm purgatiſſimum & purum tritici granum ſulcis immittam; ſi (inquam) dictorum prius antecesſorum diliramenta confutavero, quàm ad meam ſententiam ſtabiliendam accedam: ut illorum venenis cognitis, mea libentius antidota bibatis. Is, qui in loco inculto, agreſtiumque plantarum aſperitate vaſtato hortum facere inſtituit, opus eſt, ut prius inutiles illas plantas evellat.) Boët. de conſ. lib. 3. metro. 1.

Qui ſerere ingenuum volet agrum,
Liberat arua prius fruticibus,
Falce rubos filicemq; reſecat,
Vt nova fruge gravis ceres eat.

Valeãt ambages, ad ipſam tandem rem veniamus, certaminis noſtri ingrediamur carceres atque inde ad metam contendamus. Equidem, quod ad me attinet, quo me vertam, neſcio: evellam ex animis eorum tantam opinionem, tam penitus inſitam, tam vetuſtam? Non eſt noſtri ingenii: veſtri auxilii eſt (Auditores) hoc onus aliqua ex parte allevare. Heu me quid agam unde hanc telam exordiar, unde principium faciam? quæ primo aut ultimo loco dicam? Tecum, tecum, inquam, mihi primò, qui VINI fraudes, laudes dixiſſem, decantaſti, res erit.

Cùm te elapſis diebus nonnulli magna cũ admiratione hoc eodem in loco clamantem, erravi declamantem dicere erat in animo, audirent, ita ſunt admiratione tui inflammati, ut ex omnibus, quos antea præſtantiſſimos exiſtimaſſent, tibi uni in Oratoria palmam deberi certiſſimò ſibi parſuaderẽt. Quin ſi animo tũ obſequi licuiſſet, unà cũ illo exclamare veriti nõ fuiſſẽt: ὦ σύνεσις ὦ λόγοι, ὦ μνήμαι, ὦ συνθύκη Μακάριος εἰ, λέγειν τοῦτο, μᾶλλον δὲ φρονεῖν τοῦτο δυνάμενος. Verũ efficiam (non armis, ſed validis Contra Vini Encomiaſten.

argumentorum machinis instructus) ut etiam his contemptui fias, quibus prius fuisti admirationi. Non possum satis mirari, quis te in hunc detestandum errorem induxerit: demiror, inquam, quis malus genius, quæ pestis, quæ intemperantia, quę furia primùm in mentem tuam immiserit rem adeò belluinā. Incertus sum, utris poti⁹ indignandum; iis, qui te ad hoc facinus, aut, ut melius dicam, scelus instigarunt; an tibi, qui improborum consiliis, quàm bonorum virorum monitis obtẽperare malueris. In te quid potissimum admirari debeam hæsito, malitiamne, an impudentiam, an vecordiam? Non te pudet manifestæ vanitatis? nõ erubescis adumbrata pietatis fuco mendacia deferre palum? Non mercam certè vel Attalicas gazas, vel Pelopica talenta, vel mundum, quantus quantus est, ne totum quidem plenum auro, ut in tantum inciderim errorem. Quantum, Deus bone, stupui, cum tuas nænias Siculis gerris vaniores audirem? quanta, quæso, quamque acuta doloris cuspide pectus meum tunc perfossum fuisse existimas? quanta ira siccum jecur arsisse opinaris? Illud verè dicere, & religiosè affirmare audeo, te præter reprobanda quorundam Epicureorum testimonia (quorum vel sola recordatio mihi nauseam movet) ad violentiæ tuæ & erroris fulcimentum nihil adduxisse, te futilibus tantùm fabulis, bullatis nugis, & vanis anicularum deliramẽtis tuam sententiam comprobasse; quòd convincit te esse hominem deploratæ partim impudentiæ, partim insaniæ. Quod minimi faciendum est, id tu maximi ducis: quod prima mentione dignum est, id tu vel silentio præteris, vel omnibus rebus posthabes. Hic tibi mecum non convenit, ex diametro nostræ sententię secum pugnant. Esto, Vinum sit forte, illud nemo negat. Sed magna admiratio animum meum invadit, & de

men-

mentis pene loco præ admiratione rapior, te illo nihil esse fortius bliteis nec caput nec pedes habentibus, ficulneis & prorsus inualidis rationibus asseverare. An nõ ista mentis extrema cæcitas est? O ora saxis, non verbis retundenda! O verba ne abjectissimis quidem porcariis, aut ciceris, & fractæ nucis emptoribus permittenda! Si dixeris te culpa carere, ac nihil commeruisse, dicto citius ac sub manum mendacii te convincam. Nonne mulieres omnibus, qui vites plantant, & vitam conferunt, & alimonia, & ad robur usque perducunt? Quis ergo, te (inquam) merulentum, & vino marcentem, obducto supercilio contractisque naribus, ut immundum & putidè olentem non aversaretur? Quis te non cum nausea velut scatabæum stercori bubulo se potissimum alentem refugeret? Quis te non exectetur? Quis te naso non suspenderet & postica sanna eluderet? Quis de te otiosa garrulitate non fabularetur? Quis non diceret, te minus habere cerebri quàm cimex sanguinis? Quis te non severa scutica, brevibus gyaris, & Umbrarum carcere dignum pronuntiaret? Quis te non Perilli tauro, & Busiridis ara dignissimum assereret? Nescio si vel Crassus ipse, quē semel rantùm risisse memorant, continere se posset à risu, quoties huius demẽtiæ recordaretur. Quòd si tuis ineptiis contentus viveres, neque alios eodem cuperes sordere luto, esses quidem ridendus, non tamen tanto odio habendus. Verùm non spero te ex animo locutum esse, quod soles mirus esse simulandi dissimulandique artifex, & nugator omnium nugacissimus. Credo te in hoc argumento vel exercendi, vel laxandi ingenii gratia ludere, καὶ χύτρας, ut Græco proverbio utar ἐπιδείκνυσθαι voluisse: quod idem jam olim à multiformi eruditionis suppellectile instructis authoribꝰ est factitatum, quos λαλεῖ (ut & Græcè balbutiam) ἄριστος,

ἀθανατώτατος διαλέγειν secutus esse videris. Atque si Cyprianum (qui magnam sibi gloriam ex artis Oratoriæ professione quæsivit) immutata littera Caprianum vocârunt, quasi quòd elegans ingenium & melioribus rebus aptum, ad aniles fabulas contulisset, quid tandem tibi non accideret? qui neque vim persuadendi, neque subtilitatem argumentandi habere potuisti? Sed vereor ne, si in his fuero diutius immoratus, aut oblitus esse propositi videar, aut crimen loquacitatis incurram.

Ad te igitur REGUM adulatorem, mirumque seminandarum litium artificem venio, te gravem rerum consultorem apello, qui præteritis diebus contra potatorem istum vini convitiorum sagittas jaciebas, qui plaustra conviciis plena in ipsum effundebas, qui caninam & rixosam facundiam exercebas, qui cothurnatam ac tragicam eloquentiam affectabas. Quæ te mentis insania, quis furor exagitabat, ut Rege nihil esse fortius asserere non erubesceres? Hoc non sani esse hominis, non sanus juret Orestes. Hoc persuade quibus caput vacuum est cerebro, mihi certè non persuadebis, etiamsi vel ipsa sis Suadela. Quæ fuit unquam in ullo homine tanta impudentia, impudentiam dico? nescio an melius insaniam possem dicere. Quotus enim istud quisque fecit? Certè studiosus Monasteriensis ante te nemo. Imperitiæ te arguam, an temeritatis accusem nescio, non modò quid oppugnares, sed etiam quid defenderes nesciebas. Quamvis temporis gratia conticebam, animo te tamen deridebam, utpote cum diceres te illuminaturum alios, cum ipse cæcus esses, reducturum alios ab errore, cùm ipse ignorares, ubi pedes tuos poneres, erudit urum alios ad veritatem, cujus scintillam quidem nullam aliquando vidisses. Non est iam lenitati locus, severitatem

res

tes ipsa flagitat. Licet ægris & implacidis auribus accipias, non tamen non possum id quod res est, dicere. Abhorret à vero, mendacio affinis es. Velis, nolis, oportet, ut æqui bonique consulas, oportet, ut in bonam partem accipias. Ut hoc interim tibi largiar, maximam esse potentiam Regis; tamen quis ignorat mulieres genuisse Reges? quid dico Reges? imò verò omnem populum, qui dominatur mari & terræ. Atque imperant quidem Reges subditis; sed mulieres imperant Regibus, juxta dictum illud gravissimi Catonis: *Nos imperamus omni orbi terrarum, nobis verò uxores.* Cui consentit Aristoteles, omnium Philosophorum διδακτικώτατος in hæc verba prorumpens, ὦ τῆς ἀνθρωπίνης ταλαιπωρίας, ὅτι πολλοὶ πολλάκις πολεμίων κρατοῦντες καὶ ἄλλων τινῶν γυναιξὶν ἐδούλευσαν. Quid multis? Non est dubium, quin & multi Reges, & Principes & primates sint servi uxorum.

Verùm hæc ipse equidem, spaciis exclusus iniquis,
Prætereo, atque aliis post me memoranda relinquo.

Quis autem ex hac tanta frequentia te asellum bipedem non rideat? quis te non ludos deliciasque faciat? At dices forsitan, quid caussæ est, quòd tantopere mihi succenseas, in me tam graviter exclames, tam acriter invehаris, tam furiosè sævias? Nimes, ... Nihil hercule peccavi, nihil commerui, nihil denique tanto dignum convitio perpetravi. Refer, inquis, ad Scholæ nostræ Dictatorem, & reliquos Præceptores, id enim postulas: non referam id, quod abhorret à meis moribus, sed tamen faciam ut intelligas, quid hi de te sentiant. Dignissimum te esse pronuntio, cujus in exitium & mortem non una paretur simia, non serpens unus, non culeus unus: sed quidquid ab ingeniosis ad hominum tormenta & miserias tyrannis unquam repertum est. Quid est nebulo, quid attendis, quid animadvertis horum silentium? patiuntur, tacent.

 Quid

Quid exspectas authoritatem loquentium, quorum voluntatē tacitorum perspicis? Demiror quid te commoverit, ut sic more Andabatarum gladium in tenebris ventilares, & linguæ sonum ad confodienda tui tantum corporis membra concuteres. Facilè equidem persentisco, & summis naribus olfacio, novi ingenium tuum. Pulchre tanquam meos ungues sensum tuum calleo. Quasi vero mores tui intus & in cute unicuique non sint explorati. Patere tua consilia non sentis? Constrictum jam omnium horum conscientia teneri consilium tuum non vides? quid consilii ceperis, quem nostrûm ignorare arbitraris? Teneris undique, luce sunt clariora nobis tua consilia omnia. Voluisti ad voluntatem potentium loqui, ut te in summo dignitatis gradu locarent, & ad amplissimos honores perducerent; ut (inquam, te in Ecclesia celebri ac Metropolitana Sacerdotio non jejuno, sive (ut nunc vocant) Præbenda Concionatoria donarēt, in pinguia demortui alicujus annua Sacerdotalia inaugurarent, aut in collegium aliquod Canonicorum concenturiarent. Sed vide ne te ipsum vana spe lactes, vide ne spem foveas vel ipsis nebulis inaniorem. Quando tandem donabunt te Sacerdotio? cùm mare, ut dicitur, vitem protulerit, ubi sita erit illa tua Ecclesia? In utopia, ad forum boarium, juxta puteum; ubi fœnum perinde atque pannum metimur ulnis. Quid faceres tu in Ecclesia? profectò, ut Græco biverbio utar, idipsū quod canis in balneo. Dignior esses qui remiges in triremibus traheres, quàm ut animarum saluti procurandæ admovereris. Non desideras opus, sed opes; pro Pastore ageres depastorem, ara tanquam hara contempta, more adulatorum in aula degere, & in Ecclesia Christi τεχνολογεῖν quā θεολογεῖν malles. Sicut Crocodilus, anceps animal, nunc in terris agit, nunc in aquis; in terra ponit

ova,

ova, in aqua prædatur & insidiatur: ita simul & aulicus esses, & Ecclesiasticus, utrobique pestilens. Quamdiu potentibus inservivisti, semper id unū egisti, ut amplissimæ pecuniæ dominus fieres, ut magnam auri argentiq; vim possideres, breviter, tuum omne studium in cumulandis opib⁹ & corradendis nummis consumpsisti. Qui pridie quam huc venisses, ne obulum quidem habebas, unde restim emeres, jam inter caseatos montes nutriris, butyro & melle saginaris, nitida & bene curata cute ac probè saginato corpore ampullosus incedis. In summa mendicitate eras, & tam nudus tanquam ex matre, nunc autem benignior tecum fortuna lusit, & utramque (quod dicitur) mammam dedit lactendam. Qui enim solebas calceamentis (ut alia obliviscar) uti ligneis, quemadmodum ruri per hyemem moris est, jam compositis & elegantib⁹ calceis indutus incedis, & pavonis flagellum, exuviumq; leonis præ te ferre videris,

Sed jam hoc totum & facilè patior sileri. Valeant quæ nihil ad Bacchum, nihil ad versum, nihil ad rem, nihil ad hoc epos faciunt. Illud, etiamsi disrumparis, inficiari non potes, priscos Reges maxima ex parte insigni stultitia præditos fuisse, id quod partim è Poëtarum, partim ex Historiographorum monumentis licet cognoscere. Num negare audes? Quid taces? convincam, si negas. Tota Ilias Homeri quam est longa, nihil aliud, quam quod eleganter scripsit Horatius,

Stultorum Regum, & populorum continet æstus. Vnde natum est ubiq; gentium semper decantatissimum & observatu dignissimū Proverbium, (quod utinam in literis duntaxat extaret, non etiam in omnium prope vita:) Aut Regem, aut fatuum nasci oportet. Quin omnes potius, Auditores, & veterum, & neotericorum Annales evoluite, nimirū ita comperietis, vix sæculis aliquot unum aut

alterum extitisse Regem, qui non insigni stultitia maximam perniciem invexerit rebus humanis. Ignoscite, si videbor æquo liberius dicere. Vereor ne imminuam summorum virorum auctoritatem & gloriam, dicam tamen dolore commotus. Non est nostrum de summis proceribus veluti pronuntiare, sed tamen cogimur non sine suspiriis sapientiam in Christianis Regibus desiderare. Alioqui unde totrerũ novationes, tot toties icta & rescissa fœdera, tam crebri tumult⁹, tot strages, tot pugnę, tot minæ, tot diffidia, nisi à stultitia proficiscũtur? An non videmus egregia oppida à populo condi, à Regibus (cur hoc relinquis inultum Jupiter?) subverti? Rempub. civium industria ditescere, regum rapacitate spoliari? bonas leges ferri a plebeiis Magistratibus, à regibus violari? populum studere paci, reges excitare bellum? Nemo his offendatur, cum nullius designetur nomen, nullum læsi, nec veteris Comœdiæ licentia certas personas perstrinxi. Optamus esse nullos, in quos hæc congruant. Et si nunc tales nulli sunt, (quod faxit Christ⁹) tales olim fuerunt, & in posterum fortasse futuri sunt. Quæ cum ita sint, & cum potentia, nisi sit cũ sapiẽtia bonitateq; conjuncta, sit tyrannis, non potentia (quam ipsam tamẽ populi consensus, quemadmodum dedit, ita potest eripere) quis te, te dico apertè halophantẽ, in ultimas terras, in extremas Iberię fines, & ultra columnas ab Hercule fixas deportandũ esse non diceret? Discipulus fortasse Anaxagoræ fuisti, cui nives atramentum fuerunt. O cæcum pectus! O mentem Cimmeriis, ut ajunt, tenebris atriorem, & densissima impietatis caligine occæcatam! O venatorem Sacerdotiorum, à consortio humano prorsus segregandum! Non te tam pertinacẽ fore arbitror, ut clarissimũ solem sanis ac patẽtib⁹ oculis videre te neges, neq; pectore adeò obtuso, ut verbis humanis nõ mollescas. Erubesce, erube-

erubesce (inquam) aliquando, & si non prudentis, ac saltem paululũ verecundi hominis faciẽ sume. Si hactenus delirasti, nunc resipiscas, muta tandẽ istam mentẽ. Sunt mihi, Auditores, vela orationis vertenda, & blandius esse loquendũ video. Nimis urgeo, ad me revertar, commoveri videtur adolescens. Tam caperata, tam tetrica, tam corrugata eũ fronte conspicitis, quam si cepas edisset, acetũ bibisset, sinapi victitasset, aut ex Trophonii specu nobis rediisset. Defloruit illi anim⁹, aspergite ei aquã, ut ad se redeat, seq; ab ista ægritudine recolligat. Ignoscite, Auditores, erravit, lapsus est, nõ putavit, pænitet, delicti veniã petit, ut igõscatis orat.

Hic jam plura, Auditores, non dicam, sed validis tum rationib⁹, tum argumentis meam sententiam (Majestate cœlesti mihi dicendi facultatem suggerente) comprobare aggrediar. Quod dum facio, adeste omnes animis, qui adestis corporib⁹, erigite mentes auresq; vestras & me de tantis rebus dicentem attendite. *Confirmatio.*

Principio quis nescit MULIEREM non solum procreare & educare Regem, sed totum etiam mundum conservare? Quis ignorat homines sine REGE & VINO esse posse, sine MULIERE non posse? Quis dubitat Regem sine Regno nihil posse, mulierem verò suis viribus valere, & potentissimos Reges vincere vel arte sua, vel formâ, vel blãditiis? Adhæc, quis ignorat, quantum divitiarum amore teneantur homines? Cùm quis invenit aurum, incredibili afficitur voluptate, adeò gaudet, ut illum diem Romanæ felicitatis vincat, quo primum Marcelli apud Nolã prælio post Cannensem pugnam Hannibalis agmina conciderunt ὦ χρῆμα (ut cũ Phocylide loquar) εἴθε σε μὴ θνητοῖσι γειέσθαι πῆμα ποθεινόν. Non immeritò Diogenes, cum interrogaretur, cur aurum palleret, respondit: quoniã plurimos habet sibi insidiantes. O quam latũ argumentum,

mentum, quam spatiosus hic se mihi loquendi campus aperit, copia suppeditat; farragoq; quanta loquendi. Etsi autem ita se res habet, tamen quis mulieres non omnibus Arabum divitiis longè præponit? Reperiuntur qui omnibus divitiis contemptis, mirandum in modum amant mulieres, etiam annis pannisque obsitas, quæ multorum festorum Jovis glandes comederunt, multis Olympis interfuerunt, pedum robore defectæ, ut sursum deorsum possint ambulare, scipione nitũtur, quibus caput incanuit, genua tremunt, dentes cadunt, frons ob senium rugis arata ac veluti sulcis est distincta, ubera præ senio laxa, & cutis rugosa, quibus deniq; instar boum pendent à mento palearia, & *frigidus* (ut inquit ille) *obsistit circum præcordia sanguis*, Si tales, longo jam senio mortuæ adeoque cadaverosæ, ut ab inferis rediisse videri possint, divitiis præferuntur, quis non insigniter formosas, albicantes, nitidis genis, purpureis malis, roseis labiis, ætate integras, jam dudũ viro aptas, & conjugio maturas puellas iis longè præferret? Quibus omnis cura de vestibus, si bene oleant, si pes instar follis incluso vento non moveatur, quæ in vestibus non calorem, sed colorem quærunt, crines calami vestigio rotant, & in orbem flectũt, mitellis crispantibus verticem innoxium arctant, capillis alienis instruunt, *Cincinnos* (ut inquit ille) *quorum argento notantur & auro*? fucis quibusdam, ut purpurisso & cerussa ora oculosq; depingunt: etsi tantis negotiorum undis obruantur, quantis vix manu promptissimus sufficiat exhauriendis, toto tamen die quid sibi desit quærunt ad speculum, nusquam à speculo discedunt, juxta illud:

Natura Mulier satagit formosa videri,
Ducit ob id totos se poliendo dies.

Vnde apud Sybaritas usus irrepsit, ac paulatim temporis progressu robur collegit, ut mulieres abus-

abusque anno priore ad convivium vocarentur, quo se per otium auro vestibusq; possent exornare. Candidos interdum nudant humeros, & quasi videri noluerint, celant festinæ, quod detexerant volentes. Prælongas caudas à tergo trahunt rugis, fistulis organorum Musicorum similibus, miseros lumbos onerant, latas habent manicas ad terram usque porrectas, nec in aliud utiles, quàm ut onerent brachia, imò sic tenera corpuscula onerant, ut non possint succrescere. Vestem, ut altior videatur, trahunt, papillas fasciculis comprimunt, & crispanti cingulo angustius pectus arctant. *Dant digitis gemmas, dant longa monilia collo.* Voce tinnula & gratis oculorum nutibus loquuntur. Ne plantas humidior via spargat, vix imprimunt summa vestigia, si vel culmum, aut stramen fortè habeant obvium in itinere, diverticulum, ambages quærunt; cùm id divaricando transmittere & superare non queant. Erecta cervice & ludentibus pedibus incedunt, erectæ (inquam) incedunt, ac propemodum resupinatæ, sinuntq; sibi à viris aperiri caput, flecti genua, ipsæ nihilo plus honoris exhibent, quam si infimæ famulæ loquerentur.

Nihil à veritate dico alienum, verba mea non sunt devia recto, nec absona fidei. His autem (quod miserum est, & lachrymis prosequendum) fucis, his tendiculis, his imposturis, non solum in se convertunt virorum oculos, sed etiam animos in libidinem rapiunt. His incantamentis ac veneficiis illectant viros in amorem sui, adeò ut cum Pamphilo Terentiano dicant. *Hanc mihi expetivi: contigit, conveniunt mores, valeant qui inter nos dissidium volunt. Hanc, nisi mors, mihi adimet nemo.* Hisce præstigiis, viros (ut triviali fertur adagio) vel Tiresia, vel talpa cæciores reddunt. Siquidem amori non rarò honesta videntur, quæ sunt fœda: hic meretriciam dicacitatem, appellat urbanitatem; hic oculo-

oculorum, incessus, ac gestuum lasciviam, interpretatur comitem. Atq; sponsis amantibus mos est suam cuiq; sponsam certatim extollere. Etsi ad prodigium usq; sit deformis, etsi sit nigro capillitio, simis ac sursum hiantibus naribus, ore prælargo, ventre prominulo, vertice acuminato, raro capillitio, eoq; lacero, impexo, furfure ac lendibus oppleto, dentibus putridis, balburiente lingua, mento scabioso, tamen sponso vel cum ipsa Venere certare posse videtur. Etsi eam cum multis habeat communem, tamen plusquam Penelopen esse dejerat. Cuius rei sat magnum exemplum extat de Tarquiniis adolescentibus. Eam ob rem opinor, veteres illi Poëtæ (qui rerum vim ac naturam & sagacissimè perspexerunt, & aptissimis figmentis adumbrarunt) Cupidinem cæcum finxerunt: hodie per ora cunctorum obambulat adagium, nullū reperiri deformē amasium, propterea quod amanti vel non pulchra pulcherrima videantur. Quam sententiam eleganter extulit Theocritus, ἔρωτι, inquiens, πολλάκις τὰ μὴ καλὰ καλὰ πεφάνται. Verum de his plus satis. Dici autem vix potest, Auditores, quid charitatis, quid habeat voluptatis gremium maternum. Mirum quanta sit patriæ (quæ communis est omnium nostrorum parens) mortalibus dulcedo ingenita, ut, penè dixero, citius nosipsos amare desinamus, quàm patriæ oblivisci. Videmur quidem nobis tanto jam studiorum amore flagrare, tanta Musarum dulcedine trahi, ut literis omnia semper postfutura credamus; at post paucos dies (mihi credite) potestate facta patriæ revisendæ, hic fervor amorq; literarum penè totus refrigescet. Quamvis hæc ita se habeant, tamen nemo non mulieres patriæ longè præponit. Non pœnitet quosdam, quò uxorem egregia honesta ac liberali forma consequantur, difficilem, ac longinquam peregrinationem suscipere, vel in extremam

mam Indiam, & (ut est in Proverbio) ultra columnas Herculis proficisci, ac horrendo ventorum impetu rapi, adeò etiam, ut & corporis & animi pericula sæpe contemnant.

Quid parentum pietate sanctius? at huic tamen conjugalis præfertur fides. Quo auctore? Deo. Quo tempore? non Judaismi tantum, sed Christianismi quoq; deseritur pater, deseritur mater, & adhæretur uxori. Super hæc omnia, nemini ex tota circumstantium corona non constat, quàm execranda sint vitia, furtum, homicidium, rapina & similia. Tamen hæc (quod miserrimum est, & nulla lachrymarum profusione sat dignè prosequendum) mulieris ergò in hoc miserrimo statu non rarò perpetrantur.

Ac ne quis à nobis hoc ita dici fortè miretur, verum est quod scribit Lucanus: *nescit plebs jejuna timere.* Quoniam magna est rerum omnium penuria, & incredibilis annonæ caritas, multi qui labore & quæstu suæ professionis quæritare sibi & uxori querulæ victum & amictum nequeunt, coguntur ad latrocinia & expilationes divertere, aut viatoribus insidias moliri; licet certò videant se suspensum iri, si corripiantur. Sæpenumerò accidere videmus, eos, qui prius sunt illustrissimis honoribus conspicui, & tam altis evecti sedibus, ut tantum non se digito cœlum contigisse arbitrentur, technis mulierum ad extremas miserias delapsos, Iro Codroque pauperiores evadere. Ex adverso, etsi mulieribus & ne minima quidem sint divitiarum ramenta, tamen à viris eas consequi, unde hanc vitam commodè traducāt, conspiciemus. Aulus Gell. luculentissimus ille Romani sermonis vindex de Laide meretrice hujusmodi ex Phocione Peripatetico refert historiam. Lais, inquit, Corinthia, ob elegantiam venustatemque formæ grandē pecuniam demerebat, conventusq;

ad eam

ad eam ditiorum hominũ celebres erant ex omni Græcia, neque admittebatur, nisi qui dabat, quod poposcerat: poscebat autem nimiam quantitatem. Hinc ajunt natum esse illud frequens apud Græcos adagium, οὐ παντὸς, &c. latine fiet quod frustra iret Corinthum ad Laidem, qui non quiret dare quod posceretur. Hæc eadem à Demosthene decem aliquando millia nummum, hoc est mille coronatos Francicos poposcit. Quasi verò mihi difficile sit multos nominatim proferre, (ne longius abeam) huius civitatis incolas quorum marsupia mulieres exenterarunt. Verum homines notos sumere odiosum est, cum & illud (si Ciceroni credimus) incertũ sit, velintne hi sese nominari. Vnum novi qui primum splendidis & magnificis vestib^9 erat conspicuus, & loculos habebat ære distentos, jam verò vestes penè habet detritas & laceras, ut vix in publicum prodire ausit, & crumenam gerit prorsus emunctam atque exenteratam, araneatumque magis quam pecuniarum plenam, ut cum sodalibus & congerronibus subinde conbibonem agere non queat. Circumamictus est pallio tot consuto atque variegato panniculis, quot, penè dixerim, cœlum stellis. Quid pluribus? in eum locum deductus est, eò redactus est miseriarum, ut ei ad victum necessaria minimè suppetant. Vestra admurmuratio facit, auditores, ut hunc agnoscere videamini, qui hoc sit: ego autem neminem nomino, quare irasci mihi nemo poterit, nisi qui ante de se voluerit confiteri.

Præterea mulieres ex sapiente possunt facere archimorionem, ex domino servum, ex capillis senẽ, mente juvenem. Quis enim ignorat fortissimi *Samsonis* facinora, vel cum Herculis factis minime comparanda? Quis ignorat huius fortitudinem ab Angelo esse prædictam? Quis ignorat hunc leone fortiorẽ, & saxo fuisse duriorem? Quis ignorat

hunc

hunc unum & nudũ mille Philistæos armatos asini maxilla interfecisse? Det tamen hunc, hunc (inquam) quem multa millia hostium armata non vicerant, una muliercula, sine tumultu, sine delectu, sine armis, sine exercitu superavit. Quis ignorat *Davidem*: secundum cor Dei electum, inauditæ proceritatis, Colossææ magnitudinis, & immensi roboris Philistæum Goliath, hostem populi Dei immanissimum, cum cæteris hominibus magnitudine corporis non conferendũ, universis Israëlitis terribilem, ab adolescentia, adolescentia autẽ? imò pueritia: adhuc lapsum sum, ab ipsis cunis in omni bellorum genere versatũ, in bellicæ rei laudibus, vel cum Scipionibus, ac Pyrrhis conferendum, à vertice ad imos pedes armatum prostravisse, omnes Philistæos in fugam conjecisse, & populum Dei conservasse? Idq; cum esset adhuc adolescens, minimus suorum fratrum, pastor ovium rei militaris, & certaminũ imperitus, gestandis armis inassuetus, baculo tantum, funda, & quinq; lapillis limpidissimis de torrente instructus. Hic, hic tamen mulieris technas atq; fallacias non evasit, à muliere nullo negotio superatus est. Quid est, si hæc fortitudo non est? Quis ignorat mulieres *Salomonem* huius filium, (etsi sapientissimus, Rex esset Judæorum,) cum jam senectute & canicie esset reverendus, cùm (inquam) longa ætate multaque rerum experientia esset callidus, & alterum (ut dici solet) pedem in Charontis cymba haberet, ad idololatriam perduxisse? Quis ignorat mulierem primum omnium nostrum parentem ac Paradisi colonum *Adamum* decepisse? deque possessione dejecisse? Huc pertinet vulgaris ille versiculus:

Adam, Samsonem, Loth, Davidem, Salomonem,
Fœmina decepit, quis modo tutus erit?

Hic versus dignus est, qui omnib⁹ incidatur columnis, qui pro templorum omniũ foribus describatur,

batur, & quidem aureis notis, qui in principalium aularum valvis depingatur, qui primatium insculpatur annulis, qui regiis in sceptris exprimatur, qui in principum insignibus inscribatur; denique qui omnibus ubique monumentis repræsentetur propagetur, ac celebretur. Nunquid mulieres (si Historicorum testimonio succinere, & calculum adjicere volemus) *Sardanapalum* Regem Assyriorum eò illecebrarum perduxerunt, ut neglecta prorsus regni administratione, & relicta majestate (qua Princeps tanto debet excellere, quanto sublimior est cæteris) positis masculi sexus indumentis fœminam mentiretur, inter puellas & Eunuchos eviratior spadone delitesceret, & omne turpitudinis genus exerceret? Quis *Petrum* Apostolorum verticem, nostræ Religionis primicerium ac Coryphæum vicit? Num Pharisæi? nequaquam num armati milites? nullo modo num mulieres magnæ authoritatis? minime gentium. Num ancillæ? sic est, viles erant, ostiariæ, & abjectæ. Atq; hæc qua celeritate gesta sint, quanquã non ignoratis, tamen à me in dicẽdo non est prætereundum. Quis enim unquam tam paucis verbis tam brevi tempore, talem ac tantum virum superare potuit? Insuper etsi fortiss. ille Jovis & Alcmenæ filius *Hercules*, multorum monstrorum domitor, ob fortitudinem clarissimus, & quasi Africanus inter Deos gentiles habetur, etsi ob heroicas virtutes tantam laudem meruit, quantam nemo ex Principibus alius, etsi omnium (qui prodigiosis viribus extitêre) laudem multis intervallis excessit? tamen impudicæ mulieri Omphalæ servivit. Hac enim jubente fusos & lanas rudibus illis manibus (quibus portenta subegerat) attrectavit. Quam oram tam desertam putaris, quò non Herculis, summam artis militaris peritiam habentis, fama pervaserit? Quod nomen unquam in orbe terrarum clarius fuit?

fuit? cuius res gestæ pares?& tamen mulier ipsum etiam ad lanificium compulit.

Novi virum,(cujus nomini parco) in quē uxor, (Herculem ipsum verborum ac minarum viribus superans,)adeò duriter sæviebat,ut dicere cogeretur: Heu mea uxor,quidquid voles,exequar properè,faciam quicquid jusseris.Cùm domum nummis vacuus redibat,tam exoptatus uxori erat,quā primus dies parsimoniarum hominibus abdominī & ventri deditis; & quibus animus semper est in patinis: tam charus,quàm Cereri filiam Proserpinam abducturus Pluto: tam acceptus,quàm capite damnatis & morte mulctandis grata lux oritur, qua caput securi sunt subdituri: tam jucundus, quàm mercenariis, multo adhuc somno gravatis, & à labore diurno abhorrentibus, crepusculum matutinum ad diurnam operam vocans; aut denique tam gratus, quàm grata lux oritur tenebras amantibus. Duriter ipsum jugulabat, faciem ejus unguibus deformabat,longiores Homilias, quàm Chrysostomus habebat. Vir tacitus dicebat: O quantum in amore amari! O amorem melle & felle fœcundissimum!O infortunatam maritorum conditionem! Vellem primo nuptiarum die me subita morte consumptum fuisse, vellem mater abortivum me peperisset, vel nutricis ab ubere raptum feris devorandum objecisset. Quid faciām? quo me vertam? miserū me,qui hanc mulierculam in uxorē duxerim.Complures mulieres ego novi, quæ mariti minas non pluris æstimabant, quàm Hercules Pygmæorum insidias, aut Thiodamantis; imprecationes diras,increpationes non pluris faciebant, quàm nebulas in pariete depictas,qui minis,dicebant, exanimatus perit, ejus elatio bombis ventralibus est celebrāda.Si eas mariti contingerent vel primoribus digitis,nasum illis præmordebant,dentes labefactabant, barbam

evellebant,unguib⁹ genas lacerabant,caput omnibus capillis ita nudabant,ut affecta hyeme vix ulla possit inveniri arbos magis viduata foliorum & fructuum phaleris; tam(inquam)calvum,tam depilatum reddebant,quam sunt exuti plumis capones,jam verubus figendi atq; torrendi.

Quare satis argutè Metellus respondit Mario, cujus filium dote felicem,forma nobilem, genere claram, fama celebrem ducere noluit: *Malo meus esse,quàm suus.* Cui Marius: *Imò ipsa erit tua.* At ille: *Imo virum oportet uxoris esse.* Logicum enim est: Talia erũt prędicata,qualia subjecta esse permiserint. Nonne mulier *Lutherum*, pestilentium & jam damnatorum errorum insignem suscitatorem, novorumq; nostri sæculi dogmatistarum Antesignanũ coëgit,ut cucullã,professæ Religionis symbolum, rejiceret,ut Monasterium desereret,& à fide declinaret? quam plurimi(ut nunc est temporum malignitas) in literis ac monasteriis educati, votis astricti,dehortantibus amicis,proposita infamia nõ levi, clamant se non posse esse sine muliere; aut (quod est omnium sceleratissimum) vago concubitu omnia contaminant, instar porcorum in cœno libidinum volutantur, & carnis fœda oblectamenta sectantur.

Complures, qui à vano huius mundi consortio se separarunt, fucatam personatamq; sanctimoniã præ se ferentes,pecuniæ contactum, ceu aconitũ, horrent,nec à mulierum interim contactu abstinent,imo harum ergo nodosos Francisci funes dirumpunt,servitio Augustini exeunt, & jugũ Domini projiciunt. Atq; id genus homines, etiamsi extremo essent supplicio destinati,jam jam securi lethifera percellẽdi,cum divo Laurentio vivi Vulcano tradendi,miserrimeq; excarnificandi, tamen mulieres nequaquam desererent.Quis est tam cęcus,ut hæc non videat? quis tam impudens,ut neget?

get? quis poteſt eſſe tam averſus à vero, tam mente captus qui hæc neget? qui hæc non videt, nihil videt; qui diſſentit, nihil ſentit. Hoc certe, Auditores, quod ſum dictur°, neq; prætermittendum, neq; relinquendum eſt. Diabolus Lenæ cuidã pollicitus eſt par calceorum, ſi quendã virum ſanctũ, quem ipſe multo tempore tẽtaverat fruſtra, ad incontinentiæ lapſum pertraheret. Lena perfecit, ac petiit mercedẽ ex pacto. At dæmõ illi calceos longæ haſtæ præfixos porrexit ultra fluvium, ipſo facto cõfitens, mulierem eſſe tam ſceleratam, ut etiam ipſis dæmonib° eſſet abominanda. Nemo veſtrum, Auditores, (ut à peregrina ad domeſticam tranſeam° hiſtoriã) non memoria tenet, mulieres ſuperioribus annis Archiepiſcopum N. decepiſſe. Qui talis ac tantus erat, ut nulla res tam eſſet difficilis, quam ille non cõſilio regere, integritate tueri, & virtute conficere poſſet. Sed quò mulieres eũ perduxerunt? neceſſarium duco vobis pauca eorũ, quæ acciderunt, in mentem revocare. Quæſo diligenter attendite, remq; cognoſcite barbaram crudelitate, periculo verò & calamitate Reipublicæ pernicioſiſſimam. Atrociſſimis bellorum inſidiis ſubditos ſuos opprimere conatus eſt: non modo opprimere conatus eſt, ſed crudeliſſimè vexare, non vexare tantum, ſed inaudito quodam genere feritatis extinguere. Manum ad id comparabat diverſam quidem genere, ſed magnitudine ſceleris vitæq; ſimilitudine penè eandẽ, exercitum ex ſenibus deſperatis agreſti luxuria, ex perditis, atq; ab omni non modò fortuna, verum etiam ſpe derelictis, ex iis qui Eccleſiam deſerere, quàm illum exercitum maluerunt, & qui omni tempore in præda & ſanguine erant verſati, collegit. Villas (miſerum me, conſumptis enim lachrymis tamẽ infixus animo, hæret dolor) villas (inquam) exuſſit, agros vaſtavit, homines trucidavit, pecora abegit, templa

diripuit, ad altaria Christi (heu piget ac pudet) equos stabulavit, nō religioni, nō dogmatibus, non ætati pepercit, nō vagientis miseratus est infantię. Cogebātur enim mori (horresco referens) qui nōdum vivere cœperant, & nescientes malum suum inter hostium man⁹ ac tela ridebant. O feram immanemq; naturam! O crudelissimum hominem, & ab omni penitus humanitate derelictum! Feritate lupos, rapacitate milvos vincebat, Sanctimonialiū Monasteria profanabat, Altaria dejiciebat, Sanctorum Martyrumq; Reliquias comburebat, & in favillas redigebat. Deniq; multa sceleratè, multa audacter, multa improbè faciebat: tam hæc sunt multa, ut Livianam superent historiam, & ad ea explicanda & Thucydides, & Sallustius sint muti. Quis autem siccis oculis hæc recordetur? quis hæc sine singultibus transeat? verùm hæc missa facio, illud quæro, quid Episcopo cum Mavorte, qui Musis, imò qui Christo erat initiatus? quid ingenio tam candido cum barbaris cohortibus, ipso vultu sonoq; vocis horrendis, cum terrifico taratantaræ cantu, cum bombardarū tonitruis, cum formidabili armorū crepitu simul & fulgore, cum immani laniatione? quid erudito cum acie? quid archiepiscopo cum armis? imposuit nimirum illi immodicus amor mulierum, dumq; nimium fortiter amat mulierem, regno privatur. Periit, periit penè & nostrarum rerum nonnihil. Horret animus ea cogitatione complecti, quæ miseri pertulissemus, si sopor oculos illustrissimi nostri Principis detinuisset. De cujus laude hic non est locus, ut dicam. Hic, hic ad illam pestem comprimendam, extinguendam, funditus delendum ortus esse videtur, & quasi divino munere donatus.

Quod autem N. diœcesin suam reliquit, quanto illum mœrore ferre putatis? jacet ille nunc (ut ego quidem sentio) prostratus, & se perculsum atque abjectū esse sentit, atq; retorquet oculos profectò

sæpe ad illam diœcesin, quam ex suis faucibus ereptam esse luget. Quæ quidem lætari mihi videtur, quòd tantam pestem evomuerit, forasq; projecerit. O fortunatam diœcesin, quod hanc sentinam ejecit! Vno, me hercule, eo exhausto, relevata mihi & recreata videtur. Quid enim mali aut sceleris fingi aut excogitari potest, quod non ille conceperit? Quod maleficiũ fingi potest, quo iste sese non contaminatit? Quam subito ingentem numerum perditorum hominum collegerit, haud ignoratis nemo non modò in N. sed nec ullo in angulo totius Germaniæ oppressus ære alieno fuit, quem ille non asciverit. Illis autem omnibus & quod libebat, licebat, & quod licebat, poterant, & quod poterãt, audebãt; & quod audebant, faciebant; & quod faciebant, ipsi molestum non erat.

Quid horum infirmare potestis? Novi complures qui non opinantur, sed sciunt; non audierunt, sed viderunt: viderunt? imo verò & interfuerunt. Sed eho, quonam evagor? quò luxuriante lingua vehor extra cancellos? quò feror extra oleas? quò me sermonis cursus abripuit? Jam dudum in alia regione peregrinor, & à destinato itinere multum deflexi, quin redeat in suum pulverem noster equus, redeamus ad institutum.

Tollite mulieres; (intelligite quid loquar) perpaucis annis universum hominum gen⁹, funditus intereat necessum est. Xerxem illum Persarum Regem potentissimum, cum de sublimi loco ingentẽ illam hominum multitudinẽ intueretur, lachrymas non tenuisse dicunt, quod ex tot hominũ millibus post centum annos nullus omnino super futurus esset. Cur quod ille de suis copiis intellexit, non etiam de universo hominum genere perspicimus? O si possemus in talem ascendere speculam, de qua universam terrã sub nostris pedib⁹ cerneremus! Jam vobis ostenderem totius Orbis ruinas,

& non Xerxis tantum exercitum sed totius mundi homines, qui nunc vivũt, brevi defuturos. Sublato sexu muliebri quotusquisq; ex tot regionibus, provinciis, regnis, urbibus, cœtibus, post centum annos supererit.

Adhæc difficile est dictu, quã potentes sint mulieres ad instituendos viros. Quod ne cui vestrum mirum videatur, multas possem referre mulieres, quæ ex tetricis viris hilares, ex temulẽtis sobrios, ex prodigis frugales, ex cessatoribus industrios effecerunt. Omnibus lippis & tonsorib⁹ est notum, nec vobis (opinor) inauditum, quod vir quidam non postremæ nobilitatis puellæ cuiusdam gratia frequẽter pernoctavit foris: prætextus erat venatio. Vxor huius mulier, insigni probitate, per vestigavit furta mariti sui, & adiit casam illam rusticanam, quã puella inhabitabat, expiscata est de toto negotio ubi dormiret, unde biberet, quis esset apparat⁹ convivii. Abiit domum, ac mox rediit, secũ adducens lectum commodum & apparatum, vasa aliquot argẽtea, addidit pecuniam, admonens, ut si quando rediret ille, tractaret eum civilius, dissimulans interim sese uxorem esse ac sororem esse simulans. Post dies aliquot redit eò furtim marit⁹, videt auctam supellectilẽ & apparatum lautiorẽ. Rogat unde is nitor insolitus? Ajunt matronam quandam honestam illi cognatam hæc advexisse ac mandasse, ut honestius posthac acciperetur. Ilicò tetigit animum illius suspicio, uxoris hoc esse factum. Reversus domũ rogat num illa fuisset, illa non negat. Rogavit & quo tandẽ consilio misisset eò supellectilem: Mi vir, inquit, assuetus es vitæ commodiori. Videbam illic te durius accipi, putabam esse officii mei, ut quando ita tibi cordi, lautius illic habereris. O matronã nimium bonam. Ego citius pro lecto substravissem illi fasciculum urticarum ac tribulorum. Sed audite finem. Vir per-

specta

ſpecta tanta probitate, tantaq; manſuetudine cõjugis ſuæ, nunquam deinde uſus eſt furtivo concubitu, ſed domi ſe oblectavit cum ſua. Huius generis quàm multa reperiantur exempla, veſtris ingeniis coniecturæque committo.

Ego autem iam planè τὸν ἄμμον ἀναμετρεῖν (ut multorum literis celebratum habet adagium) aggredior, & dignus ſim, quem multis cachinnis rideat Democritus, niſi finem dicendi fecero. Etſi lõgum quidem adhuc texere ſermonem inſatiabili colloquendi ad vos deſiderio pulſor, malo tamen brevior haberi, quàm longis laxisq; verborũ periſtromatibus orationem producere, & ſinuoſis anfractibus patiẽtiſſimas veſtras aures ſuſpenſas tenere. Quamobrem neceſſum eſt, (quod interdum diſertos homines facere animadverti.) ut quæ dicta ſunt, ſummatim tribus, quod ajunt, verbis, repetamus, orationem in longum porrectam cõtrahamus, & in memoriæ theſaurum deponam9. Audiviſtis, Auditores humaniſſimi, tum quam deteſtandis & execrandis erroribus anteceſſores mei impliciti fuerint: tum quam longo intervallo MULIERUM fortitudo & VINI efficaciã, & REGIS potentiam poſt ſe relinquat. Audiviſtis mulieres, eos, quos neq; Reges vincere potuerunt, nullo negotio deviciſſe: Non obſcuris tantùm verum etiam in ſummo dignitatis gradu conſtitutis, imò fortiſſimis ac potentiſſimis Regibus imperaſſe: Ex ſapientibus archimoriones, ex dominis ſervos, ex polychroniis & ſenio confectis juvenes, ex tetricis hilares, ex temulentis ſobrios, ex prodigis frugales, ex dormientibus vigilantes effeciſſe. Quæ prætereà diximus memoria retinetis. Cùm autem hæc ita ſint, ſpero imò intrepidè mihi polliceor, vos in meam ſententiam non pedibus modò, ſed manibus quoq; atque adeò toto corpore deſcendiſſe.

INDEX RERVM ET VERBORVM PARTIS PRIMÆ.

A.

Baby-

B.

C.

D.

Lu-

Pe-

FINIS.